IOANNIS BAPT. FRANZELIN

E SOCIETATE IESU

EXAMEN

DOCTRINAE

MACARII BULGAKOW EPISCOPI RUSSI SCHISMATICI

ET

IOSEPHI LANGEN NEOPROTESTANTIS BONNENSIS

DE

PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

PARALIPOMENON

TRACTATUS DE SS. TRINITATE

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXVI.

Cum in Tractatu de SS. Trinitate Sectione III primum scripsi de Spiritus Sancti processione, nondum videram Macarii Bulgakow schismatici Russi librum (1), in quo is fidei revelatae articulum de processione Spiritus Sancti a Filio impugnandum, ipsamque negationem velut dogma fidei persuadendam suscepit. Non nova quidem ab auctore inducuntur argumenta, sed pristinae contorsiones omnes, ut inde ab insigni illo veteratore Photio in schismaticae theologiae velut medullam transierunt, repetuntur et satis apte exornantur, ut ignorantiae suorum alumnorum imponat, hominesque iam in haeresi enutritos in eadem obfirmet. Quamvis vero in ipso Tractatu nostro abunde declaratae mihi videantur rationes, quibus fraudes detegantur et Macarianae istae tricae explicentur, nihilominus operae pretium futurum existimavi fallacias hominis universas singillatim examinare et tenebras discutere, quas nebulo iste primum quidem in testimonia Scripturarum tum vero in Conciliorum et ss. Patrum tam occidentalium quam orienta-

(1) Théologie dogmatique orthodoxe par Macaire Docteur en théologie, évêque de Vinnitza, recteur de l'Academie écclesiastique de Saint-Petersbourg, traduite par un Russe. Paris 1860. De Processione Spiritus Sancti tractatum habet T. I. p. 325–423. Introduction à la Théologie orthodoxe de Macaire etc. Paris 1857. De processione Spiritus Sancti. p. 574-590. Ab Academia scientiarum Petropolitana opus aestimatum est dignum praemio « primae classis ».

lium doctrinam congessit, ut splendorem totius manifestae traditionis obrueret et oculis subduceret. Primum igitur de iis dicam quae contra Scripturas profert, postea fraudes ex aliis documentis structas patefaciam. Ita autem totam disquisitionem confutationemque versabo, ut demonstrationes in meo Tractatu de SS. Trinitate, editionis 2^{ae}, inductas heic ubique supponam, frequenter etiam lectorem remissurus ad Theses eiusdem Tractatus, quibus hoc praesens «Examen doctrinae Macarii» supplementum dumtaxat, illudque totum polemicum esse volo.

SECTIO I.

DE MACARIANA INTERPRETATIONE LOCORUM SCRIPTURAE.

Duo docet Macarius: processionem Spiritus Sancti a Patre clare contineri in Scripturis; processionem etiam a Filio sicut a Patre in iis non contineri. At enim in Thesi XXXIX. Tract. de Trin. animadverti, resque per se clara est, hoc utrumque si concederetur, inde nullatenus consequi doctrinam Photianam esse veram, doctrinam catholicam falsam; ad hoc enim demonstrandum opus esset reperire in Scripturarum testimoniis *negationem* processionis a Filio, quoniam non affirmatio processionis a Patre quam omnes catholici semper confessi sunt et confitentur, sed ista *negatio* constituit dogma, quo Photiani scinduntur ab Ecclesia catholica. Neque vero ideo quod catholica professio de processione a Filio in Scripturis consignata non reperiretur, Photiani putare possent huius doctrinae falsitatem aut suae veritatem demonstratam, nisi a suis principiis desciscere velint ad principia Protestantium, qui negantes traditionem, nulla nisi in Scripturis expressa dogmata credenda esse dicunt. Verum non huiusmodi argumentatione *ad hominem*, quam dicunt, contentis nobis esse licet; sed singulas fallacias quibus Scripturarum sensum Photianus pervertit, distinctius examinare in animo est. Inde enim iam nunc apparebit, quod deinceps in tota hac nostra disquisitione luculentissimum erit, quam praepostere ac impie universa doctrina revelata de augustissimo mysterio Trinitatis in haeresi Photiana pervertatur.

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS HERMENEUTICIS MACARII, QUIBUS IN DISCRIMEN VOCATUR IPSUM DOGMA DE AETERNA SPIRITUS SANCTI PROCESSIONE A PATRE.

Quamvis Macarius cum reliquis Photianis utique fateatur et maxime contendat, doceri in Scripturis aeternam processionem Spiritus Sancti a Patre; aio tamen, hanc ipsam certissimam veritatem ab ipso non demonstrari, nec adversus Arianos et Socinianos valide demonstrari posse admissis principiis hermeneuticis, quibus homo utitur ad detorquendam in alienum sensum ac negandam doctrinam de processione Spiritus etiam a Filio, in Scripturis aeque luculenter et, quoad ipsius rei descriptionem, etiam luculentius expressam.

Quoniam dogmata singula de SS. Trinitatis mysterio intime inter se cohaerent, hinc fit, ut uno negato etiam alia labefactentur. Hoc ipsum accidit nostro Photiano. Voluit ipse retinere et probare sensum genuinum processionis immanentis et aeternae in verbis Christi, « Spiritus a Patre procedit. » Simul vero conquisivit et ex suis praedecessoribus haereticis congessit argumenta ad probandum, omnia loca Scripturae, in quibus sin minus vocabulum certe res ipsa et descriptio *processionis a Filio* continetur, non de aeterna sed de temporaria processione Spiritus Sancti, et de consubstantialitate dumtaxat Spiritus cum Filio intelligi posse ac debere.

1° Hinc Macarius et universim Photiani nullam declarationem aeternae processionis Spiritus Sancti a Patre quantumvis manifestam in sacris litteris consignatam adhibere possunt, si declaratio eadem in Scripturis aeque continetur de processione a Filio; sed coguntur illud solum et unicum de aeterna processione interpretari, quod eodem modo de processione a Filio scriptum non reperitur. Iam vero huiusmodi in totis Scripturis omnino nihil est praeter verbum *procedere* materialiter spectatum Io. XV. 26. Reliqua enim omnia quibus res ipsa processionis immanentis

declaratur, evidenter exhibentur Filio cum Patre communia. Quod Spiritus *omnia accipit a Patre;* id non minus, imo directius scriptum est de Filio. Dicitur *Spiritus Patris;* at non secus est *Spiritus Filii.* Spiritus, ex constanti Scripturarum testimonio, non est prima persona, sed *refertur ut tertia ad primam personam, Patrem;* at *tertia* persona ordine necessario proxime (προσεχως) *refertur ad secundam, Filium,* et per Filium (δια του προσεχως εκ του πρωτου) ad Patrem, quia ipse Filius generatus a Patre est unum cum Patre. Pater docetur in aeternitate habere *Spiritum suum, a se mittendum* in tempore; at eodem modo Filius ab aeterno habet *Spiritum suum, a se mittendum* temporaliter.

Haec omnia testimonia, quae clarissimam continent demonstrationem et velut definitionem immanentis processionis Spiritus a Patre, Macarius et Photiani universi coguntur studiose occultare aut pervertere, ne continuo intelligatur una eademque relatio interna Spiritus Sancti ad Patrem et Filium. Ad demonstrationem ergo processionis aeternae a Patre non eis remanet (ut diximus) nisi vocabulum *procedere;* hoc enim solum, si materialiter spectetur, non aeque de Filio sicut de Patre in sacris libris enuntiatum reperitur, cum contra res ipsa per illud verbum significata non minus de Filio quam de Patre in eisdem Scripturis definiatur ac declaretur.

2° Ob eandem haeresim praeter et contra Scripturas praeconceptam coguntur illi confingere duplicem Spiritus Sancti processionem, aeternam et temporariam ita separatam, ut contra totam revelatam oeconomiam mysterii SS. Trinitatis processio in tempore assumatur seorsum, minimeque includens processionem aeternam. Absurda hac separatione principii instar praestructa quin vel speciem aliquam probationis afferre valeat, Macarius cum aliis Photianis (1) testimonia omnia, quibus processio Spiritus Sancti

(1) Principium istud *separationis* ipsum conceptum divinae aeternitatis, connexionem actionum *ad extra* in tempore cum actibus internis et aeternis, distinctionem personarum ex relationibus originis in sacris litteris descriptam, plane pervertit, et velut in germine continet haeresim Photianam. Macarius vero illud, ac si per se clarum nulla indi-

a Filio docetur, conatur detorquere vel ad solam processionem temporariam vel simul ad consubstantialitatem Spiritus cum Filio.

3° Iam vero his principiis positis neque *processio aeterna a Patre* ex illo testimonio, quod schismatici unicum intactum reliquerunt Io. XV. 26, demonstrari amplius posset; sophisticae enim strophae ab eis decantari solitae si valerent adversus aeternam processionem Spiritus Sancti a Filio, non minus vim eandem haberent adversus sensum immanentis processionis a Patre in hoc testimonio enuntiatae.

Sane ex ipso verbo per se spectato « Spiritus veritatis qui a Patre *procedit,* » non magis aeterna quam temporaria processio determinatur, siquidem ex principio schismaticorum praestructo potest esse personae a persona processio temporaria, quin ideo in ea contineatur aut supponatur processio aeterna. Vidit hoc Macarius ipsemet, atque idcirco probationem instituere conatus est, necessario ea verba Christi Domini intelligi debere non de temporaria sed de aeterna processione.

At probationes eius omnes ipsemet subvertit iis ipsis, quae disputat contra aeternam processionem a Filio. Tria sunt Macarii argumenta.

geret probatione, mira confidentia praestruit omnibus suis sophisticis argumentationibus. « Pour préciser les idées dans le développement de cette doctrine, il faut établir une distinction rigoureuse entre la procession éternelle du Saint-Esprit, qui forme proprement son attribut personnel, et sa procession temporelle sur les créatures ou sa mission dans le monde, *qui ne se rapporte point à l'hypostase même du Saint-Esprit,* mais forme quelque chose d'extérieur, d'accessoire, et ne s'attribue pas plus au Saint-Esprit qu'au Fils. Jean XVI. 28. 29. (Si haec urgerentur, missio ipsius divinae personae tum Spiritus Sancti tum Filii, ac consequenter incarnatio Verbi neganda foret, et totum Evangelium pervertendum; sed de his inferius sermo recurret). Que si l'Eglise orthodoxe (schisma Photianum) affirme que le S. E. procède du Père seul.... elle n'entend proprement parler que de la procession éternelle et hypostatique du S. E. Quant à sa procession temporelle les orthodoxes eux-mêmes croient avec les chrétiens occidentaux que le S. E. procède, c'est-à-dire tient sa mission dans le monde, non seulement du Père, mais aussi du Fils, ou pour mieux dire par le Fils » l. c. p. 326.

a) Ex scopo orationis. Christus Dominus docuit hoc loco divinitatem Spiritus Sancti, ergo processio a Patre intelligi debet aeterna. At quamvis verum sit antecedens, quod tamen longe aliis demonstrationibus conficitur, quam a Macario ibi productae sint; inde solummodo probatur *consubstantialitas* Spiritus Sancti cum Patre (1), nullatenus autem (admissis principiis Photianis) consequitur *processio aeterna;* ac proinde hoc argumento Photiani probare nequeunt, *his verbis,* « qui a Patre procedit, » aliud dici quam Spiritus consubstantialis missionem et processionem temporariam ad sanctificandos, docendos et confirmandos Apostolos. Probe autem advertatur, quaestionem nunc non esse universim, an sit et unde sit Spiritus Sancti aeterna processio; sed quaestio est, utrum ea *hisce verbis*, « qui a Patre procedit, » demonstretur. Profecto si Photiani in verbis Christi, ubi tertia persona dicitur omnia accipere a secunda, nihil aliud reperiunt quam consubstantialitatem et processionem temporaneam istius tertiae personae a secunda, multo adhuc facilius hoc idem et nihil amplius intelligetur in verbis, « qui a Patre procedit; » dicetur nimirum a Patre procedere in Apostolos.

Re autem vera Spiritus Sanctus aeternaliter procedit ut *donum*, quemadmodum Patres characterem eius personalem describunt, cum relatione ad extra h. e. ad processionem seu missionem in tempore (cf. Th. XXXIII. n. 1.); ac propterea in Scripturis processio utraque semper complexa est, ita ut processio aeterna nunquam exhibeatur sine respectu ad missionem, et haec illam semper includat vel supponat. Dum ergo Photiani processionem in tempore absurde *separant* ab aeterna, etiam hanc ex verbis Scripturae probare non possunt.

b) Probat Macarius aeternam processionem a Patre ex

(1) Haec res multo magis perspicua est ex forma, qua Macarius argumentum pro aeterna Spiritus Sancti processione a Patre proponit. « Le Sauveur ajoute enfin, que ce Consolateur à venir, cet Esprit de vérité, *n'est point une créature,* mais qu'il procède du Père, c'est-à-dire qu'il a l'éternité de Dieu, et *qu'il est par conséquent une personne divine* ».

ipsa forma verborum dupliciter. Primo ait, si processio a Patre intelligeretur temporalis, hunc fore sensum: « quem ego mittam a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre mittitur; » quae (inquit) praeseferunt absurdam tautologiam. Alterum argumentum ducitur ex verbo temporis praesentis *procedit*, cum tamen missio esset adhuc futura.

Verum supposita schismaticorum separatione processionis in tempore a processione aeterna, neutrum argumentum quidquam valet. Secundum principia catholica et in sensu genuino verborum a PP. declarato primum incisum in verbis Christi Domini, « quem ego mittam vobis a Patre, » enuntiat explicite missionem a Filio, implicite autem missionem a Patre simulque processionem immanentem a Patre et Filio; incisum alterum, « qui a Patre procedit, » explicite docet processionem eandem immanentem a Patre, quae iam comprehendebatur in inciso priori; nec sane tautologia ulla in eo reperitur, quod primo implicite dictum deinde enuntiatur explicite. Si vero ex hypothesi schismaticorum in primo inciso explicite sola missio a Filio minime includens processionem immanentem, et fortasse implicite missio a Patre contineretur; profecto tautologicum nullo modo censeri posset, quod in altero inciso missio etiam a Patre enuntiaretur explicite, et Christus daret rationem, cur non simpliciter se missurum, sed *a Patre* missurum esse dixerit. Verba itaque: « quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, » in hunc sensum resolverentur: « quem ego mittam vobis a Patre; nam non solum a me, sed aeque etiam a Patre in vos procedit ac mittitur. »

Argumentum porro grammaticum ex verbo temporis praesentis per se nimis labile est. Ut enim de aliis nihil dicam, notissimum est, mox futura exprimi solere in forma temporis praesentis: pono animam meam; vado ad Patrem; adhuc modicum, et mundus me iam non videt; si abiero, iterum venio; quod facis, fac cito, et alia multa. Porro ipsum Spiritus Sancti adventum Filius promittit verbo sicut futuri, ita etiam praesentis temporis: « vos autem testes estis horum; et *ego mitto* (και ἰδου ἐγω ἀποστελλω al. κἀγω ἀποστελλω) promissum Patris mei in vos »

Luc. XXIV. 49. Si ergo Macarius contendit, formam grammaticam temporis praesentis *procedit* necessario de aeterna et non solum de temporanea processione adhuc futura intelligendam esse, ob eandem rationem cogetur fateri in verbo temporis praesentis, quando dixit Filius *ego mitto,* non solum temporaneam tunc adhuc futuram, sed etiam aeternam emissionem a Filio significari. Hoc autem cum ipse neget ex suo illo principio, quo *separat* missionem a processione, iam etiam argumentum ex tempore praesenti in verbo, *procedit a Patre,* nihil omnino probabit.

c) Postremo appellatur ad auctoritatem Patrum, qui de aeterna processione locum Io. XV. 26. intellexerunt. Hoc quidem verissimum est; sed si traditionem et testimonia Patrum Photiani sincere agnoscant, tenentur non minus processionem immanentem a Filio quam a Patre confiteri, ut tum ab aliis catholicis abunde et evidenter tum in nostro Tractatu demonstratum est.

Theologia itaque et principia hermeneutica a Macario post alios Photianos conficta ad pervertendum sensum Scripturarum de Spiritu seu spirato Filii, audiente et omnia accipiente a Filio, mittendo ac misso a Filio, de relatione denique personae tertiae SS. Trinitatis ad secundam non minus quam ad primam, vergunt omnia ad labefactandam etiam earumdem Scripturarum doctrinam de processione Spiritus a Patre, ut haec adversus Arianos, Macedonianos et Socinianos rite defendi nequeat.

CAPUT II.

DE PROBATIONE DOCTRINAE PHOTIANAE EX SCRIPTURIS A MACARIO INSTITUTA.

Postquam vidimus, quomodo doctrina Photiana ipsam vim testimoniorum labefactet de aeterna processione Spiritus Sancti a Patre, atque negando internam processionem a Filio arma ministret haereticis illis, qui sicut Photiani in Filio, ita ipsi etiam in Patre solam concedunt missionem temporariam Spiritus Sancti; nunc descendimus ad partem alteram interpretationum Macarii. Reperienda esset

ipsa, qua a catholicis dissident, Photianorum sententia vel *explicite* vel saltem *implicite* et aequipollenter in Scripturis comprehensa, Spiritum procedere *a solo Patre,* ita ut non procedat a Filio, qui unum est cum Patre.

At *a*) haec sententia in totis Scripturis *explicite* nuspiam exstat. Quod patravit Lutherus in sua versione germanica librorum sacrorum interpolando textum Rom. III. 28. « arbitramur iustificari hominem per *solam* fidem, » ut testimonium non quidem Apostoli, sed suum haberet pro haeresi praeconcepta de sola fide iustificante; id Photius eiusque sectatores in ipso textu originali ausi non sunt. Remanet ergo penes ipsos Io. XV. 26. lectio incorrupta, « qui a Patre procedit. » Quapropter donec sacrilega Lutheri alicuius manus eis suppetias ferat, quae scribat, qui ex *solo* Patre procedit; suum illud dogma *explicite* in Scripturis expressum ostendere non possunt.

b) Reliquum ergo esset, ut vel ex contextu Io. XV. 26. vel collatione aliorum locorum evincerent, affirmationem, « qui a Patre procedit, » sensum habere *excludentem,* quod nempe Spiritus dicatur a Patre procedere, non quatenus virtute et actu spirationis Pater unum est cum Filio, sed quatenus spiratione ipsa Pater et Filius non modo a Spiritu procedente seu a spirato, sed etiam inter se invicem distinguantur. Unde conficeretur, dogma Photianum in Scripturis *implicite* contineri. At huius doctrinae, mysterio revelato undequaque repugnantis, nullum in sacris litteris prostat vestigium, adeo ut ne sophistae quidem aliquam saltem speciem probationis extorquere possent. Hinc Macarius ipse hanc probationem ne tentare quidem ausus est. Quid ergo agat? Ad hoc unum suam artem redactam vidit, ut persuadere conaretur, loca Scripturae ex quibus catholici probant processionem Spiritus a Filio, alio sensu accipi posse, quo non de aeterna sed seorsum de temporanea processione vel de consubstantialitate Spiritus Sancti cum Filio intelligantur.

Hoc totum si homini daremus, quid tandem consequens esset? Consequeretur quod initio dixi, nec doctrinam Photianam de processione a *solo* Patre, excluso Filio; nec

dogma catholicum de processione a Patre, ut Pater spiratione unum est cum Filio, contineri in ipsis Scripturis; adeoque hoc esse unum ex illis capitibus doctrinae, quae non in Scripturis, sed praedicatione dumtaxat et traditione apostolica Ecclesiae consignata ac per saeculorum decursum sub infallibili magisterio custodita, atque post ortam controversiam « diligentius credita, instantius praedicata, sollicitius exculta sunt. » In his vero ipsis documentis traditionis consulendis seponatur tandem aliquando crassa illa sive fraus sive stultitia, qua Photiani coacervant sententias Patrum et Conciliorum attestantes *processionem a Patre,* de qua nulla est controversia, et ea sola monumenta quae ad rem pertinent, inter se comparentur (1); monumenta inquam *affirmantia processionem a Filio* quae sunt plurima, vel eandem *negantia,* quae saltem testium aliunde orthodoxorum usque ad Photium nulla proferri possunt, quod in Tractatu nostro satis demonstravimus. At quoniam certissimum est, revelationem de Spiritu procedente a Patre, et Filio in ipsis evangelicis et apostolicis scriptis consignatam reperiri (Tract. Th. XXXII-XXXIV.), nuncque nobis habemus propositum cuniculos tortuosos nostri Macarii persequi; examinemus rationes, quibus ipse doctrinam Scripturarum ad illum suum sensum missionis separatae ab

(1) « Salvator quidem dixit, *qui a Patre procedit;* idem sancta Concilia, idem venerabiles Patres confessi sunt; hic autem convitiator (Photius) edocuisse illos asserit, quod indicare orationem arbitratur, scilicet *qui a Patre solo procedit* . . . Non idem significant hae duae orationes: *qui a Patre procedit;* et *qui a Patre solo procedit* . . . Nothum quidem videtur Latinis, *qui a Patre solo procedit;* nothum vero Graecis *qui a Patre et Filio,* eo quod neutrum in Evangeliis scriptum reperiatur. Verum sic opposita sunt, ut alterum quidem duorum sit verum ex necessitate, alterum vero non. Sed ex Filio quidem procedere, Scripturis consonat et concordat, et neque contrarium vel repugnans invenitur, quamquam in synodis (Constantinopolitana et aliis recitantibus eius symbolum) expressum non sit. Etenim quisque Romanorum Pontificum qui synodos sanctificaverunt et confirmaverunt, semper hoc dixit et dogmatizavit. Quos quidem utique Athanasius, Basilius, Cyrillus, sanctorumque reliqui manifeste secuti sunt; propterea *ex Filio* sentire et dicere debitum est » Hugo Etherianus contr. Graec. l. II. c. 17. Bibl. Max. PP. T. XXII. p. 1232.

immanente processione, et consubstantialitatis deflectere conatur. Quinque sunt testimonia, contra quorum sensum genuinum Photianus suas vires experitur.

§. I. *De Testimonio Christi* Io. XV. 26.

Catholici docent, ait ille, « in verbis, *qui a Patre procedit,* non excludi sed includi processionem a Filio, quia Pater et Filius unum sunt essentia, et Filius habet omnia, quae habet Pater. » Contra doctrinam hac forma minime sincere propositam Macarius argumentatur. Non est sincera inquam haec catholicae doctrinae expositio; dicimus enim Spiritum procedere a Patre et Filio, quia Pater et Filius persona prima et secunda unum sunt *vi spiratrice* in relatione ad personam tertiam, non vero quia unum sunt *essentia* sub formali ratione essentiae. Sicut ratio processionis a Patre non est essentia formaliter ut essentia, quae est communis tribus personis, sed ratio est *vis spiratrix* in Patre; ita ratio processionis a Patre Filioque non est unitas essentiae, sed *vis spiratrix una* in Patre et Filio, in Patre quidem incommunicata (προκαταρκτικως) in Filio autem communicata a Patre. Sicut nimirum etiam Photiani coguntur fateri, Patrem esse principium Spiritus Sancti non sub ratione absoluti seu essentiae sed sub ratione relativi h. e. *spiratoris*, ita Pater et Filius sunt unum principium Spiritus non sub ratione absoluti, quatenus sunt una essentia, sed sub ratione relativi ut *unus spirator*. Ratio vero cur *vis spiratrix* sit una a Patre communicata Filio, continetur in illo fundamentali principio, « in Trinitate omnia unum, *ubi non obviat relationis oppositio.* » Nihilominus proferantur Macarii argumentationes singillatim.

1° Tres personae, inquit, unum sunt essentia; sed attributa personalia (ita ipse loquitur) singulis personis sunt propria, ne cum Sabellianis divinae hypostases confundantur. « Iam vero quando dicitur Pater generare Filium et spirare Spiritum Sanctum, sermo est de Patre, ut persona est, secundum suum attributum personale, quo distinguitur

a Filio et a Spiritu Sancto. Ergo sub nomine Patris non potest comprehendi etiam Filius, qui essentia non vero personalitate unum est cum Patre. »

Tota haec oratio vel nihil dicit, vel assumit ut principium demonstrationis illud ipsum, quod est demonstrandum; hoc autem sicut ceteris omnibus hominibus turpissimum, ita nec ipsis sophistis Photianis permittendum est. Duo ponit in Patre, quae ipse appellat attributa personalia, generationem Filii et spirationem Spiritus Sancti; tum vero in numero singulari *attributum personale* dicitur distinguere Patrem a Filio et Spiritu Sancto. Si hoc sibi vult, Patrem *per generationem* distingui a Filio ut termino immanente generationis; *per spirationem* vero distingui a spirato seu a Spiritu Sancto, eiusdem spirationis termino immanente, hoc verissimum quidem est et ab omnibus catholicis docetur; sed nihil omnino ad causam pertinet Photianam. Quaestio enim unica est, utrum Pater *per ipsam formalem rationem spirationis,* qua non ad Filium sed ad solum Spiritum Sanctum refertur, distinguatur a Filio. Hoc ergo sensu intellecta oratio Macariana tota inepta est ad scopum propositum.

Si vero ipse (ut videtur) argumentum suum verbis subdolis instruit ex hoc principio, quod spiratio est propria soli Patri et non communis Filio, sane probat idem per idem. Perinde enim est dicere spirationem propriam soli Patri, non autem communem Filio (quod sine ulla probatione assumitur instar antecedentis); et dicere spiratum seu Spiritum Sanctum a solo Patre, non autem a Patre et Filio procedere (quod ex identica illa propositione velut consequens deducere Macarius praetendit).

Verba ipsa Macarii in versione gallica ita habent. « Quand on dit que le Père engendre le Fils et fait procéder le Saint-Esprit, on parle proprement du Père comme d'une personne ayant son attribut personnel qui le distingue du Fils et du Saint-Esprit. Par conséquent aussi, lorsqu'il est dit, que le Saint-Esprit procède du Père, sous le nom du Père on ne saurait comprendre en même temps le Fils, qui est un avec le Père par essence, et non point

en personnalité» p. 330. Quid Russi sub hac perturbata conglomeratione verborum intellecturi sint, equidem ignoro. Quando dicitur, Pater generat Filium, *Pater* enuntiatur sub formali ratione *paternitatis,* qua constituitur persona distincta a Filio procedente per ipsam generationem. Quando dicitur, Pater spirat Spiritum Sanctum, nominatur in subiecto utique persona Patris constituta per formalem rationem paternitatis; in praedicato attribuitur ei vis et actus spirationis, qua non refertur ad Filium, et ideo per eam nec distinguitur a Filio; sed spiratio est dilectio fecunda a Patre communicata Filio, qua non minus quam essentiâ unum sunt, et ut unum principium producens referuntur ad Spiritum Sanctum seu ad amorem productum et subsistentem, atque ideo per eandem spirationem ab eo, ut spirationis termino, realiter distinguuntur. Quod dicitur in consequenti, ridiculum est. Certe *sub nomine Patris* numquam comprehenditur *Filius;* his enim nominibus enuntiantur duae personae sub ea formali ratione, qua inter se distinguuntur. Sed hac reali distinctione paternitatis et filiationis supposita, potest enuntiari de una persona id, quod ei est commune et unum cum persona alia. Quando Filius dixit: « ego et Pater unum sumus, » nomine *Patris* non comprehendit se ipsum, sed imo se distinxit a Patre; tum vero in praedicato declaravit, in quonam duo distincti sint unum. Ita etiam quando dicitur, Pater spirat Spiritum Sanctum, vel Spiritus procedit a Patre, vel Spiritus est Patris, sub nomine *Patris* non alia quam prima persona intelligi potest; verum de ea enuntiatur id, quod ei est commune et unum cum secunda, et quo non a secunda sed a sola tertia persona distinguitur. Qui spirant *(principium quod)* sunt duae personae paternitate et filiatione non autem spiratione distinctae; formalis ratio sub qua spirant *(principium quo),* una est communis dilectio fecunda seu una vis spiratrix; sicut tres sunt personae proprietatibus distinctae, quae creant, sed unus communis est actus, quo creant. Ideo duae personae distinctae unus sunt spirator, sicut tres distinctae personae sunt unus creator (Augustin. Trin. l. V. c. 14.). Negamus igitur, spirationem esse *pro-*

prietatem personalem in sensu stricto (Th. XXV); neque enim formalis ratio spirationis personam distinctam constituit, nisi forte adversariis placeat quatuor inducere hypostases; nec uni personae tantum est propria, sed est relatio communis primae et secundae personae.

Hanc communitatem spirationis adversus haeresim Photianam utique non assumimus velut principium probationis; sed imo ad eam probandam ex documentis revelationis tota Sectio III. nostri Tractatus de Trinitate pertinet. Nostra argumentatio ex Io. XV. 26. nequaquam ita habet: spiratio est communis Patri et Filio, ergo dum l. c. Spiritus Sanctus dicitur procedere a Patre, simul cum Patre intelligendus est Filius; quae esset petitio principii similis illi, cuius reos agimus schismaticos. Sed imo primum doctrinam in Scriptura et traditione comprehensam demonstramus, vi spiratrice non distingui Patrem a Filio; ac tum demum inferimus, in verbis Christi Domini affirmantibus processionem a Patre, intelligi Patrem ut communicantem Filio vim spiratricem, atque ideo ut unum cum Filio principium Spiritus Sancti. Propterea non primo loco, ut Macarius ordinem perturbat; sed loco ultimo post demonstratam unitatem Patris et Filii in spirando, inferimus instar corollarii hanc Thesim: in verbis Christi, « Spiritus veritatis a Patre procedit, » non excludi sed includi Filium ut unum cum Patre principium procedentis Spiritus.

Sed nescio quid de Sabellianismo mussitant eodem prorsus modo, ut Ariani catholicis docentibus unitatem Patris et Filii in omnibus, exceptis relationibus ad invicem, solebant obiicere personarum confusionem.

Communis est ss. Patrum doctrina in toto Tractatu saepe a nobis demonstrata, nullam esse in Trinitate distinctionem nisi per solas relationes originis, h. e. per realem processionem unius personae ab altera. Dicimus itaque, Patrem et Filium duas esse personas realiter inter se distinctas solis proprietatibus personalibus paternitatis (inclusa ἀγεννησίᾳ) et filiationis, easdemque unum esse sicut essentia et attributis absolutis, ita non minus spiratione, qua non ad se invicem referuntur (neque enim Filius pro-

cedit per spirationem); sed relatione una et communi spiratoris referuntur ad Spiritum Sanctum ab eis procedentem, et propterea hac ipsa spiratione et processione realiter ab eis distinctum ut personam tertiam. Nulla est ergo in doctrina catholica confusio personarum, sed defensio illius realis distinctionis, quae sola secundum revelatam veritatem admitti potest ac debet, dum retinentur tres personales proprietates distinguentes et constituentes, paternitas, filiatio, processio.

Photiani autem evidenter pervertunt totum mysterium. Primo enim dicunt, Patrem realiter distingui a Filio per spirationem, quin per eandem ad Filium ut spirationis terminum referatur; insuperque Filium realiter distingui a Spiritu Sancto, quin intercedat relatio originis unius ab altero. Verum quis non videt, utraque hac assertione funditus everti principium a Patribus communi consensu defensum adversus Arianos, nullam esse inter personas divinas distinctionem nisi secundum relationes originis seu secundum rationem principii et procedentis a principio (κατα το ἀιτιον και το ἀιτιατον). Hoc autem fundamentali principio retento, si nihilominus negant processionem Spiritus Sancti a Filio, nihil eis est reliquum, quam ut doceant, Patrem ad Filium ut terminum immanentem referri per ipsam spirationem, h. e. Filium procedere a Patre per spirationem, atque ita Filium et Spiritum Sanctum non duas esse personas inter se realiter distinctas, sed personam unam procedentem a Patre per originem, quae modo generatio modo spiratio appelletur, ac propterea personae procedenti nomen faciat sive Filii sive Spiritus Sancti.

2° Non pudet Macarium repetere stupidam illam obiectionem aliorum Photianorum. Si (inquiunt) *propter unitatem essentiae* Patris et Filii, Spiritus dicitur aeque procedere a Filio sicut a Patre; inde necessario consequitur, Spiritum Sanctum qui est unius cum Patre essentiae, simul cum Patre generare Filium; imo quoniam una est trium personarum essentia, consequens erit, Filium non modo a Patre et Spiritu Sancto sed etiam a seipso generari; et Spiritum Sanctum sicut a Patre et Filio, ita aeque

etiam a se ipso procedere (1). Nescio, cur omiserint illationem adhuc aliam non minus dignam ingenio et sapientia horum hominum; eodem quippe iure addere potuissent: si tertia persona procedat a prima et secunda, consequens fore, ut prima persona Pater dicatur procedere et a se ipso et a Filio suo suoque Spiritu.

Profecto istae scurrarum nugae in augustissimo fidei mysterio tota mente abominandae responsionem non merentur; demonstrant tamen eaedem, Photianis ex invecta haeresi contra Spiritum Sanctum periisse omnes notiones genuinas de processionibus et de distinctione ac unitate divinarum personarum. Absurdissime supponitur in obiectione, iuxta doctrinam catholicam personis divinis omnes relationes dici communes propter unitatem essentiae, quae esset negatio relationum ipsarum, ac proinde distinctionis personarum in Deo. Ecclesia catholica semper docuit (ut ex Patrum documentis est manifestum) et docet, divinis personis omnia esse communia praeter rationem principii et procedentis a principio, ac proinde, ut Cyrillus ait (vide Th. XXXV. p. 522.), nominatim Verbum unigenitum esse omnia, quae est Pater, *excepta sola paternitate;* idcirco spirationem quae non est formaliter paternitas, seu dilectionem fecundam per quam amor subsistens procedit, non minus esse communem Patri et Filio quam essentiam ipsam et attributa absoluta. Docet praeterea Ecclesia seu potius supponit ut per se evidens omni animae rationali, « sine qua credere non possemus, » id quod apud solos Photianos et fortasse in morodochiis in quaestionem vocatur, personam nec esse nec concipi posse principium sui ipsius aut principium sui principii, a quo ipsamet procedit. Ex eo igitur quod una persona procedat ab alia ut principio dis-

(1) « *On sera forcé* d'admettre que le Fils engendré par le Père, est aussi engendré par lui-même, et que le S. E. procedant du Père, procède aussi de lui-même, et cela à raison de leur unité d'essence avec le Père et de leur coéternité à tous » p. 331.

Ipse haeresiarcha Photius in libro de Mystagogia, in epistola 3. encyclica et 13. ad Episc. Aquileiensem multa habet huiusmodi sophismata quo ineptiora eo tumidioribus verbis inflata.

tincto, secunda a prima ut Verbum ex mente (quemadmodum Patres explicant), et supposita generatione Verbi persona tertia a prima et secunda, ut amor subsistens et expressus una communi dilectione Patris et Filii; ex hoc inquam dogmate inferre, Filium a quo procedit Spiritus Sanctus ut ab uno cum Patre principio, procedere vicissim a Spiritu Sancto, aut Spiritum Sanctum procedere a se ipso, sane stultissimum est. Quid enim est processio personae divinae, nisi quod subsistentiam hábet et communicatam naturam ab alia persona? Eo ergo ipso quod Spiritus Sanctus habet naturam communicatam a Patre et Filio, eam non habet a se sicut Pater, nec communicatam a se, quod evidenter repugnat, nec ipse eam communicat sive Patri sive Filio.

Coaeternitas divinarum personarum, de qua nescio quid murmurat Macarius, tempora tollit, sed non tollit ordinem originis divinarum personarum ratum omnino ac fixum (Th. XXXIII.) (1), nisi forte propter coaeternitatem Macarius dicat, eo quod secunda persona generatur a prima,

(1) « Numquid ergo possumus quaerere, utrum iam processerat de Patre Spiritus Sanctus, quando natus est Filius; an nondum processerat et illo nato de utroque processit, ubi nulla sunt tempora? . . . Non possunt prorsus ista ibi quaeri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut consequenti perficiatur in tempore; quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus Sancti de utroque. Et qui potest intelligere . . . . ita eum sine tempore genuisse, ut vita quam Pater Filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae Patris qui dedit, intelligat sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus Sanctus, sic dedisse Filio, ut de illo procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum, Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse Filio (hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit etiam a Filio, Filium habere communicatum a Patre). Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique, ut et de illo procedat Spiritus Sanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quae habent prius et posterius, quia omnino nulla ibi sunt . . . . Pater solus non est de alio, et ideo solus appellatur ingenitus . . . . Filius autem de Patre natus est, et Spiritus Sanctus de Patre principaliter (προκαταρκτικως), et ipso sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit . . . . Non ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus » August. Trin. l. XV. n. 47.

etiam vicissim primam generari a secunda. Hoc si absurdum esse etiam ipse fortasse intelligit, fateatur aeque omnino absurdum esse ex eo, quod tertia persona procedat a secunda, concludere vicissim secundam procedere a tertia. Si pervertatur internus necessarius ordo originum, hocque ipso oeconomia SS. Trinitatis non minus necessaria quam ipsamet divina essentia et existentia, ex absurdis consequentur utique absurda. Si nimirum ponas, spirationem Spiritus Sancti ordine originis priorem esse generatione Verbi, atque ita Spiritum Sanctum secundam, Verbum tertiam personam; inde omnino consequetur, quod volunt Photiani, Spiritum Sanctum procedere a solo Patre, ac insuper illud, quod Macarius non in doctrina catholica sed in emotae mentis fictionibus reperit, Filium personam videlicet tertiam generari a prima et secunda, Patre et Spiritu Sancto.

3° Macarius velut magnum aliquid dicens, cum Marco Ephesio (quem ipse in canonem Sanctorum refert), interrogat, cur Christus postquam missionem Spiritus Sancti tum Patri tum sibi attribuit, *immediate post illa verba* loquens de processione, dixerit, qui *a Patre* procedit, non vero, qui *a nobis* procedit? (1).

a) Respondemus, id factum esse, quia aeterna Sapientia de verbis, quibus suam doctrinam traderet Apostolis et Ecclesiae, noluit consulere homines, qui nunc quaerunt, cur non ipsa haec verba dixerit, *qui a me procedit,* sicut alii interrogant, cur non dixerit: Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres personae consubstantiales (obiectio Arianis frequens); cur non dixerit: haec est vita aeterna, ut cognoscant te et me et Spiritum Sanctum solum verum

(1) « Cet envoi (du Saint-Esprit) il l'attribue soit au Père, soit à lui même; en leur disant: et je vous l'enverrai (Jean. XV. 26, comp. XIV. 26.). Mais dès qu'immédiatement après ces paroles il commence a parler de la procession du S. E. ce n'est plus que le Père qu'il indique sans faire aucune allusion à sa propre personne. Pourquoi donc demanderons-nous avec saint Marc d'Ephèse, notre divin Sauveur après avoir parlé si directement de lui-même, et attribué à lui-même ainsi qu'au Père l'envoi du S. E. n'est-il pas dit également de la procession *qui procède de nous?* » pag. 332.

Deum (Pneumatomachi apud s. Basilium cont. Eunom. l. V. p. 310. 311); cur non dixerit alia multa, quae vanissimi sophistae sibi fingunt, donec ad eam blasphemiam delabantur, ut affirment, Christum ipsum modo suae praedicationis induxisse varietatem in doctrina, « hanc enim varietatem nisi ipse voluisset, clarius esset locutus » (Ephemered. Eccl. Darmstad. apud cl. Ioerg Hist. Protest. T. I. p. 126.).

b) Falsum est, *immediate* antea Christum enuntiasse missionem Spiritus Sancti a Patre simul et a Filio. Declaravit in alio contextu Io. XIV. 26. missionem a Patre, et in alio XV. 26. missionem a Filio. Sicut vero in missione a Patre includitur Filius, et in missione a Filio includitur Pater, quia virtute mittendi Pater et Filius unum sunt: ita non minus in processione a Patre includitur Filius; ideo enim Pater et Filius in virtute mittendi tertiam personam divinam unum sunt, quia unum sunt in virtute spirandi, ut ss. Patres docent et praeclare demonstravit Card. Bessarion (Th. XXXIII.).

c) Non solum hoc ipso loco Christus implicite comprehendit processionem sicut a Patre ita a Filio, ut ostensum est Th. XXXIV; sed etiam paulo postea cap. XVI. ipsa descriptione processionis explicite docet, personam tertiam accipere a secunda, sicut secunda omnia accipit a prima persona (Th. XXXII.). Quemadmodum ergo locis distinctis docuit primo missionem a Patre, deinde missionem a Filio; ita etiam prius explicite enuntiavit processionem a Patre, non excludendo sed includendo Filium, et postea explicite declaravit processionem a Filio, includendo Patrem.

Rationem, cur Filius sicut alia sua attributa aliis locis, ita hoc loco spirationem Spiritus Sancti referat explicite ad Patrem, declarat s. Augustinus pluribus in locis, quorum aliqua citavimus in Th. XXXIV. Quod autem Macarius locum Augustini ex l. II. c. 14. n. 1. contra Maximinum, ubi haec eadem ratio explicatur, audet in suspicionem adducere interpolationis absque ullo fundamento (1),

(1) Rationes quas ad probandam interpolationem affert ex contextu sermonis, profecto ridendae sunt, si vel obiter perspecta habeatur doctrina Augustini. S. Doctor nempe sicut h. l. ita alibi saepius (e. g.

hominis impudentis est. « Iste Spiritus utriusque, inquit Augustinus, quoniam de utròque procedit. Sed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait, *de Patre procedit,* quoniam Pater processionis eius est auctor (principium primordiale sine principio), *qui talem Filium genuit, et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus.* Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis, accipite Spiritum Sanctum, eumque insufflando daret, ut a se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte. Quia ergo si *nasceretur,* non tantum de Patre, nec tantum de Filio, sed de ambobus utique nasceretur, sine dubio *Filius diceretur amborum.* Ac per hoc, *quia Filius amborum nullo modo est,* non oportuit *nasci* eum de ambobus » Augustin. l. c. Neque vero ille solus locus; sed tota Augustini doctrina de Trinitate, eiusque quam plurimae et prolixae disputationes de processione ac modo processionis a Patre et Filio a Graeculis exscindendae essent, si professionem huius dogmatis ex operibus s. doctoris eliminare vellent. Quod deinde Macarius auctoritatem Augustini parvi facit, ubi haeresim Photianam iam ante eius ortum coarguit, id mirum non est; sed profecto mirum, quod audeat dicere unum Augustinum repugnare toti Ecclesiae in doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio (1), cum evidenter demonstretur

Trin. l. XV. n. 47; in Io. tract. 99. n. 9.) in quaestione, cur Spiritus Sanctus non dicatur genitus ut Filius, hanc solet dare rationem, quia non de uno Patre, sed de Patre simul et Filio procedit (ut subsistens sanctitas vel charitas ex ambobus). Ita etiam Epiphanius docet, Spiritum non dici Filium, quia non a solo Patre sed a Patre et Filio procedit Ancorat n. 71; Haeres 74. n. 8. Paschasius Diaconus, « si requiras, inquit, quid inter nascentem et procedentem distet, evidenter hoc interest, quia iste ex uno nascitur, ille ex utroque progreditur » De Spir. S. l. I. c. 12. cof. Isidor. Etymol. VII. c. 3. n. 8. Macarius hoc non intelligens confidenter exclamat: n'est-ce pas là evidemment une interpolation? Neque vero sanctos Patres et maxime Augustinum homo alibi legisse videtur, quam in citationibus hinc inde congestis in libris theologorum schismaticorum Zoernikawii et similium.

(1) « Supposons même l'intégrité de ce passage d'Augustin (benigne supponunt id, de quo nemo mortalium dubitare potest; et unum dumtaxat noverunt testimonium, ubi sunt plurima), que signifie l'asser-

unanimis ss. Patrum et totius Ecclesiae a Spiritu Sancto custoditae consensus in dogmate revelato, contra quod primus Photius ad suam ambitionem suumque schisma tuendum haeresim conflavit.

§. II. *De processione ut radice missionis.*

Disputat Macarius adversus argumentum, quo catholici theologi cum ss. Patribus processionem Spiritus Sancti a Filio demonstrant ex virtute mittendi et missione tertiae personae divinae, quae virtus ac missio una communis est in Patre et Filio (Th. XXXIII). Argumentationes deducit ex incompleta ac detorta notione *missionis*, atque hinc ex testimoniis praepostere adhibitis Scripturae et Patrum.

1° Quoad ipsam missionem, adversarius noster considerat tantummodo actionem in creatura seu *ad extra*, planeque supprimit fundamentum ipsum in missione *personae divinae* et elementum essentiale, quoties missio non in Verbo incarnato spectatur secundum quod homo est, sed in persona secundum divinam naturam. Hoc fundamentum non est aliud, quam relatio originis personae missae ad mittentem, ut satis in Thesi XXXIII. demonstratum habes. Ideo ss. Patres missionem personae a persona contra Sabellianos urgebant velut argumentum ineluctabile distinctionis, non iam solum inter diversas manifestationes ad extra, quas haeretici illi ultro concedebant, imo in quibus ipsi constituebant unius hypostaseos tres personas (τρια προσωπα) h. e. tres diversas apparitiones; sed PP. asserebant ex ipsa missione realem demonstrari distinctionem inter unum mittentem et alium missum; « neque enim ipse (Spiritus) se ipsum mittit, » ut ait Basilius l. c. cont. Eunom. p. 297. Huiusmodi vero realis distinctio inter personas divinas numquam alia a PP. agnita est, nisi ex relationibus originis missi a mittente.

In hoc porro ipso quod missio comprehendit relationem

tion d'un seul Docteur devant celle de l'Eglise entière? » (h. e. nihil valet testimonium omnium ss. Doctorum et totius Ecclesiae contra synagogam schismate divulsam, haeresi computrescentem).

originis personae missae ad alteram, a qua mittitur, sola est causa, ut Augustinus saepe docet, cur Pater numquam, genitus vero Filius a genitore, Spiritus Sanctus ab utroque missus dicatur in Scripturis.

Sed adversarius novam reperit rationem, quam puto ne suis quidem persuadebit, cur Pater missus numquam dicatur; quia nimirum, Macario teste, Patri nulla tribuitur particularis actio in mundo (1). Multa ab homine contra veritatem pugnante possunt dici absurda; sed haec, fateor, omnem meam vicerunt exspectationem. Vera est omnino propositio contraria; quia nempe *omnis divina operatio principaliter,* ut loquitur Augustinus, vel tamquam *principio primordiali* (ἀιτιᾳ προκαταρκτικῃ) seu *lumini prototypo* (φωτι πρωτοτυπῳ) (2), ut explicant Patres graeci, tribuitur Patri, estque in Patre non communicata ab alio principio (3):

(1) Mais la Sainte-Ecriture n'attribuant au Père *aucune action particulière dans le monde*, il n'est point étonnant, qu'elle ne représente pas le Père comme envoyé par le Fils et le Saint-Esprit p. 334.

(2) *'Εν περινοιᾳ μεν του ἀγεννητου φωτος καταστάντες, ἐκειθεν παλιν το 'ξ ἀυτου φως κατα το προσεχες ἐνοησαμεν ὁιον ἀκτινα τινα τῳ ἡλιῳ συνυφισταμενην.... και παλιν ἑτερον τοιουτον φως, κατα τον ἀυτον τροπον, ὀυ χρονικῳ τινι διαστηματι του γεννητου φωτος ἀποτεμνομενον, ἀλλα δι ἀυτου μεν ἐκλαμπον, την δε της ὑποστασεος ἀιτιαν ἐχον ἐκ πρωτοτυπου φωτος* Nyssen. contr. Eunom. l. I. (Migne T. XLV. p. 416)

(3) « Pater meus usque modo operatur, et ego operor.... non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater enim.... omnia demonstrat ei, quae ipse facit...... sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat...... Ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, et qui misit me Pater, testimonium perhibuit de me » Io. V. 17. sqq. « Pater in me manens ipse facit opera » ibid. XIV. 10. Haec et his gemina ubivis obvia, Photianus cogetur negare; « nulla enim particularis operatio in mundo tribuitur Patri; » profecto autem opera, de quibus agitur, suscitatio mortuorum, testimonium Patris de Filio, sunt operationes particulares, eaeque omnes ab ipso Filio *principaliter* tribuuntur Patri. Aut vero in Russia dicendum erit, omnes has operationes communicatas a Patre in Filium, sicut demonstrant huius missionem ab illo, ita non minus demonstrare Patrem missum a Filio, ex qua sapientissima doctrina sponte deinde consequetur, propositionem toties a Christo Domino repetitam, « Pater misit me », esse synonymam huic alteri hactenus inauditae: « ego misi Patrem. »

haec est ratio, cur Pater ab alia persona missus in Scripturis et a Patribus numquam dicatur nec dici possit; ipse vero per communicationem essentiae cum respectu ad extra tum Verbum, tum ut unum cum Filio principium personam tertiam Spiritum Sanctum mittere verissime doceatur. Hinc etiam in theophaniis, ubi modo Pater modo Filius modo Spiritus Sanctus apparuit, audivimus ab Augustino (Th. VI. et XLII.), Filium quidem a Patre, Spiritum Sanctum a Patre et Filio missum dici *propter principii commendationem;* sed Patrem quamvis per subiectam creaturam apparuerit, nec dici nec nisi absurdissime censeri posse missum, « quoniam solus non habet auctorem. »

2° Verum sententiam catholicorum theologorum, qua missio personae divinae dicitur includere originem missi a mittente, Macarius affirmat repugnare Scripturis et doctrinae ss. Patrum.

Ex Scripturis profert testimonium Is. XLVIII. 16; LXI. 1; Luc. IV. 18, quibus locis ait, Filium dici missum a Spiritu Sancto, qui sane non est principium Filii. Photianus noster aliquid saltem in confuso inaudivisse videtur de explicatione sensus genuini; sed eam minime sincere exponit. Ita ille argumentatur. « Catholici obiiciunt, a Spiritu Sancto missum esse Filium ratione suae humanitatis, ut redemptorem mundi, non vero quantum ad divinitatem. At imprimis Pater ipse Filium misit in mun-

Eadem valent de locis aliis, ubi « actione particulari in mundo » manifestatur Pater et Filius e. g. in transfiguratione, vel Pater, Filius et Spiritus Sanctus e. g. in baptismo Christi Domini, vel ubi « actio particularis » divisionis gratiarum Spiritui, ministrationum Filio, operationum (ἐνεργημάτων) Patri attribuitur 1. Cor. XII. 4–6. cf. Eph. IV. 4–6. Imo in ipsis terminis Macarius sibi contradicit, nam ipsa activa missio in eius sententia nihil est aliud, quam operatio *ad extra*. Ergo quoties Pater dicitur mittere Filium vel Spiritum Sanctum, toties tribuitur eidem Patri « particularis actio in mundo ». Unde, quia ex eius opinione quaevis persona propter attributam ei operationem *ad extra* potest dici missa a quavis alia persona nullo habito respectu originis, Pater eo ipso quod mittit Filium et Spiritum Sanctum, ab iisdem etiam mitti dicendus erit, quod quidem commentum theologia Photiana est dignissimum.

dum non quantum ad divinitatem, sed ut factum ex muliere (Gal. IV. 4), ut redemptorem hominum. Secundum divinitatem unum cum Patre replet omnia, nec potest mitti aut transire de loco in locum. Porro etiam Spiritus Sanctus a Patre et Filio *non est missus in mundum quantum ad suam divinitatem,* qua unum cum ipsis semper est ubique. Sed missio Spiritus Sancti in mundum per Patrem et Filium debet cum antiquis DD. intelligi unice *de formis sensibilibus, sub quibus ipse (Spiritus) super Apostolos descendit,* ac deinde de donis in animis fidelium, ac generatim de manifestatione suae gratiosae et mirabilis potentiae in aliquo loco, licet vi suae divinitatis ibi fuerit omni tempore » p. 333. nota 2.

Fatendum est, maiorem omnium notionum perturbationem paucis verbis vix potuisse complicari, quam hic factum sit a Macario. Quando de missione divinae personae agitur, distingui in primis debet persona quae duas habet naturas sibi proprias, divinam et humanam, Deus–homo, Verbum incarnatum; illaque propterea considerari debet pro duplici statu, naturae humanae vel assumendae vel assumptae; tum distinguatur oportet persona cuius una dumtaxat est natura divina, Spiritus Sanctus. Verbo incarnato, supposita incarnatione, sicut duae naturae ita praedicata conveniunt duplicis ordinis, divina et humana: adoratur ut verus Deus, ut verus homo adorat Deum unum et trinum; divina potestate regnat, humana subiectione obediens factus est usque ad mortem Deo uni et trino; ipsi ut Deo offertur sacrificium, ipse ut homo offert et offertur, sacerdos et victima (de Incarn. Th. L). Ita ergo etiam *mitti* aliter atque aliter ei competit. Ut Deus, quatenus tamen est persona distincta procedens a solo Patre (μονος μονογενως), a solo Patre mittitur; non secundum auctoritatem imperii, sed quemadmodum Deum decet (θεοπρεπως), secundum ἀξιωμα paternitatis, quia a Patre aeternaliter generatur, mittendus in tempore *ad assumendam humanam naturam.* Ut homo in natura assumpta mittitur auctoritate Dei unius et trini *ad opera redemptionis;* videlicet mittitur a Patre et Spiritu Sancto significatione propria (ratione

distinctionis personarum), et significatione minus stricta *missionis* (quae in suo sensu proprio includit distinctionem mittentis et missi) ipse ut Deus, mittit seipsum ut hominem (ratione distinctionis non personarum sed naturarum).

Hanc duplicem diversam rationem missionis Filii, *quia Verbum caro factum est,* et alteram *ut Verbum caro fieret,* praeclare explicat Augustinus. Primo quatenus Christus spectatur ut homo, s. doctor concedit non ratione naturae praeexistentis, quod contendebant Ariani, sed ratione humanitatis assumptae, *minorem missum esse a maiore,* hominem nempe a Deo. « Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, usque adeo parvum, ut factum; *eo itaque missum,* quo factum. Si ergo maior mittit minorem (ut obiiciebant Ariani), fatemur et nos factum minorem, *et in tantum minorem in quantum factum, et in tantum factum in quantum missum.* »

His continuo subdit alteram a solo Patre missionem Filii secundum divinam naturam. « Si autem secundum hoc missus a Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit, ut credamus aequalem Patri esse Filium et consubstantialem et coaeternum, et tamen *a Patre missum Filium.* Non quia ille maior est, ille minor; sed quia ille Pater, ille Filius; ille genitor, ille genitus; *ille a quo est qui mittitur, ille qui est ab eo qui mittit.* Filius enim a Patre est, non Pater a Filio. Secundum hoc iam potest intelligi, *non tantum ideo dici missus Filius quia Verbum caro factum est, sed ideo missus ut Verbum caro fieret...* id est *ut non tantum homo missus intelligatur quod Verbum factum est, sed et Verbum missum ut homo fieret;* quia non secundum imparem potestatem vel substantiam vel aliquid quod in eo Patri non sit aequale, missus est; *sed secundum id quod Filius a Patre est, non Pater a Filio...* Quid ergo mirum, si mittitur, non quia inaequalis est Patri, sed quia est manatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera? (Sap. VII. 25)... *Ab illo itaque mittitur, a quo emanat* (Sapientia hypostatica). Sed aliter mittitur ut sit cum hominibus, aliter missa est ut ipsa sit

homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei et prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos angelos, et omnia talibus ministeriis congrua per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, missa est (eadem Sapientia), non ut impleret angelos, nec ut esset angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod (consilium) et ipsius erat; nec ut esset cum hominibus aut in hominibus, hoc enim et antea in patribus et prophetis; *sed ut ipsum Verbum caro fieret, id est homo fieret... Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum; ab illo mittitur, de quo natum est; mittit qui genuit, mittitur quod genitum est.* » Eandem deinde docet connexionem inter processionem et missionem Spiritus Sancti a Patre et Filio. Aug. de Trin. l. IV. n. 26-29.

Hac limpidissima doctrina posita iam evidens est, illa duo aut tria testimonia, in quibus Filius dicitur missus a Spiritu Sancto, intelligi alio modo non posse nisi, supposita incarnatione, de Christo quatenus homo est; seu ut Augustinus loquitur, de homine misso *quod Verbum factum est,* non autem de Verbo misso *ut homo fieret.* Et sane textus et contextus Scripturarum id luculenter demonstrant.

In loco priori Is. XLVIII. 16. « Dominus misit me et Spiritus eius, » (1) sensu litterali verba sunt Cyri liberantis populum Israël ab exilio, ut putarunt Cyrillus Alexandrinus (in Is. l. IV. or. 3. in h. l.) aliique. Quandoquidem a me Deo vero haec (quae praecesserant de liberatione per Cyrum), antequam fierent, patefacta sunt vobis, « audite Cyrum dicentem: Dominus misit me et Spiritus eius » Cyrill. l. c. Vel multo probabilius verba sunt prophetae de se ipso, qui ad prophetandum populo se missum dicit a Domino et Spiritu eius, ut praeter alios explicuerunt Hieronymus et Theodoretus in h. l. et ex recentioribus Cor-

(1) Memoratu dignum est, quod Didymus, s. Hieronymo interprete minime improbante, locum Isaiae longe aliter legerit. Non solum Filius, inquit, sed etiam Pater mittit Spiritum Sanctum, idque confirmat ex verbis Isaiae, quae et ipse in persona Filii dicta assumit: « Dominus misit *me et Spiritum suum;* siquidem non solum Filium, sed Spiritum mittit Deus (Pater) » Didym. de Spir. S. n. 26.

nelius a Lapide ceterique. Concedimus tamen ultro, quod etiam Hieronymus, Theodoretus et plures Patres alii indicant, Isaiam vel Cyrum typum gessisse Messiae redemptoris. At profecto missio Isaiae ad prophetandum, aut Cyri ad liberandum populum, non erat typus missionis Verbi ut homo fieret, seu *carnis assumendae;* sed *supposita assumptione carnis typus erat Messiae* mittendi a Domino et Spiritu eius ad praedicandam salutem et universim ad opera redemptionis. « Iuxta Symmachum (auctorem unius ex versionibus graecis), inquit l. c. Hieronymus, ad Domini personam refertur. *Iuxta fragilitatem carnis assumptae* dico, quod Dominus miserit me et Spiritus eius. »

Locus alter Is. LXI. 1; Luc. IV. 18. non solum sensu typico (quamvis ita sensisse videatur s. Thomas in h. l. cum aliis) (1), sed omnino litterali intelligendus est de Christo. Verum ad rem de qua agitur, nihil pertinet. Nam α) Photiani ut aliquid dicerent, deberent hic intelligere ipsum Verbum in sua divina natura *missum* ad assumendam humanam naturam. Atqui si ita intelligi posset, iam non Spiritus Sanctus, sed solus Deus Pater *mittens* diceretur. Distinctio enim est trium personarum, quae sunt: Dominus cuius est Spiritus, Messias missus (Filius), Spiritus Domini. Ex his tribus *persona mittens* in textu hebraico, in versione latina vulgata et syriaca (cf. Act. X. 38) expresse dicitur *Dominus* paulo ante distinctus a Spiritu: « Spiritus *Domini* super me, eo quod unxerit *Dominus* me, ad annuntiandum mansuetis misit me. » (2) Penes LXX

(1) Etiam targumista Ionathan, quod sane in Iudaeo mirandum non est, locum refert ad ipsum prophetam; hoc autem qui admiserint interpretes christiani, ii propter citationem Luc. IV. 18. ab ipso Christo factam, ultra istum suppositum sensum litteralem alterum typicum superaddant necesse est. Ionathan circumscribit: « Dixit propheta: spiritus a Domino Deo super me, eo quod inauguravit me Dominus ad annuntiandum mansuetis, misit me ad confortandum contritos corde ».

רוּחַ אֲדֹנָי יֱהוִֹה עָלָי יַעַן מָשַׁח יְהוָֹה אֹתִי לְבַשֵּׂר עֲנָוִים שְׁלָחַנִי

(2) Si fas esset *missum* hic intelligere ipsum Verbum secundum naturam divinam, relatio Spiritus ad Verbum expressa intelligi deberet in illa particula « *Spiritus super me* » vel « *in me,* » ac proinde sententia

secundum quos citat s. Lucas, in altero inciso nomen *Dominus* omissum quidem est, sed facillime ex textu originali subintelligendum. At β) undequaque evidens est tum penes prophetam tum in applicatione ab ipso Salvatore facta penes Lucam, hic Christum dici sicut unctum ita etiam missum secundum humanitatem. In assumpta enim natura Christus ungitur a Spiritu Sancto tum unctione substantiali per unionem humanae naturae cum Verbo, tum unctione accidentali per diffusionem omnium donorum in ipsa natura humana, (1) quae alio loco ab Isaia describuntur Is. XI. 2-3 (cf. de Incarnat. Th. XLI.). In eadem igitur natura assumpta Christus homo missus dicitur ad annuntiandum mansuetis. « Bene *super me* dixit, quia ut filius hominis loquebatur; quasi filius enim hominis et unctus et missus est ad evangelium praedicandum » s. Ambros. de Spir. S. l. III. c. 1. n. 2. Haec missio Christi ad opera redemptionis tum ex hoc loco tum aliunde demonstratur non minus ad Spiritum Sanctum quam ad Patrem pertinere; ea enim non est ratione processionis personae a persona, sed ratione *inferioris naturae humanae.* Ita etiam initio eiusdem capitis penes Lucam legitur: « Iesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane, *et agebatur a Spiritu in desertum* » Luc. IV. 1; et « egressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilaeam » ib. 14; et in Spiritu Dei eiiciebat daemonia Matth. XII. 28; et « Iesum a Nazareth unxit Deus Spiritu Sancto et virtute » Act. X. 38. « Haec autem (ait Didymus explicans eadem loca Scripturae) absque ulla calumnia *de Dominico homine,* qui totus Christus,

revocaretur ad illud, quod Dionysius Alexandrinus et Athanasius dicunt: « Spiritus Sanctus semper est in manibus *Patris mittentis* et *Filii ferentis* » (vide cit. in Th. XXXV.); sicque ipsam processionem ex Patre et Filio indicatam censere oporteret.

(1) « Neque enim sine gratia Spiritus Sancti est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Nam et ipse dicit de se fuisse propheticum illud impletum: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. Quod enim est unigenitus aequalis Patri, non est gratiae sed naturae; quod autem in unitatem personae unigeniti assumptus est homo, gratiae est, non naturae » Augustin. in Io. tract. 74. n. 3.

unus est Iesus Filius Dei, sensu debemus pietatis accipere, non quod alter et alter sit (ut aiebant Gnostici et postea Nestoriani); sed quod de uno atque eodem quasi de altero, secundum naturam Dei et hominis, disputetur » Didym. de Spirit. S. n. 43.

Duae sunt igitur diversae rationes missionis Filii secundum aliam et aliam naturam, quarum prior secundum divinam naturam concipi non potest, nisi spectata origine Filii a Patre cum connotatione naturae assumendae seu generatim termini *ad extra*, et ideo nec est nec umquam legitur hoc modo Filius missus nisi a solo Patre; haec enim missio non est per auctoritatem maioris in minorem, sed est divini consilii ad incarnationem et redemptionem irradiatio (ἔμφασις ὡς ἐν κατόπτρῳ, ut Basilius loquitur de Spir. S. n. 20) a Patre in Filium per ipsam generationem aeternam. Missio altera ut in Scripturis exhibetur, ad Christum Dominum supposita incarnatione refertur, et peragitur per auctoritatem divinae maiestatis et voluntatis in assumptam naturam humanam, secundum quam Filius vere factus est obediens. Apud aliquos vero Patres *missio* Filii praeterea dicitur ratione naturae humanae, quatenus haec una communi operatione Trinitatis unitur Filio ita, ut Verbum vere sit homo. Utroque hoc modo Christus homo mittitur una divina voluntate et una operatione Patris et Filii et Spiritus Sancti, adeoque proprie mittitur a Patre et Spiritu Sancto, personis a se distinctis, et aliquo sensu mittitur ipse homo a se ipso Deo, quoniam (ut diximus) haec missio non fundatur in ordine originis personarum, sed in diversitate naturae, divinae gubernantis et humanae subiectae.

Iam vero Spiritus Sancti non nisi una est natura, nempe divina. Hoc ergo ipso, missus nec intelligi nec dici potest nisi priori illa ratione, quae revocatur ad processionem missi a mittente; nec aliud huic relationi aeternae missio superaddit quam connotationem termini *ad extra*, efficientiae nempe supernaturalis in tempore et in creatura. Haec efficientia licet sit communis tribus personis, attamen relata ad Patrem et Filium qui mittunt Spiritum Sanctum,

manifestat virtutem seu essentiam communicabilem, relate ad Spiritum qui ab eis mittitur, manifestat eandem virtutem seu essentiam ab eisdem communicatam. Aliis verbis hoc idem dicimus: missio personae secundum divinam naturam spectatae non designat in SS. Trinitate divisionem operationum *ad extra*, sed ordinem personarum *ad intra*.

Egregie hoc discrimen inter missionem sive Filii secundum divinitatem sive Spiritus Sancti, et alteram Christi hominis declaravit eximius ille fidei catholicae defensor et doctrinae Augustinianae explanator s. Fulgentius Ruspensis (1). « Filius est a Patre missus, non Pater a Filio, quia Filius est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus Sanctus a Patre et Filio legitur missus, quia a Patre Filioque procedit. Sed quia non uno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea *in sacramento incarnationis* non solum a Patre verum etiam ab Spiritu Sancto missus est Filius, quia mediator Dei et hominum homo Christus Iesus *totius est Trinitatis operatione plasmatus. Alio autem modo mittitur a Patre et Filio Spiritus Sanctus, qui naturaliter a Patre Filioque procedit.* Mittitur enim a Patre et Filio Spiritus Sanctus, cum ab ipsa Trinitate uno Deo spiritalis gratiae donatur effectus. *Aliter vero a Patre et Spiritu Sancto missus est Filius,* quando se ipsum exinaniens formam servi accepit. Neque enim hoc est in personam suam accipere carnem, fierique Verbum hominem, quod est invisibili potentia conferre cuiusquam muneris largitatem. Non enim vere Spiritus Sanctus columba factus est, aut vere ignis factus est, quando eum talium rerum visione significari oportuit. Verbum autem caro factum est, quando unigenitus Deus carnem accepit. Quod tamen non aliena potestate sed

(1) S. Fulgentium, quem veteres praedicant « catholicae Ecclesiae singularem magistrum et doctorem » (Vita Fulgentii a discipulo conscripta n. 61), Macariana eruditio nobis narrat fuisse « Ruspini (sic) Episcopum inter scriptores obscuros (écrivains peu connus) saeculi VI.» Et quod non minoris stuporis est, unicum tantum novit Fulgentii testimonium (ex l. de Fide ad Pet. c. 11), quod « putatur probare (censé prouver) processionem ex Patre et Filio.» Macar. p. 411. 412. Vide nostram Thesim XXXV. n. II.

propria fecit, neque suâ tantum, quia illud pietatis sacramentum totius Trinitatis est una voluntate ac potestate perfectum » Fulg. cont. Fabian. fragm. 29.

Utramque rationem Gregorius quoque Magnus explicat, commentans illa verba: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. « Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit.... Quia ergo Filius amatur a Patre, et tamen *ad passionem mittitur;* ita et discipuli amantur a Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum.... Quamvis *mitti etiam iuxta naturam divinitatis* possit intelligi. *Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur.* Nam Sanctum quoque Spiritum, qui cum sit coaequalis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet (Io. XV.26)... Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, Sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est. *Sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio.* Sicut itaque Spiritus mitti dicitur quia procedit, ita et Filius non incongrue *mitti dicitur quia generatur* » Gregor. M. in Evang. hom. 26. n. 2.

Nunc fiat iudicium de confusione Macariana, quam initio huius discussionis descripsi. Nec Filius, inquit, nec Spiritus Sanctus mitti potest secundum divinitatem, quia non potest transire de loco in locum.

a) Hoc commentum recte ducit ad Arianorum haeresim, qui eadem hac crassa notione missionis praestituta, Filii et Spiritus Sancti divinitatem negabant ex ipsa *missione,* quod ea includat transitum de loco in locum. Cum enim in Scripturis et in traditione evidenter doceatur, Filium non solum assumpta iam humanitate quae est circumscripta loco et tempore, sed in una dumtaxat natura praeexistentem a Patre missum esse ad assumendam humanitatem; pariterque personam tertiam Trinitatis, Spiritum Sanctum cuius una tantum natura est, a Patre mitti ac Filio; consequitur necessario, siquidem missio includat circumscriptionem et transitum ad locum, ubi missus antea non erat, tum Filium in ipsa sua natura praeexistente tum Spi-

ritum Sanctum, esse circumscriptum loco; ideoque non esse naturae divinae. Haec argumentatio Arianorum passim obvia apud ss. Patres, non alia responsione rite solvitur, quam negando illam notionem *missionis* Arianam et Macarianam, ineptam et Deo indignam.

b) Praeterea Photiana ista doctrina qua missio Spiritus Sancti dicitur intelligenda esse *unice* de donis et efficientiis ad extra, non autem de ipsa persona divina, si serio urgeatur, deducit ad negationem personae Spiritus Sancti. Profecto enim Christus Dominus in illis locis, in quibus data opera et expressius sermonem habet de tertia distincta persona Trinitatis, loquitur *de missione Spiritus Sancti.* « Rogabo Patrem, et *alium Paraclitum dabit vobis,* Spiritum veritatis... apud vos manebit, et in vobis erit.» « *Paraclitus Spiritus Sanctus quem mittet* Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. » « Cum venerit *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,* Spiritum veritatis qui a Patre procedit. » Si non abiero « Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero *mittam eum ad vos.* » Io. XIV. 16. 26; XV. 26; XVI. 7. Iam vero si iuxta Photianam sententiam *missio Spiritus Sancti* intelligitur *unice* de donis et efficientiis ad extra; non autem de ipsa persona, Christus pollicendo *missionem Paracliti* et *alterius Paracliti,* et *Spiritus procedentis a Patre,* nihil promitteret aliud quam *dona et efficientias ad extra,* et *dona alia,* et *dona quae dicerentur procedere a Patre.* Huiusmodi autem dona creata non sunt propria uni personae, sed donantur una operatione a personis divinis. Pollicitatio ergo *Spiritus Sancti mittendi* in omnibus his locis absurde reducetur ad promissionem donorum creatorum, quae impertiantur fidelibus a Patre et Filio, ipseque *Spiritus Sanctus missus* donum creatum erit Patris e Filii.

c) Unde haec sententia quod persona secundum divinam naturam spectata mitti non potest, continet manifestum errorem contra disertam doctrinam Scripturae; perinde enim est dicere, Spiritum Sanctum non esse missum secundum divinam naturam, ac simpliciter negare missionem personae Spiritus Sancti. Nam persona cuius nonnisi una

divina est natura, si spectata secundum hanc suam naturam non mittitur, nullo modo mittitur. Re sane vera Macarius affirmat, missionem in Scripturis dici tantummodo de formis sensibilibus, e. g. ignis, de donis creatis in animis fidelium, et de manifestationibus divinae omnipotentiae. Atqui ista omnia non sunt ipsa divina persona missa, sed tantummodo effectus non unius sed trium personarum, et signa ipsius personae missae. Ergo perspicue contra Scripturas negat missionem ipsius personae divinae, et absurde affirmat signa missionis sine missione personae. Contradictio tam manifesta est, ut Macarius ipse negando missionem personae Spiritus Sancti, eam simul affirmare coactus fuerit. « Missio, inquit, Spiritus Sancti debet intelligi *unice de sensibilibus formis,* sub quibus *ille (Spiritus) super Apostolos descendit,* et deinde de donis, et de manifestatione potentiae admirabilis. » (1) Hic negatur, missionem referri ad ipsam personam Spiritus Sancti, siquidem ea *unice* intelligi debet de sensibilibus formis ac de donis, simul vero affirmatur, ipsum Spiritum Sanctum qui sane divina persona est, descendisse super Apostolos, adeoque secundum Christi pollicitationem fuisse missum Apostolis. Ergo totidem verbis uno hiatu idem simul negatur et affirmatur.

In summa cum Photiani missionem divinae personae non in persona ipsa considerant, sed *tantummodo* in effectibus *ad extra,* qui non sunt tota ratio missionis, sed sunt aliquid *in termino, ad quem* persona mittitur, vel *quo manifestatur* missio personae; ipsam doctrinam revelatam de unitate et distinctione divinarum personarum perturbant ac pervertunt. Qui vero missionem in sola relatione personae missae ad mittentem spectaret, is nec supernaturales effectus et elevationem creaturae, nec plenam notionem missionis, nec propterea modos loquendi Scripturae de missione in tempore et in creatura loco circumscripta satis explicaret. Tum ergo aeterna

(1) L'envoi du Saint-Esprit dans le monde par le Père et le Fils doit s'entendre *uniquement,* comme le firent les anciens Docteurs de l'Eglise (!!), d'abord *des formes sensibles,* sous les quelles *il descendit sur les Apôtres* le jour de la Pentecôte, ensuite de l'effusion de ses dons » p. 334.

relatio originis personae missae ad mittentem, seu quod perinde est, aeterna communicatio essentiae, consilii, voluntatis, operationis a mittente in personam missam prae oculis habeatur necesse est, tum simul spectetur personae missae tamquam ab altera procedentis manifestatio per effectus supernaturales sive visibiles sive invisibiles in creatura, qui licet sint communes toti Trinitati, nihilominus unam personam quae dicitur *mittere*, exhibent ut principium, alteram quae ab ea *mittitur*, ut ab eadem procedentem. His enim duobus, aeterna relatione originis *ad intra*, et temporali efficientia *ad extra* illam manifestante, vera ac integra notio *missionis* personae secundum divinam naturam spectatae constituitur ac completur. Vide Theses nostras XXXIII. n. II. et XL.

3° Reliquum est, ut dicamus de Patribus, ad quos Macarius ad commentitiam suam notionem de missione divinarum personarum fulciendam appellat.

a) Inducit Chrysostomum, qui dixerit non mitti Spiritum Sanctum secundum divinitatem, sed tantummodo dona Spiritus Sancti (1). At in primis homilia illa de Spiritu Sancto (T. III. p. 797 inter spurias), ex qua dictum istud desumitur, non est Chrysostomi sed ignoti auctoris. Deinde haud pauca in ea leguntur de Spiritu Sancto sin minus

(1) « Si audieris dicentem, mittam vobis Spiritum Sanctum, ne secundum divinitatem accipias; Deus enim non mittitur. Nomina sunt haec operationem (*ἐνεργειαν*) significantia..... Certe quisquis mittit, in alia mittit loca, in quibus (ipse mittens) non est... Quod si Deus ubique est, quonam igitur mittit, qui ubique est?... Quorsum igitur Deus mittit? An forte ipse quidem ubique est, is autem qui mittitur, non ubique?... Rursus si mansit supra, qui misit (Filium), et infra qui missus est, quomodo dicebat: et qui misit me, mecum est?... Igitur cum dicit, mitto vobis Spiritum Sanctum; hoc est donum Spiritus. Et ut discatis, donum mitti, Salvator dicit Apostolis, manete in Ierusalem, donec induamini virtute ex alto... Alia est virtus quae conceditur, et alius est Spiritus qui concedit.... Igitur tu non potes ostendere Spiritum Sanctum missum a pura deitate » (*πεμπομενον το πνευμα το ἁγιον ὑπο γυμνης της θεοτητος* i. e. a Patre et Filio, quem haeretici isti Semiariani Deum fatebantur negantes divinitatem Spiritus Sancti.) Ibi n. 10. 11. His subiiciuntur continuo ea, quae citavi (in Tractatu edit. 2. p. 476. *noto*) de missione Filii secundum carnem, attributa Patri et Spiritui Sancto,

falsa certe non plene dicta, quae ex magnis illis praeconibus Sancti Spiritus Athanasio (in epistolis ad Serapionem), Basilio (l. V. cont. Eunom., et l. de Spir. Sancto), Cyrillo (in Thesauro et in Ev. Ioannis) vel corrigenda vel supplenda sunt. Postremo ut sensus in illis verbis homiliae concilietur cum Patribus et cum ipsa Scriptura, statuendum est, auctorem *non plenam considerationem missionis* personarum divinarum, sed confutationem dumtaxat haeresis Arianae propositam habuisse; atque ideo assumpsisse pinguiorem illam notionem missionis ab Arianis invectam, qualis in humanis est, continens transitum ad locum, in quo missus prius non erat, imo etiam separationem missi a mittente. Huiusmodi autem limitationes et imperfectiones de effectibus *ad extra* dumtaxat et de donis creatis, non de divina ipsa persona affirmari possunt; atque adeo supposita *tali missione* creaturis propria, et demonstrante missum minorem mittente, sane negandum erat Spiritum Sanctum sensu hoc Ariano esse missum.

Ceterum haec auctoris istius responsio forte sufficere poterat, ut haereticorum obiectio contra divinitatem Spiritus Sancti petita ex eiusdem Spiritus missione, ad hominem argumentando, solveretur; sed certe concedendo vel permittendo haereticis falsum conceptum missionis satis non erat ad explicanda ea, quae in Scripturis et a ss. Patribus de missione ipsius Spiritus Paracleti docentur. Patres nempe respondentes Arianis, duplex considerant elementum essentiale in missione personae divinae, ut frequentissime Augustinus. Ea quae ibi occurrunt propria rebus creatis, et quae ab Arianis urgebantur, aiunt debere intelligi de effectibus ad extra tantummodo; in ipsa vero persona quae mittitur, « non inaequalitatem sed processionem » significari. Auctor vero ille pseudonymus consistens in priori dumtaxat elemento creato, quod ab Arianis opponebatur contra divinitatem personae missae, verissime quidem respondit, illud non proprietatem esse ipsius personae, sed effectuum ad extra; adeoque non simpliciter, sed hoc sensu Ariano, negavit missionem ipsius personae divinae. Photianus vero contra manifestam doctrinam Scri-

pturarum et Patrum ipsius personae missionem sensu catholico intellectam simpliciter negare cogitur ad suam haereticam negationem processionis Spiritus Sancti a Filio mittente sophistice tuendam.

b) Si Macarium audimus, « secundum doctrinam veterum Patrum Filius mittit Spiritum Sanctum, et vicissim a Spiritu Sancto mittitur proprie per unitatem essentiae et per participationem aut cooperationem unius cum altero in ipsorum actibus. » (1) Omitto dictum istud indignum theologo *de participatione* in actibus unius personae cum altera. Nulla ibi concipi potest *participatio,* ubi sicut essentiae ita omnis operationis est absoluta unitas; *participatio* divinarum perfectionum reperitur in creaturis derivata a Deo, causa exemplari et efficiente. Porro quod dicitur: « Filius mittit Spiritum Sanctum *per unitatem essentiae,* » vel nullum vel parum commode quidem expressum sed tamen omnino catholicum habet sensum contra ipsam haeresim Photianam, ad cuius defensionem Macarius ista inducit. Enuntiatur enim primum distinctio personalis inter Filium mittentem et Spiritum ab ipso missum; tum vero (si missio *per unitatem essentiae* aliquid significat) declaratur *principium, quo* Filius mittit Spiritum, *per unitatem nimirum h. e. per communicationem unius essentiae et operationis.* Atqui processio a Filio nihil est aliud, quam haec ipsa aeternalis communicatio essentiae a Filio in Spiritum Sanctum. Missio itaque personae divinae spectatae secundum divinitatem, sine dubio supponit unitatem essentiae in mittente et misso; sed unitatem essentiae quae est inter principium et procedentem a principio; atque adeo missio non est *per unitatem essentiae* absolute et per se spectatam, sed *per communicationem essentiae* a mittente in missum. Secus Pater a Filio et a Spiritu Sancto missus dici posset, quod « absurdissimum esse, » per se constat Christianis, ut ab Augustino audivimus. Unde evidens est

(1) Les plus fameux Docteurs de l'ancienne Eglise nous disent, que le Fils envoie le Saint-Esprit, et qu'il est lui-même envoyé par Lui, proprement *par leur unité d'essence,* comme par leur participation ou leur coopération aux actes l'un de l'autre » pag. 334.

absurditas alterius sententiae, qua dicitur Spiritus Sanctus mittere Filium *per unitatem essentiae.* Apud nullum Patrem aut doctorem catholicum hoc commentum umquam reperiet. Imo docent, cur Filius incarnatus secundum humanitatem, seu formaliter ut homo, etiam a Spiritu Sancto missus dicatur, rationem esse subiectionem naturae humanae sub natura divina, quae in Spiritu Sancto una est cum Patre et Filio; adeoque non *per unitatem essentiae* Spiritus mittit Filium, sed Spiritus essentiâ unum cum Patre et Filio mittit Filium ut hominem *propter diversitatem essentiae seu naturae assumptae.* Nihilominus videamus, quos « celeberrimos doctores veteris Ecclesiae » afferat Photianus ad suam assertionem muniendam.

α) Citat ex Ambrosio l. III. c. 1. de Spir. S. haec verba. « Pater Filium misit et Spiritus; Spiritum quoque et Pater misit et Filius. Si ergo se invicem Filius et Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est. » In hac ex contextu abrupta sententia Ambrosii unica quaestio est, quomodo Spiritus dicatur misisse Filium, num ratione inferioris naturae humanae in Filio incarnato, ut nos Patres docuisse affirmamus; an vero *per unitatem essentiae divinae*, ut Macarius asserit. Atqui Ambrosius hoc ipso loco diserte et studiosissime adversus Arianos ostendit, Filium tantummodo secundum inferiorem humanam naturam missum esse a Spiritu Sancto ut a superiore. « Nunc adiicimus, inquit, quod omnes iure mirentur, et dubitare non possint, *quod Spiritus super Christum;* et quod sicut ille Spiritum misit, et Filium Dei Spiritus misit. Dicit enim Filius Dei: ‚Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (Is. LXI. 1)... Et bene, *super me,* dixit, *quia quasi Filius hominis loquebatur; quasi Filius enim hominis et unctus et missus est ad evangelium praedicandum.* Sed si non creditur Filio, audiant etiam Patrem loquentem, *quia Spiritus Domini super Christum.* Dicit enim (Pater) Ioanni: super quem videris Spiritum descendentem de caelo.... Nec rursum moveat, quod *super eum* dixit; *de Filio enim hominis loquebatur, quia sicut*

Filius hominis baptizabatur. Nam secundum divinitatem non *super Christum* est Spiritus, sed in Christo; quia sicut Pater in Filio et Filius in Patre (per communicationem et unitatem naturae seu per generationem immanentem), *ita Dei Spiritus et Spiritus Christi et in Patre est et in Filio* (per processionem immanentem), *quia oris est Spiritus.* Manet enim in Deo (Patre) *qui ex Deo est,* sicut scriptum est: nos autem... accepimus Spiritum qui ex Deo est (1. Cor. II. 12); et manet in Christo, *qui a Christo accepit,* quia iterum scriptum est: ille de meo accipiet (Io. XVI. 14) (1)... Non ergo secundum divinitatem Christi super Christum est, quia non super se est Trinitas. » Postquam s. doctor hoc modo ostenderat, Spiritum Sanctum non esse maiorem Filio secundum divinitatem, licet possit dici maior Christo secundum humanitatem, secundum quam Filius incarnatus mittitur non solum a Patre sed etiam a Spiritu; ex hac ipsa missione demonstrat divinitatem Spiritus Sancti, quia Filius Dei primogenitus omnis creaturae, cui data est omnis potestas in caelo et in terra, etiam secundum humanitatem mitti non potest nisi a Deo. Ergo ex eo quod Filius mittit Spiritum Sanctum, Ariani non recte inferunt, Spiritum esse minorem Filio, quia nempe Filium incarnatum vicissim mittit Spiritus potestate sua, quae non potest esse nisi potestas divina. Hic est contextus verborum, quae avulsa Macarius citavit. Continuo enim iis quae descripsimus de missione secundum humanitatem,

(1) Filium *fontem Spiritus Sancti* diserte docet Ambrosius eodem hoc opere de Spir. S. l. I. c. 15. n. 152. « Accipe nunc quia sicut Pater fons vitae est, ita etiam Filium plerique fontem vitae memorarunt significatum, eo quod apud te, inquit, Deus omnipotens, Filius tuus fons vitae sit, hoc est, fons Spiritus Sancti, quia Spiritus vita est. » Quod plerique, non tamen omnes in Ps. 35. 10. fontem vitae intelligunt Filium, haec diversitas non sane ad ipsam doctrinam, quod Filius cum Patre fons vitae est, sed ad interpretationem dumtaxat verborum istius psalmi refertur. Hinc verbis disertis eodem loco (de Spir. S. l. I. n. 120.) Ambrosius ait: « Spiritus quoque Sanctus *cum procedit a Patre et Filio,* non separatur a Patre, non separatur a Filio. Quemadmodum enim separari potest a Patre, qui Spiritus oris eius est? quod utique et aeternitatis indicium, ac divinitatis exprimit unitatem. »

Ambrosius haec subiungit. « Quis est, qui dicit: misit me Dominus Deus et Spiritus eius; nisi qui venit a Patre, ut salvos faceret peccatores? Quem, ut audis, et Spiritus misit, ne cum legis, quia Filius Spiritum misit, inferioris esse Spiritum crederes potestatis. Ergo et Pater Filium misit et Spiritus (modo quo superius dixerat); Spiritum quoque et Pater misit et Filius (quia ex antea dictis Spiritus est Patris et Filii, a Patre procedens et a Filio accipiens)... Si ergo se invicem Filius et Spiritus mittunt (licet ratione diversa), sicut Pater mittit, non subiectionis iniuria sed cummunitas potestatis est » Ambros. de Spir. S. l. III. c. 1.

Altero loco Macarius profert sententiam ex l. de symbolo c. 10. Tam hic p. 334. quam inferius p. 373 verba citat ex editione Romana, in qua liber tribuitur Ambrosio. Agnoscit etiam, in editione Maurina textum esse diversum. Demus ergo hoc Macario, et examinemus doctrinam huius auctoris iuxta istam editionem, quae adversario praeplacet. Scopum unicum in isto capite 10. auctor propositum habet defendere adversus Arianos unitatem essentiae in Patre et Filio et Spiritu Sancto. Inter reliqua ibi docet, ex processione et missione Spiritus Sancti distinctionem quidem personarum demonstrari; sed simul unitatem naturae custodiri. « Ergo *unius (Dei)* qui complet omnia, et in quo sunt omnia, his verbis sub mysterio *sanctae Trinitatis* notitia praedicatur; ait enim Filius: Spiritus veritatis qui a Patre procedit. Inquit *a Patre procedit,* propter originem; inquit *quem mittam,* propter societatem unitatemque naturae. » Iam aio, si vera esset haec lectio, in secundo inciso, *quem mittam,* necessario dicendum esset, includi Patrem: quem ego mittam aeque ac Pater, quia una est natura et propterea una virtus mittendi Spiritum in me et in Patre; missio autem supponit in divinis communicationem naturae a mittente in eum, qui mittitur; ac proinde missio activa in Patre et Filio communis, et missio passiva (ut loquuntur) in Spiritu ostendit non modo in Patre et Filio mittente, sed etiam in Spiritu misso « societatem unitatemque naturae. » Hinc etiam in

primo inciso, ubi auctor agit de distinctione Spiritus Sancti ab aliis personis *per originem*, Spiritus intelligitur procedere a Patre, ut Pater cum Filio unum est principium Spiritus Sancti. Sane in eadem editione Romana, quam Macarius praefert Maurinae, dicitur diserte: « Pater coaeternum sibi et coomnipotens *genuit Verbum, cum quo Spiritum produxit* » c. 1. « Spiritus Sanctus vere Spiritus est, *procedens quidem ex Patre et Filio;* sed non est ipse Filius, quia non generatur; neque Pater, *quia procedit ab utroque* non-genitus, non ingenitus, non factus... Quod vero neque natum neque factum est, Spiritus Sanctus est, *qui a Patre et Filio procedit* » c. 3. Idem dogma reperitur c. 4.

Forte nunc poenitebit Macarium praetulisse editionem Romanam; concedamus ergo ei transitum ad lectionem Maurinam. Ibi verba ad quae appellat, sunt simplicissima: « Ergo unius (Dei) qui complet omnia, et in quo sunt omnia, his verbis sub mysterio sanctae Trinitatis notitia praedicatur; ait enim Filius: Spiritus Sanctus a Patre procedit; tamen propter societatem unitatemque naturae a Filio mittitur. » Missio activa ac virtus mittendi communis Filio cum Patre, et missio passiva in Spiritu Sancto quomodo demonstret societatem unitatemque naturae, satis diximus. Procedere autem Spiritum a Patre, omnes catholici profitemur, licet a Patre procedat, quatenus unum est cum Filio principium procedentis Spiritus. Quam quidem communionem spirationis in Patre et Filio Pseudo-Ambrosius clarissime demonstrat, etiam ut lectio habet Maurina. « Unus (Pater) diligens eum (Filium), qui de illo est; et unus diligens eum, de quo est; et *ipsa dilectio idem unus utrorumque, id est Spiritus Sanctus....* Spiritus ergo Sanctus non est genitus, *sed genitoris genitique suavitas, sanctitas atque aeternitas est* (h. e. aeterna suavitas seu charitas et sanctitas amborum). (1) Nam cum Pater sit spiritus, et Filius spiritus; et Pater sanctus, et Filius sanctus: proprie tamen de Spiritu dicitur Spiritus Sanctus.

(1) Ex August. Trin. VI. n. 7; XV. n. 31.

Quia ergo coaeternus est, et *communis ambobus*, id ipse vocatur, quod ambo sunt » c. 1. (1).

β) Sequitur apud Macarium textus ex s. Hieronymo, ex quo persuadere instituit, personam divinam mitti ab alia persona tantummodo *per unitatem essentiae.* Iuxta eius interpretationem Hieronymus dixisset: « Spiritus Sanctus a Patre procedit (procède du Père), et propter societatem naturae a Filio mittitur. » Permittendo hanc versionem, Hieronymus nihil aliud diceret, nisi quod Christus docuerat Io. XV. 26: « quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit. » Tantummodo id quod Christus indicavit illis verbis, *ego mittam a Patre,* Hieronymus distincte declarat. Quia nempe est societas naturae Filii cum Patre per communicationem a Patre in Filium, eo ipso est communitas inter Patrem et Filium etiam in relatione ad Spiritum Sanctum, et proinde in virtute mittendi eundem Spiritum. Non igitur solus Pater mittit, sed a Patre mittit et Filius propter societatem naturae. Consequenter etiam in primo inciso dicitur Spiritus procedere a Patre, ut Pater in relatione ad Spiritum Sanctum est unum cum Filio propter societatem naturae (vide Th. XXXIV).

Ceterum si legamus Hieronymum ipsum in contextu, revera de una eademque re agit in primo et secundo inciso. In primo enim directe non loquitur de processione Spiritus Sancti *ad intra,* sed de *egressione ad extra* seu de missione a Patre, quae utique ex certa sententia s. doctoris supponit et includit processionem *ad intra,* et sine hac intelligi non potest, eodem modo quo intelligitur egressio Filii a Patre in verbis illis Christi Domini: « exivi a Patre et veni in mundum. » Hieronymus ita habet. In verbis Is. LVII. 16. *spiritus a facie mea egredietur,* et flatus ego faciam, aliqui « Sanctum Spiritum intelligunt, qui in principio ferebatur super aquas et vivificabat omnia, *qui de Patre egreditur,* et propter societatem naturae a Filio mittitur dicente:.. cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, *qui de Patre egreditur.*

(1) Ex August. de Trin. V. n. 12.

Nec scandalizet quempiam, si *Spiritus egredi* dicatur ex Patre, cum etiam Filius de se dixerit: ego de Patre exivi, et veni; neque enim a me ipso exivi, sed ille me misit » Hieronym. l. XVI. in Is. LVII. 16.

Clara est Hieronymi sententia. Spiritus Sanctus egreditur a Patre; propter unitatem naturae Filii cum Patre eadem virtus est etiam Filii in relatione ad Spiritum, unde a Filio quoque mittitur. Egressio a Patre est relatio Spiritus missi ad Patrem mittentem; missio a Filio, est relatio eadem (ordine inverso) Filii mittentis ad Spiritum missum; in illa egressione includitur processio, ergo etiam in hac missione identica continetur eadem processio. Evidentius adhuc hic sensus patebit legenti librum Didymi de Spir. Sanct. n. 25. 26. ex ipsius Hieronymi versione, ex qua in commentarium ad Isaiam ista transtulit (1). In hoc enim libro processio Spiritus Sancti a Filio sicut a Patre diserte adstruitur. « *De Spiritu veritatis,* qui a Patre mittatur et sit Paracletus, Salvator *qui est veritas,* ait: non enim loquetur a semetipso; hoc est *non sine me et sine meo et Patris arbitrio,* quia inseparabilis a mea et Patris est voluntate; *quia non ex se est, sed ex Patre et me est, hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est.* Ego veritatem loquor, id est *inspiro* (communicatione naturae) *quae loquitur,* siquidem Spiritus veritatis (Filii) est (2)... Spiritus quoque Sanctus qui est Spiritus

(1) Commentarium in Isaiam scripsit non ante annum 411; librum Didymi vertit circa annum 386.

(2) Editiones Martianaei et Vallarsii ex collatione codicum mss. et priorum editionum diligenter adornatae, nullam omnino hic indicant variantem lectionem. At reperit Macarius describens alios schismaticos. Quoties isti homines in Petro Lombardo, s. Thoma, aliisque Scholasticis inveniunt citationem ex Patribus, quae non ad omnia verba consonet editionibus purgatioribus quas nunc habemus, conclamant fraudem latinorum theologorum. Hic vero purgatissimas editiones respuunt, et praeferendam esse dicunt lectionem, quam prae oculis habuisse videtur monachus Ratramnus (Macar. p. 399). At lectio illa Ratramni corrupta apparet ex ipso contextu. Ita enim ille legit. « Non enim loquitur a semetipso, hoc est sine me et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis a mea et Patris est voluntate; hoc enim ipsum *quod subsistit et loquitur, ego veritas loquor, id est inspiro quae loquitur; siquidem*

veritatis, Spiritusque sapientiae (subsistentis h. e. Filii, ut in proxime antecedentibus ibi dixerat), non potest Filio loquente audire, quae nescit, *cum (Spiritus Sanctus) hoc ipsum sit quod profertur a Filio, id est procedens a veritate, consolator manans de consolatore* (1), *Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens*... Paracletus de meo accipiet. Rursum heic *accipere,* ut divinae naturae conveniat, intelligendum... Siquidem et Filius eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his quae ei dantur a Patre (h. e. non est aliud Filius et aliud quod Filio datur a Patre, sed omnino hoc ipsum), *neque alia substantia est Spiritus Sancti praeter id, quod datur ei a Filio.* Propterea autem ista dicuntur (de communicatione totius essentiae a Patre in Filium, a Patre et Filio in Spiritum Sanctum), ut eandem in Trinitate credamus esse naturam Spiritus Sancti, quae est Patris et Filii » ib. n. 34-37.

γ) Postremo Macarius pro sua sententia quod missio dicatur dumtaxat ob consubstantialitatem mittentis et missi, nulla habita ratione processionis, producit verba quaedam Cyrilli Alexandrini ex l. XI. c. 10. in Ioann. (h. e. in Io. XVII. 18. 19). « Rursus eum (Spiritum) ut proprium largitur Filius, propter identitatem substantiae quam habet cum Patre. »

Post ea quae diximus, nihil opus est his immorari. Concedimus omnino, propterea quod Filius unum est cum Patre naturâ, esse etiam unum cum Patre in virtute mittendi et largiendi Spiritum Sanctum; sed quaestio est alia, de qua hoc loco Cyrillus expressis verbis non loqui-

Spiritus veritatis est » (Ratramn. cont. Graec. l. II. c. 5). Ceterum etiam ex hac lectione corrupta, multoque magis ex omnibus aliis quae disputat Didymus, dogma catholicum clare elucet. Illa verba « *quod Spiritus veritatis subsistit, ego veritas loquor,* » vel nullum habent sensum, vel certe hunc: ego veritas loquor (spirando produco) Spiritum veritatis subsistentem; ut etiam Ratramnus intellexit.

(1) Alludit ad illud Io. XIV. 16: « *alium* Paraclitum dabit vobis, » ubi Christus ostendit (ait Augustinus in Io. tract. 74. n. 4), « et seipsum esse Paracletum »; unde Spiritus consolator manans de Filio consolatore, sicut Spiritus Deus de Deo Filio.

tur, utrum nempe virtus mittendi non supponat virtutem spiratricem, ac proinde utrum Pater et Filius eo ipso quod propter consubstantialitatem inter se sunt unum principium missionis, non sint etiam, propter eandem consubstantialitatem, unum principium processionis eiusdem Spiritus. Neque vero Cyrillus dicit, quod Macarius supposuit, missionem Spiritus Sancti a Filio fundari *in consubstantialitate Filii cum Spiritu Sancto;* sed quemadmodum Ambrosius ac Hieronymus, etiam Cyrillus docet id, quod declaravimus, *ratione consubstantialitatis Filii cum Patre,* sicut naturam ita virtutem mittendi, ipsamque missionem Spiritus Sancti esse unam in utroque.

Porro Cyrillus in contextu tria declarat. Primo ait, Spiritum Sanctum esse ita proprium Spiritum Filii, ut est proprius Spiritus Patris, quia Filius est Patri consubstantialis, atque adeo etiam in relatione ad Spiritum Sanctum habet omnia, quae sunt Patris. Secundo contra Macedonianos docet, Spiritum Sanctum esse Deum ex ipsa substantia Dei ac Patris, non creatum a Filio, sed a Filio creaturae suppeditatum. Tertio propter eandem consubstantialitatem Filii cum Patre, non minus a Filio quam a Patre mitti Spiritum Sanctum. Scopus nempe Cyrilli h. l. non est distincte tradere processionem modumque processionis Spiritus Sancti, sed missionem eius a Patre et Filio, in commentario ad illa Domini verba: sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

De missione vero et processione simul spectata Cyrillus agit sicut alibi saepe, ita in his commentariis l. X. ad Io. XV. 26; XVI. 12. 13. Eius doctrinam disertissimam, quantum satis est, descriptam habes in Th. XXXII. XXXV.

§. III. *De persona divina, quae accipit ab altera persona.*

Multo etiam absurdius quam in praecedentibus, Macarius disputat de diserta illa Christi Domini doctrina Io. XVI. 13-15, quam in Th. XXXII exposuimus.

1° Non verba ipsius Christi Domini interpretatur, sed

iis sua omnino diversa substituit. Quod Dominus dixit: « Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem; *non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur,* » Macarius circumscribit suis verbis; seu potius (ut dixi) verbis Christi sua prorsus diversa substituit. « Docebit vos omnem veritatem mea vice; doctrina enim quam vos docebit, non erit ei peculiaris, doctrina nova, differens a mea. »

At profecto personam, quae non nisi unam divinam habet naturam, non a semetipsa loqui, sed audire quae loquatur, ab alia persona, non potest significare aliud quam communicationem sapientiae et scientiae ab una persona in aliam, atque adeo processionem personae unius ab altera. Ex qua communicatione utique consequitur sicut consubstantialitas, ita identitas scientiae et doctrinae in utraque persona. Hanc rem per se satis claram non modo Augustinus (Th. XXXII) sed alii etiam Patres saepe explicant. « Nihil a semetipso loquetur... Nihil alienum vobis tradet; nec enim sibi proprias leges vobis inferet; *sed cum Spiritus et quasi mens mea sit,* omnino quae in me sunt, loquetur... Signum hoc erit vobis, omnino *ex mea substantia* (ἐκ της ἐμης οὐσιας) *Spiritum esse,* et *meam veluti mentem* (και όιον ἐμος ἐστι νους), quod futura praedicturus est sicut ego... Nec enim, ut ego, futura praedixerit, nisi et in me sit, *et per me procedat* (δἰ ἐμου προϊον), *et eiusdem sit mecum substantiae* » (1) Cyrill. in Io. XVI. 12. 13. p. 925. 926. Didymi explicationem quae sine dubio est etiam Hieronymi, superius vidimus. « Non loquetur a semetipso ... *quia non ex se est, sed ex Patre et me est;* hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, *a Patre et me illi est* » de Spir. S. n.34.

Incisum sequens: « ille me clarificabit, *quia de meo accipiet,* et annuntiabit vobis, » a Macario transmutatur in hoc aliud: « prosequetur vos docere eandem doctrinam, quam ego docui. »

(1) Paulo superius dixerat: « Spiritum veritatis, id est *suum* (ipse enim est veritas), Paracletum appellat. Spiritus enim Sanctus *nullo modo ab unigeniti substantia alienus* intelligitur, *sed naturaliter procedit ex ipsa* » (οὐ γαρ ἀλλοτριον της οὐσιας του μονογενους το ἁγιον ποειται πνευμα, προεισι δε φυσικως ἐξ ἀυτης).

At quod ait Russus suis verbis, utique consequitur ex eo, quod Christus dixit; longe tamen hoc ab illo differt, sicut principium differt a suo consequente aliquo particulari. Ex 1. Io. V. 7. « hi tres unum sunt, » consequitur quidem unitas testimonii; sed non ideo licet verbis Apostoli substituere haec alia: tres sunt, qui rem unam testantur. Iam vero Macarius in sua arte interpretandi omnino hanc methodum sequitur, qua adoptata quidlibet ex quolibet, et ideo nihil ex omnibus probari poterit. Sed de persona divina, quae accipiat ab alia persona, satis in Thesibus nostri Tractatus demonstravimus, hoc dici et intelligi non posse nisi secundum communicationem ab una persona in alteram, ac proinde secundum rationem principii et procedentis a principio.

Tertium denique comma: « *quaecumque habet Pater mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet,* et annuntiabit vobis, » Photianus pervertit ita, ut etiam consubstantialitas Filii cum Patre hoc loco clarissime expressa eliminetur. Haec enim, ait, unice referri ad doctrinam quam Filius, quatenus homo est, accepit a Patre. Quia vero ne hoc quidem satis est ad clarum sensum verborum Christi penitus exterminandum, siquidem Spiritus Sanctus dicitur certe aliquid accipere a Filio, novam et sane miram distinctionem Macarius mutuatus est (ut alia pleraque) a Theophane Prokopowicz. In Spiritu enim Sancto ipso inducunt distinctionem, quatenus Deus est, et quatenus est « successor Filii in terra, » ut ait Macarius, vel quatenus « legatus et ad extra operans, » ut loquitur Prokopowicz (De process. Spir. S. c. 11. §. 183). Quatenus Deus est, inquiunt, Spiritus nihil potest accipere; quatenus est « successor Filii in terra, » accipit doctrinam a Filio (1).

(1) Ces paroles: « il recevra de ce qui est à moi, » et celles-ci « tout ce qu'a mon Père est à moi, » se rapportent exclusivement à la doctrine que le Fils, en tant que venu sur la terre pour y remplir la volonté du Père céleste par rapport au salut des humains, avait reçue du Père, et que le Saint-Esprit, en tant que successeur du Fils sur la terre dans la même œuvre de salut, devait recevoir du Fils » Macar. p. 337. Deum bonum! Spiritus Sanctus dicitur aliquid accipere a Christo, qua

Si novum hoc inventum admittatur, omnino duae statuendae erunt Spiritus Sancti naturae, non secus quam Verbi incarnati; aut certe ex ista doctrina Photiana facillime probabitur, mundum non esse creatum a Deo quatenus Deus est, sed quatenus est « operans ad extra, » quasi vero Deus non ut Deus operetur ad extra. Si forte dicerent, se distinguere a Spiritu Sancto ut Deus est, tantummodo *ipsum opus ad extra;* ad aliud delaberentur absurdum. Neque enim opus et effectus, sed ipsa persona quam isti dicunt « successorem Christi » et « legatum operantem ad extra, » seu ut Christus ait, *ipse Spiritus veritatis* dicitur accipere aliquid a Filio.

Rationem porro, cur Spiritus Sanctus accipiat a Filio, ipse Filius non istam affert a Macario inventam, quod Christus ut homo accepit doctrinam a Patre, de qua doctrina Christi hominis accipiat Spiritus Sanctus; sed Filius evidenter loquitur de se *praedicatis divinis,* adeoque *secundum divinam suam naturam.* « Quia *omnia quaecumque habet Pater, mea sunt* (ita tamen ut ille maneat *Pater,* hic *Filius;* adeoque sint in Patre non communicata, in Filio communicata omnia praeter formalem rationem paternitatis); *propterea dixi, quia (Spiritus veritatis) de meo accipiet.»*

homo est, et esse legatus Christi hominis! Atqui Christus quatenus homo est, non dat Spiritui sed accipit a Spiritu Sancto doctrinam et cetera dona naturae humanae; nec qua homo est, ipse mittit sed mittitur a Spiritu Sancto. Verum quatenus Filii sunt *omnia, quae Patris,* ergo quatenus Deus est de Deo, ab ipso Filio *haec eadem omnia* accipit Spiritus Sanctus; quatenus Christus homo est, ipse conceptus est de Spiritu Sancto et unctus a Spiritu Sancto; quatenus Deus est, dicit: ego mitto Spiritum veritatis; quatenus homo, ait: ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.

Theophanes Prokopowicz ab Ecclesia Catholica apostata, in principio fundamentali de Scriptura et traditione Protestans, munere schismaticus Archiepiscopus Novogrodiensis, adhuc clarius eoque absurdius loquitur. Verba Christi Domini, inquit, « doctrina mea, non est mea; » « studetis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, » munus legati exprimunt. « Quod si dices haec de Christo dici, qua homo est, adeoque disparem habere rationem; respondeo, etiam illud (non loquetur a semetipso, de meo accipiet) *de Spiritu Sancto dictum esse, non qua Deus est, sed qua legatus et ad extra operans* » Prokopowicz l. c.

Spiritus nempe certe accipit a Patre sicut essentiam ita et scientiam, et in relatione *ad extra* operationem ac doctrinam; atqui omnia quaecumque sunt Patris, adeoque nominatim id, de quo in contextu directe agitur, virtus nempe communicationis in Spiritum Sanctum, mea sunt; propterea h. e. propter identitatem Patris et Filii in omnibus (excepta relatione mutua paternitatis et filiationis) Spiritus veritatis, quia de eo quod est Patris h. e. a Patre accipit, etiam eodem modo accipit de meo h. e. a me. Infinita veritas formaliter ut est in Patre, eademque numero veritas formaliter ut est in Filio, communicatur Spiritui veritatis. Haec communicatio est spiratio, haec acceptio est processio; una ergo est spiratio, una processio Spiritus veritatis a Patre et Filio.

Verum Macarius absurdum commentum supponit in catholicis, ac si diceremus Spiritum Sanctum procedere ab aeterno ignorantem; ac deinde supposita processione personae divinae simul et ignorantis (!!), accipere scientiam a Filio. Quia hoc evidenter repugnat, inde ipse concludit, illa verba « de meo accipiet, » non posse habere alium sensum nisi hunc: « Spiritus Sanctus prosequetur post me vos docere meam doctrinam et non aliam » (1).

Sed profecto quod una persona divina *accipit* scientiam et doctrinam ab alia divina persona, nec significat immediate relationem ad extra, nec potest significare tantummodo, unam personam docere doctrinam personae alterius.

(1) « Cette expression: » il recevra de ce qui est à moi, et il vous l'annoncera » (articulus *le* non est evangelii), ne doit pas être comprise ainsi: «l'Esprit Saint tirera de moi ce qu'il ne connaissait pas et n'avait pas auparavant, »car l'Esprit, *en tant que Dieu*, sait tout et possède tout de toute éternité. Mais voici comme il faut l'entendre (h. e. quomodo oporteat verba Christi mutare in alia omnino diversa, ut salva sit haeresis Photiana): « il continuera après moi à vous enseigner ma doctrine, et non point une autre. » p. 337. Pretiosum illud incisum restringens, *quatenus Deus*, monet nos secundum aliam quandam rationem, nempe secundum quod est « successor Christi in terra, » Spiritum Sanctum non omnia scire!! ex quo sane duae naturae Spiritus Sancti confingendae sunt; sine hac enim fictione Spiritus Sanctus profecto omnia scit, omnia docet, omnia operatur, *quatenus Deus est*, quia non est aliud quam Deus.

Evidenter enim significatur sicut in una persona acceptio, ita in altera commünicatio, atque adeo *relatio ad intra.* Ex hac autem communicatione utique consequitur sicut ad intra consubstantialitas, ita ad extra unitas operationis adeoque etiam doctrinae.

Si porro figmentum Macarianum catholicis in mentem venire potuisset, personam unam iam supposita processione et subsistentia, adhuc aliqua perfectione e. g. scientia destitutam, hanc scientiam postliminio accipere ab alia persona; profecto ex eo, quod Spiritus Sanctus subsistens acciperet scientiam a Filio, non potuissent probare processionem eiusdem Spiritus a Filio. Sed res et in se ipsa et ex diserta Patrum explicatione clarissima est. Pater docet Filium generando sapientem, h. e. generatione communicando Filio essentiam sub formali etiam ratione infinitae sapientiaė; hanc ergo accipit Filius a Patre nascendo. Ita etiam Pater et Filius spirant Spiritum veritatis sapientem communicando essentiam, quae est ipsamet infinita veritas et sapientia, hanc igitur a Patre et Filio accipit aeternaliter procedendo (vide Th. XXXII).

Caveat igitur Macarius hominibus sanae mentis proponere suum istud dilemma: Spiritum accipere scientiam a Filio vel significat, subsistentem in ignorantia accipere a Filio scientiam, vel significat simpliciter tradere hominibus doctrinam Filii. Nec enim primum significatur, quia in se absurdum est, nec alterum, quia verbis ipsis repugnat; sed significat communicatione divinae scientiae quae est divina essentia, Spiritum aeternaliter procedere a Filio.

Simpliciter de processione a Filio illud *de meo accipiet,* interpretatur praeter alios Epiphanius in eadem significatione, qua Spiritus Io. XV. 26. dicitur *procedere a Patre,* ita ut, quemadmodum Filius est ex Patre, Deus de Deo processione secundum substantiam, aeque Spiritus Sanctus sit ex Filio, et proinde ex Patre et Filio processione secundum substantiam. « Si Christus creditur ex Patre, Deus de Deo, *etiam Spiritus* (est vel credendus est) *ex Christo, seu ab ambobus,* quemadmodum Christus testatur: *qui a Patre procedit;* et: *ipse de meo accipiet»* Epiphan. Ancorat.

n. 67. (1). Distinctius idem ipsum declarat Didymus verbis iam superius descriptis. « Spiritus quoque Sanctus qui est Spiritus veritatis (Filii) Spiritusque sapientiae, non potest Filio loquente audire quae nescit, *cum (Spiritus) hoc ipsum sit, quod profertur a Filio*, id est *procedens a veritate, consolator manans de consolatore,* Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens... Siquidem et Filius *eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit.* Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his quae ei dantur a Patre; *neque alia substantia est Spiritus Sancti praeter id, quod datur ei a Filio.* Propterea autem ista dicuntur (de communicatione substantiae et omnium perfectionum a Patre in Filium, a Filio sicut a Patre in Spiritum), ut eandem (numero) in Trinitate credamus esse naturam Spiritus Sancti, quae est Patris et Filii » Didymus (interprete Hieronymo) de Spir. S. n. 37. Ita etiam Cyrillus explicat illud *de meo accipiet,* comparans processionem Spiritus « ex essentia Dei » (Patris et Filii) per communicationem totius essentiae cum processione « odoris aut qualitatis ex floribus. » Unde concludit: « extra reprehensionem et extra calumniam prorsus est, *quod ab unigenito aliquid accipere dicitur Spiritus eius; procedens enim naturaliter per ipsum, ut proprius eius Spiritus, cum omnibus quae perfecte habet, accipere dicitur quae sunt illius (Filii)* » προϊον γαρ δι' ἀυτου φυσιχως, ὡς ἰδιον ἀυτου, μετα παντων ὡν ἐχει τελειως, λαμβανειν λεγεται τα ἀυτου Cyrill. in Io. p. 930. « In illa natùra, ubi est summa et vera simplicitas, in eo Filius videt quod Pater facit, et Spiritus Sanctus audit quod cum Patre Filius dicit, *quia communione naturalis essentiae et Filius de Patre natus existit, et Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Hoc est igitur Spiritui Sancto audire* (vel accipere), *quod est de natura Patris Filiique procedere;* et hoc est loqui (vel annuntiare), quod est per gratiam nostris cordibus ineffabiliter intimare » Fulgent. ad Fabian. fragment. 25.

2° Facile expectari poterat, Photianas nugas circa for-

(1) 'Ει δε Χριστος ἐχ του πατρος πιστευεται, θεος ἐχ θεου, και το πνευμα ἐχ του Χριστου ἠ παρ' ἀμφοτερων, ὡς φησιν ὁ Χριστος· ὁ παρα του πατρος ἐχπορευεται, και ὁυτος ἐχ του ἐμου ληψεται.

mam temporis futuri, « de meo *accipiet, et annuntiabit* vobis, » a Macario iterum in scenam producendas et exornandas fuisse; de qua re quantum satis est, diximus in Th. XXXII.

a) Spiritus Sanctus, inquit noster pneumatomachus, in futuro *accipiet* post Christi ascensionem, sicut in futuro *clarificabit,* et *annuntiabit;* processio autem est ab aeterno. « Theologi quidem heterodoxi (i. e. qui haeresim Photianam damnant) solent advertere, aeternitatem in Scripturis exprimi aeque per formam praesentis, praeteriti vel futuri; sed haec hypothesis iam pridem refutata est ab uno ex ipsis (Lampe in Io. T. III. p. 321. Amstelod. 1726).» Quando vero iidem theologi concedunt, sermonem h. l. potissimum esse de processione Spiritus Sancti *ad extra* fundata in processione *ad intra,* « hoc ipso fatentur, in hisce verbis saltem directe non agi de processione *ad intra;* sed hanc deducendam esse unice ex processione *ad extra* velut eiusdem fundamentum. » Verum, inquit, « iam vidimus missionem Spiritus Sancti a Filio minime supponere processionem ab eodem. » Haec ille.

Post ea quae hactenus a nobis demonstrata sunt, refricatae istae exceptiones responsione vix egent. Inter tria illa verba *accipiet, clarificabit, annuntiabit* discrimen est maximum. In primo enuntiatur directe *acceptio* alicuius rei seu perfectionis in una divina persona ab altera, ac proinde vicissim communicatio ab hac persona in illam, licet haec perfectio una numero tum in persona communicante h. e. in Filio, tum in persona accipiente a Filio h. e. in Spiritu Sancto connotet in obliquo opus *ad extra,* quod incipit in tempore. Alia duo verba *clarificabit, annuntiabit* nec communicationem nec relationem unius personae ad alteram *per se* significant, sed tantummodo operationem ad extra et opus in tempore. Unde non minus recte Pater Filium, quam Filius Patrem *clarificare* dicitur (1); nec tamen Pater a Filio, sed Filius *accipit* a Patre. Eodem modo Spiritus

(1) « Non solum Patris gloriam Filius, verum etiam Filii gloriam revelat Pater; nec solum Filii Spiritus Sanctus, sed etiam Filius manifestat Spiritus Sancti dignitatem » Aug. cont. serm. Arian. n. 12.

Sanctus « omnia quae perfecte habet, » accipit a Filio; non autem Filius *secundum divinitatem* spectatus accipit a Spiritu Sancto.

Est ergo in primis prorsus falsum, quod Macarius ait, hoc verbum *accipere* fatentibus catholicis intelligendum esse aut intelligi posse in sua directa significatione de processione ad extra. Imo ubi persona unam tantummodo habens naturam divinam dicitur aliquid *accipere* seu *recipere* ab altera persona divina, illud directe nec significat nec potest significare aliud, quam communicationem ab una persona in alteram. Cum vero propter ipsam divinam simplicitatem, quidquid divina persona habet communicatum, identificetur cum divina essentia; non potest ullo modo persona divina intelligi aliquid accipere ab altera, quin eo ipso dicatur accipere communicatam divinam essentiam, quae acceptio est ipsamet processio. « Neque enim alia substantia est Spiritus Sancti, praeter id quod datur ei a Filio. »

Porro in Deo operatio, quatenus consideratur immanens, est ipsamet divina essentia cum connotatione effectus ad extra, qui incipit in tempore. Ideoque Filius a Patre, Spiritus a Patre et Filio accipit essentiam etiam sub formali ratione operationis, seu procedit cum respectu ad effectum in tempore existentem. Unde quando una persona ab altera dicitur accipere essentiam, potest haec significari etiam sub formali ratione operationis communicatae, ac propterea in obliquo potest haberi et in loco, de quo agimus, revera habetur respectus ad effectum in tempore.

Hoc solum est, quod tum alii catholici omnes concedunt ac docent tum cl. P. Perrone (Trin. c. 5. Propos. I. n. 338. 339. 353), ad quem Macarius appellat; nemo autem umquam dixit, quod ipse ait, *accipere a Filio,* directe et formaliter significare *missionem a Filio.* Quo deinde iure ipse glorietur, se demonstrasse missionem personae divinae independentem a processione, superius examinavimus.

Postremo ex iis quae adversarius dicit de temporis sive praeteriti sive futuri comparatione cum aeternitate, manifestum fit, ipsum destitui omni genuina notione rei, de qua

loquitur. Protestantem Lampe ceterosque sive Rationalistas sive sectarios alios, quos frequenter contra doctrinam catholicam inducere solet, non nostris sed, saltem quoad fundamentale principium rebellionis, suis connumeret, habeatque sibi. Verum inter eos, quos Macarius *heterodoxos* appellat, sunt ss. Patres et vetusti doctores non minus graeci quam latini, imo ipsemet Ioannes Apostolus. Ita enim nomen Dei יהוה « *qui est,* ὁ ὢν » ille declarat: ἀπο του ὁ ὢν, και ὁ ἦν, και ὁ ἐρχομενος Apoc. I. 4. 8; IV. 8. Inde didicit Iustinus martyr, quod ait: « haec vox, *qui est* ὁ ὢν, non unum dumtaxat tempus significat *sed tria, praeteritum, praesens et futurum* » (οὐχ ἑνα μονον χρονον ἀλλα τους τρεις, τον τε παρεληλυθοτα, και τον ἐνεστωτα, και τον μελλοντα) Iust. cohort. ad Graec. n. 25. Clemens Alexandrinus nomen Dei interpretatur: « *qui solus essentialiter est, qui erat, est, et erit, secundum quae tria tempora* positum est unum nomen *qui est* » (τον μονον ὀντως ὀντα, ὁς ἦν και ἐστι και ἐσται, καθ' ὡν τριων χρονων ἐν ὀνομα κειται ὁ ὢν) Clem. Paedagog; I. (ed. Paris. p. 118. ed. Potter p. 140). Adhuc explicatius loquitur vulgatus Dionysius indicans omnia haec tempora de divinis praedicari, quatenus nos existentiam creaturarum mutabilium comparamus cum aeternitate incommutabili. Non enim in ipsa aeternitate Dei aliquid praeterit aut futurum est, imo proprie nec praesens, quia est super omnem mensuram temporis; sed in mobilibus creaturis videntes praeteritum, praesens ac futurum, haec applicamus ad immobilem aeternitatem Dei, sub qua tria illa tempora currunt. « In Scripturis, inquit, essentialiter praeexistens secundum omnem notionem existentium (creatorum) multipliciter praedicatur, *et est et erat et erit de ipso proprie canitur;* principium enim et medium et finem eorum quae sunt, absolute et eminenter in se ipso antecipavit » Dionys. de divin. nomin. c. 5. §. 8. (vide Tract. de Deo uno Th. XXII. n. I.).

De ipsa communicatione qua Spiritus Sanctus a Patre et Filio *audiet* et *accipiet,* Augustinus explicat hanc temporum indifferentiam in auditionis et acceptionis aeternitate (vide textus in Th. XXXII.) « Indifferenter quippe dicun-

tur temporis verba, quamvis sine tempore manere intelligatur aeternitas. Nam et *accepit* quia de Patre processit, et *accipit* quia de Patre procedit, et *accipiet* quia de Patre procedere numquam desinet; sicut *Deus et est et fuit et erit*, et tamen initium vel finem temporis nec habet nec habuit nec habebit » Aug. cont. serm. Arian. n. 20.

Ceterum in Thesi citata satis declaravimus, cur acceptio aeterna veritatis et scientiae exprimatur verbo temporis futuri; nimirum propter eiusdem scientiae communicatae respectum ad doctrinam a Spiritu veritatis infundendam Apostolis et Ecclesiae. « A Patre et Filio Spiritus Sanctus audit, quia de Patre et Filio communis divinitatis aequalitate procedit... Ad hoc utique pertinet quod ait: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Numquid enim sic dictum est, *accipiet,* tamquam illa quae docturus Apostolos fuerat, necdum Spiritus Sanctus accepisset? Quod utique quam sit absurdum atque impium, superius demonstravi. Dictum est itaque, *quia de meo accipiet*, tamquam si diceretur: *cum vos sicut Deus docere coeperit, omnia quae vos docebit, de meo se habere monstrabit* » Fulgent. cont. Fabian. fragm. 27.

3^{io} Denique Macarius in suis commentationibus ad hunc etiam locum Io. XVI. 13-15, quem versamus, ab indigna illa scurrilitate iam superius expuncta sibi temperare non potuit. Quod si omnia, inquit, quaecumque habet Pater, sunt etiam Filii, inde consequens foret, Filium esse ingenitum, et genuisse se ipsum; vicissim Patrem esse genitum, et (ut hoc loco addit) esse incarnatum sicut Filium.

Sed omnino manet in aeternum, quod dixit veritas: « *omnia quaecumque habet Pater, mea sunt;* propterea dixi, quia *de meo* accipiet. » Tria his verbis dicuntur. *a*) In Trinitate est Pater Filii, et Filius Patris, seu prima persona Pater generat secundam personam Filium: *Pater habet, et ego Filius habeo,* quod aliis verbis dixit Io. X. 30: *ego et Pater sumus.* Paternitate ergo, quacum identificatur ratio *primae personae* seu *ingenitum esse,* et filiatione constituuntur distinctae personae. *b*) Hac *sola* formali ratione et relatione Patris ad Filium, Filii ad Patrem distinguuntur;

nam « omnia quaecumque habet Pater, » sunt etiam Filii, « mea sunt, » manente utique sola distinctione per relationes primae personae gignentis et secundae genitae ab illa, quod ipsum in altero loco expressit: ego (Filius) et Pater *unum sumus. c*) Inter haec omnia id, quod scopus erat totius huius segmenti in oratione Christi, disertis verbis ut unum et commune ambobus exprimitur, *relatio nempe principii ad personam tertiam, Spiritum Sanctum:* « omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; *propterea dixi, quia de meo accipiet.* »

Hinc ex his ipsis verbis, quibus directe processio Spiritus Sancti a Filio, et in obliquo, quia Filius omnia habet a Patre, processio etiam a Patre enuntiatur, solent ss. doctores adversus Arianos demonstrare, Spiritum Sanctum non a solo Filio, sed etiam a Patre, atque adeo ex essentia Patris et Filii, non vero ut creaturam Filii procedere. Dixerant Ariani: « Filius a Patre est genitus (generatione impropria), Spiritus Sanctus a Filio est factus. » Respondet Augustinus. « Quod autem dixit: de meo accipiet, solvit ipse quaestionem, ne putaretur quasi *per quosdam gradus* sic esse de illo (Filio solo) Spiritus Sanctus, quomodo est ipse de Patre (solo); cum ambo de Patre, ille nascatur, ille procedat... ergo ne hoc putaretur, ut dixi, continuo subiecit: omnia quae habet Pater, mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet. Ita sine dubio intelligi volens, quod de Patre accipiat; *sed ideo de ipsius* (nempe de Filii, quod Christus dixit directe), *quia omnia quae habet Pater* (et inter haec omnia relatio principii ad Spiritum Sanctum), *ipsius sunt.* Haec autem non est diversitas naturae, *sed unius principii commendatio* » (1) Aug. cont. serm. Arian. n. 19. « De Filio

(1) Vide egregiam huius *unius principii* explicationem apud ipsum Augustinum in Io. tract. 99. n. 8.; de Trin. XV. n. 29. quae descripsimus Th. XXXV.

Audet Macarius p. 338. istum Augustini locum ex libro cont. serm. Arian. inducere ad demonstrandum, Patres illud *de meo accipiet* non intellexisse de processione Spiritus Sancti, sed de eius consubstantialitate cum Filio; ad quod ipsum etiam verba aliqua adfert ex Pseudo-Athanasio (Dialog. I. cont. Macedonian. n. 16.). At Augustinus et ceteri Patres disputantes adversus Arianos, ut probarent divinitatem Spiri-

(al. de Filii) ergo accepit, *et omnia quae habet Pater Filii sunt,* quae Spiritus Sanctus accepit; *quia non de solo Patre, nec de solo Filio, sed simul de utroque procedit....* Solius est Spiritus Sancti *de Patre et Filio proprietas ista processionis,* cuius est cum Patre et Filio natura communis» (ex processione consubstantialitas) Fulgent. cont. Fabian. fragm. 27.

Ad ea denique, quae de incarnatione Patris et Filii Macarius somniando scripsit, pueri respondebunt, qui didicerunt rudimenta doctrinae christianae. Pater generat Filium communicatione omnium quae sunt Patris, excepta sola paternitate, qua sola a Filio distinguitur; et propterea illa omnia quae sunt Filio communicata a Patre, sunt utique etiam Patris, a quo communicantur. Sed Pater non generat Filium communicando humanam naturam, et proinde Filius non habet naturam humanam *generatione communicatam* a Patre, sed habet eam una communi operatione Trinitatis in tempore formatam et suae singulari ac distinctae hypostasi unitam. Quod ergo *omnia divina* per generationem communicata Filio, sunt etiam Patris communicantis; inde sola logica Photiana inferre poterit consequens, etiam *omnia humana* quae non generatione communicantur a Patre, sed in tempore a Patre et Filio et Spiritu Sancto hypostasi Verbi uniuntur, eodem modo fore etiam unita hypostasi Patris.

§. IV. *De relatione, qua est et dicitur* Spiritus Filii.

Egimus in Thesi XXXII. de relatione Spiritus Sancti ad Patrem et Filium ex declaratione proprietatis hypostaticae in Scripturis proposita, quod sit *relative Spiritus* seu *spiratus sicut Patris ita et Filii,* sive quod perinde est (nisi ad Nestorii divisionem deflectere velint), *Spiritus*

tus S. eiusque processionem ex substantia Patris, supponebant vel diserte assumebant (ut h. l. Augustinus) processionem a Filio enuntiatam his ipsis verbis *de meo accipiet;* atque inde ex verbis sequentibus, *omnia quaecumque habet Pater mea sunt,* demonstrabant processionem eiusdem. Spiritus etiam a Patre, de qua erat controversia directa et princeps contra illos pneumatomachos.

Christi et *Spiritus Iesu*. Hanc doctrinam Christi et Apostolorum non solum obiter inducimus, quemadmodum Macarius putat (p. 341), velut minoris momenti; sed imo eam ex communi consensu ss. Patrum dicimus manifestam et expressam declarationem originis Spiritus Sancti a Patre et Filio. Macarius tria opponit.

1° Ait, « ea quae attribuuntur distinctis personis, non necessario intelligi singulis attributa propter unam eandemque rationem; » posse ergo dici Spiritum Patris, quia a Patre procedit, et Spiritum Filii propter aliam rationem.

Principium istud Macarianum deducit ad haeresim Arianam; imo est fundamentum hermeneuticum, cui tota illa haeresis innititur. Non erant illi ita hebetes, ut non viderint in Scripturis eadem attribui Filio, quae attribuuntur Patri; sed respondebant, quod nunc ait Macarius, posse illa intelligi distinctis personis attributa propter diversas rationes. Re autem vera, quidquid divini de personis SS. Trinitatis dicitur, vel est proprium uni personae (ut paternitas, filiatio, processio); id vero in Scripturis nulli alteri personae attribuitur, nec sine errore Sabelliano attribui potest: vel est commune personis pluribus (ut relatio Patris et Filii *ad Spiritum suum* secundum disertam doctrinam Scripturae); id vero necessario est unum numero et indistinctum in iisdem pluribus personis, quibus attribuitur.

2° Recantat Photianus stropham illam, de qua iam saepe diximus, quid veri et quid falsi subsit. Potest dici Spiritus Patris et Filii, inquit, quia est Patri Filioque consubstantialis. Sed ubi nomen *Spiritus* significat personam tertiam in Trinitate, necessario relativum est, quod sit *spiramen seu spiratio* (ut ait Athanasius) personae, a qua spiratur h. e. spiratione procedit. Sicut ergo *Spiritus Patris,* ita *Spiritus Filii* in directa significatione dicit *spiratum a Patre, spiratum a Filio* (το πνευμα, ή πνοη και ἐυωδια). Quam interpretationem communi Patrum consensu in Thesi citata confirmatam habes. Immanentes autem processiones personarum in SS. Trinitate utique includunt consubstantialitatem, cum processio nec sit nec concipi possit nisi per communicationem unius numero substantiae. « Qae-

cumque habet Spiritus, a Verbo habet » Athan. or. III. cont. Arian. n. 24. « Neque alia substantia est Spiritus praeter id, quod datur ei a Filio » Didym. n. 37. « Filii proprius Spiritus cum omnibus, quae perfecte habet, accipere dicitur, quae sunt illius » Cyrill. in Io. p. 930. « Solius est Spiritus Sancti de Patre et Filio proprietas ista processionis, cuius est cum Patre et Filio natura communis» Fulgent. fragm. 27.

Imo s. Basilius diserte et Patres alii saltem indirecte (apud Petavium l. VII. c. 14. n. 11), prae oculis habentes oeconomiam SS. Trinitatis, statuunt hoc principium generale: duos inter se consubstantiales dici non posse ob solam unitatem naturae, si ambo eam habeant ab alio tertio communicatam; sed ad hoc necesse esse, ut natura communicata sit ab uno alteri. Propterea aiunt, fratres non recte consubstantiales dici posse, nec consubstantiales fore duas personas in SS. Trinitate, licet eandem naturam habere supponantur, nisi una procedat ab altera. Hinc per ipsam praedicationem *consubstantialitatis* inter Patrem et Filium confutatur illud convicium Arianorum, qui sententiam catholicam ita interpretabantur, ac si primum supponeretur una natura divina, quam participarent Pater et Filius sine processione huius ab illo; hoc modo, ait Basilius, duas illas personas fratres fore, nequaquam autem consubstantialitatem inter eos intelligi posse, quae originem unius ab altero includit. « Non enim quae fratrum inter se rationem habent, dicuntur consubstantialia, id quod quidam supposuerunt; sed cum et causa et id quod ex causa existentiam habet, eiusdem sunt naturae, consubstantialia dicuntur» (1) Basil. ep. 52 (al. 300) ad Canonicas n. 1. 2. Quisquis ergo negat Spiritum procedere a Filio, is negat eam consubstantialitatem, quam solam Patres in SS. Trinitate veram esse docent (quidquid dicas de consubstantialitate in creaturis), et ex mente Basilii simul affirmat inter Filium et Spiritum *fratrum rationem*, quam blasphemiam iidem PP. saepissime

(1) Οὐ γαρ τα ἀδελφα ἀλληλοις ὁμοουσια λεγεται, ὁπερ τινες ὑπειληφασιν, ἀλλ' ὁταν και το ἀιτιον και το ἐκ του ἀιτιου την ὑπαρξιν ἐχον της ἀυτης ὑπαρχῃ φυσεως, ὁμοουσια λεγεται.

detestantur. Hinc porro Basilius aliique cum ipso doctores quoties Spiritum praedicant Filio consubstantialem, toties ex ipsa propria ratione consubstantialitatis, quam statuunt, profitentur Filium principium esse Spiritus Sancti.

3[io] Audet Macarius comminisci, *Spiritum Patris et Filii* posse non personam divinam, sed tantummodo eius dona intelligi. At profecto hoc nihil est aliud, quam pervertere Scripturarum sensum manifestissimum, in quibus Spiritus Patris et Filii ut causa donorum et dona ipsa ut eius effectus ubique distinguuntur, atque ita cum Socinianis et Rationalistis deducere ad negationem ipsius personae Spiritus Sancti. Canones quomodo nomen *spiritus* sine articulo et sine addito positum de donis aut dispositionibus creatis, cum articulo autem (το πνευμα) vel cum addita determinatione *Spiritus Sanctus*, *Spiritus Dei*, *Spiritus Patris*, *Spiritus Filii* intelligendum sit hypostatice de tertia persona SS. Trinitatis, prolixe tradit s. Athanasius in ep. I. ad Serapion. n. 4. sqq. cf. Epiphanium advers. haeres. l. III. haeres. 74. n. 9. Patrum nullus est, qui hisce locis, in quibus *Spiritus Patris et Filii* celebratur, non intellexerit ipsam personam Spiritus Sancti, adeo ut illi ipsi ad quos Macarius provocat, Basilius contra Eunom. V. p. 305, et Damascenus in hom. Sabbat. Sanct. n. 4, expresse declarent, hac appellatione personam Spiritus Sancti eiusque relationem ad Patrem et Filium intelligendam esse. Locum Basilii descripsi in Th. XXXIII; Damascenus vero cur *Spiritum Filii* non *ex Filio* sed *ex Patre per Filium* procedere dixerit, ostensum est in Th. XXXVI.

§. V. *De Patrum et theologorum doctrina ex Christi actione.* Io. XX. 22.

Postrema Macarii disputatio contra argumenta biblica est de actione certe symbolica Christi Domini, quando « insufflavit et dixit eis (Apostolis), accipite Spiritum Sanctum» (Io. XX. 22). Hanc cum ille reperit apud theologos catholicos explicatam velut indicium ac symbolum processionis Spiritus Filii etiam ex Filio; id magno supercilio explodit. Nihil dicam de sapientissimis eius animadversionibus, quod

inde consequens fore putat, Spiritum Sanctum etiam ab Apostolis procedere, quia et ipsi « per impositionem manuum communicabant fidelibus Spiritum Sanctum, » (1) et porro animam humanam aeternaliter procedere a Deo, quia scriptum est: « inspiravit in faciem eius spiraculum vitae » Gen. II. 7. Unum silentio praetereundum non est, quod Macarius confidenter affirmat, « *nullum ex ss. Patribus* reperisse in illo textu Evangelii significationem aeternae processionis Spiritus Sancti » (2).

Atqui theologi catholici in ista symboli explicatione fere unice nituntur auctoritate ss. Patrum, nec tam interpretationem textus ex argumentis internis quam sententiam ss. Patrum proponunt. Nominemus nonnullos ex multis. « Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se repraesentans discipulis suis insufflasset dicens: accipite Spiritum Sanctum. Quid enim significat illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus Sanctus et de ipso?... Si ergo de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: qui de Patre procedit? Cur putas, nisi quod ad Patrem solet referre, et quod ipsius est, de quo et ipse est » August. in Io. tract. 99. n. 7. 8; de Trin. IV. n. 29; XV. n. 45; contra Maximin. l. II. c. 14. n. 1. Gemina habet Fulgentius l. de Fide ad Petrum c. 11. Imo ex Io. XX. et simul ex Gen. II. Athanasius l. de Trin. et Spirit. S. n. 18. 19, ex quo aliqua citavi in Th. XXXII; et Cyrillus in Thesauro p. 344. 345. omnino idem docent. Advertatur autem, hic a nobis non quaeri de sensu immediato verborum Scripturae, sed de ipsa re, quam Patres tenuerint nobisque tradiderint.

« A principio formato Adam, in faciem eius spiravit Spiritum Sanctum, sicut Moses ait: et spiravit Deus in

(1) Vide de his s. Augustin. Trin. XV. n. 46.

(2) Les Pères de l'Eglise insistèrent maintes fois sur cette expression de l'Évangile, et l'expliquèrent différemment.... *mais aucun d'eux* ne trouva dans le texte cité l'idée de la procession éternelle de l'Esprit-Saint » p. 344.

faciem Adae inspirationem vitae, et factus est homo in animam viventem. Neque id quod spiratum est a Domino, anima est secundum fabulatores Iudaeos.... sed vivificans Spiritus est (1)... Igitur a Mose instructi: spiravit Dominus in faciem Adae *spirationem vitae;* audientes vero et Salvatorem dicentem: *ego sum vita;* et Paulum scribentem: misit Deus *Spiritum Filii sui* in corda nostra; videntes autem etiam *unigenitum insufflantem* in faciem Apostolorum et dicentem: accipite Spiritum Sanctum, *spirationem Filii in propria vita et substantia manente* (forte: manentem) *Spiritum esse doceamur...* Propterea vero non est genitus ab eo Spiritus, quia non est Verbum eius; creatum vero dicere Spiritum, absit! Verumtamen *spirationem Filii* eum ex sacris Scripturis docti sumus, et *fontem Spiritus et Filium Dei dicimus* » Athan. l. c. « Impium est creatum aut factum dicere Spiritum Dei... Et propterea *insufflat eum in faciem Apostolorum* (ἐμφυσᾷ ἀυτο εἰς το προσωπον) dicens: accipite Spiritum Sanctum, ut discamus, Spiritum qui discipulis datur, *ex plenitudine divinitatis esse* (ὁτι ἐκ του πληρωματος της θεοτητος ἐστι); *in Christo enim, ait Apostolus, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter....* Ea de causa David canebat Deo: quoniam apud te est fons vitae, in lumine tuo videbimus lumen. Noverat enim *apud Deum Patrem Filium esse fontem Spiritus Sancti* (οἰδε γαρ παρα τῳ θεῳ πατρι ὀντα τον ὑιον την πηγην του ἁγιου πνευματος). Idem de Incarn. contra Arian. n. 9. cf. Ambrosinm de Sp. S. l. I. n. 152. citatum superius.

Egregie Cyrillus demonstrat consubstantialitatem Patris et Filii, quia sicut Pater ita Filius mittit ac dat Spiritum Sanctum; quoniam vero dat Spiritum ut *suum proprium,* ideo in missione ipsa supponi processionem Spiritus *ex substantia Patris et Filii.* Unde ostendit, in illa insufflatione Christi Filii (Io. XX), qua immediate significatur missio et donatio Spiritus Sancti, simul indicari eiusdem processionem ex substantia Filii. « Spiritus est Filii; unde veritatis Spiritum illum nominavit, cum seipsum in antecedentibus veritatem esse dixisset... Quomodo vero si alte—

(1) Confer. s. Basil. cont. Eunom. V. p. 307.

rius est substantiae Filius, Spiritum Patris tradit *ut suum*. Scriptum est enim, *insufflasse discipulis suis dicendo: accipite Spiritum Sanctum*. Nonne ergo iure optimo quis censebit, imo firmiter credet, Filium cum ei naturalia bona Dei ac Patris sint essentialiter communia, *habere Spiritum eodem modo, quo Pater habere censetur*, non aliunde aut extrinsecus adscitum (οὐκ ἐπακτον οὐδὲ ἐξωθεν), absurdum est enim, imo furiosum ita sentire; sed sicut unusquisque nostrum spiritum (halitum) suum in se ipso continet, et ex intimis visceribus foras profundit? *Idcirco enim Christus insufflavit corporaliter; ostendens quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic et ex divina substantia divine profunditur Spiritus, qui ex ipso (Christo Filio) est* » (1) Cyrill. in Io. p. 810.

Anastasius Antiochenus ex eadem symbolica actione Christi argumentum desumit. « Manifestum fecimus, inseparabiles esse hypostases,... cum et Pater suum inducat Filium, et Spiritus Sanctus cum Patre et Filio simul existat, tamquam cum mente et Verbo. *Etenim Dominus demonstrans ex se ipso ipsum existere insufflans discipulis dixit: accipite Spiritum Sanctum* » Anast. or. I. de Trin. n. 27. (ex interpret. Tarriani Migne T. LXXXIX. p. 1327). Cum his congruunt, quae habet in eadem oratione. « Salvator noster Iesus de consubstantiali suo Paracleto ait, quod ex Patre quidem procedit, *accipit autem ex Filio, omnia quae Patris sunt, sibi propria faciente et habente*... Naturalis est habitudo, et quae ad aliquid aliquo modo se habent, secum inferunt alia, ad quae naturaliter habent habitudinem. Infert ergo secum Pater Filium, et Filius Patrem, et alter sine altero intelligi non potest... Verbum autem cum sit Filius, *secum simul demonstrat Spiritum. Verbum enim non est absque Spiritu, neque mens absque Verbo*. Mentem autem dicimus Patrem Verbi; mentem dico, in qua Verbum, cum quo Spiritus Sanctus, *qui Spiritus oris Dei vocatur, os namque Patris Filius est* » (ib. n. 12. p. 1317). Iterum: « Tria lumina significat propheta; unum cui preces

(1) Δεικνυς ότι καθαπερ ἐκ στοματος του ἀνθρωπινου προεισι το πνεύμα σωματικως, οὑτω και ἐκ της θειας οὑσιας θεοπρεπως προχειται το ἐξ ἀυτου.

adhibebat (in Ps. 25. 10), hic est Pater; *et lumen eius Filium; et in lumine lumen Spiritum Sanctum*... lumen ante faciem Dei Spiritus Sanctus; *siquidem facies Dei est unigenitus, cuius lumen est Spiritus Sanctus*» (ib. n. 21. p. 1323). Cum his conferas quae habet Theodorus Raithuensis (1). « Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus oris illius,* nempe Dei, *quoniam os est unigenitus,* et rursum Spiritus ex ipso procedens et missus non solum a Patre sed etiam a Filio.... *Et sane Dominus ostendens illum ex ipso existere, insufflans discipulis* dixit: accipite Spiritum Sanctum » (2) (apud Ioannem Veccum in Inscriptionibus ad sententias SS. Laemmer Bibliotheca selecta T. I. p. 462. 570.). Nunc iudices appello schismaticos ipsos alumnos Macarii de magistri sui bona fide simul et eruditione, quando ille praefracte affirmare audet: « *nullus Patrum* (in actione symbolica Christi Domini) reperit indicationem aeternae processionis Spiritus Sancti. »

Fundamenta dogmatis revelati ex ipsis Scripturis tum per se sumptis tum secundum antiquitatis christianae interpretationem contra technas Photianas a Macario iterum instructas satis vindicata esse puto. Nihilominus quia is de monumentis Traditionis longam habet orationem quantumvis ne subtiliori quidem aliqua arte contextam sed crassis et perspicuis erroribus refertam, de his adhuc dicemus.

(1) De opere Theodori inscripto apud Veccum « oratio dogmatica » vel « de rectis dogmatibus « vide Allatium (Migne T. XCI. p. 1480.)

(2) Πνευμα στοματος ἀυτου, δηλονοτι του θεου, το πνευμα το ἁγιον λεγεται, στοματος ὀντος του μονογενους· καὶ πνευμα παλιν ἐξ ἀυτου ἐκπορευομενον και ἀποστελλομενον ὀυ μοκον παρα του πατρος ἀλλα και παρα του υἱου ... και μην ὁ κυριος ἐξ ἀυτου δεικνυς ἀυτο ὑπαρχειν, ἐμφυσῶν τοις μαθηταις ἐλεγε, λάβετε πνευμα το ἁγιον.

SECTIO II.

DE FALLACIIS QUIBUS PRO DOCTRINA PHOTIANA APPELLATUR AD DOCUMENTA PRAEDICATIONIS ECCLESIASTICAE.

Videtur Macarius « Rector Academiae ecclesiasticae Petropolitanae » confidentiam persuadendi totam collocasse in ignorantia discipulorum suorum, qui quoniam nec statum quaestionis intelligant, nec testimonia antiquitatis ipsi examinare velint aut possint, audaci affirmationi facile cessuri sint; et cum conglomeratas viderint citationes symbolorum, Conciliorum, ss. Patrum aliquid de processione Spiritus Sancti docentium, ingens pondus in numero constitutum esse putabunt, quamvis in iis omnibus doctrina, pro qua proferuntur, nec explicite proponatur nec implicite contineatur, ut per analysim deduci queat. Imo in iis ipsis documentis quae citantur, dogma catholicum aut supponi aut implicite contineri intelligitur, dummodo status quaestionis, qui tum erat contra haereticos, scopus propositus, et doctrina aliis in locis diserte et explicite tradita prae oculis habeatur. Inspiciamus summam circumventionum erroris in nequitia hominum.

CAPUT I.

DE PROBATIONE PHOTIANAE DOCTRINAE EX SYMBOLIS FIDEI.

« Omnia antiqua symbola in quibus de hoc dogmate agitur, unanimiter docent, Spiritum Sanctum procedere *a solo Patre.* » Ita affirmat Macarius (1). Atqui in nullo ex omnibus antiquis symbolis orthodoxis (2) docetur, ex nullo

(1) « Tous les anciens symboles ou il est question de ce dogme, enseignent unanimement que le Saint-Esprit procéde du Père seul » p. 345.

(2) Symbolum Theodori Mopsuesteni Ephesi damnatum Photiani habeant sibi, de cuius tamen sensu quoad hoc caput probabiliter orthodoxo vide Th. XXXVIII. n. II.

si historia haereseos cui symbola directe opponuntur, et scopus spectetur, argumentando deduci potest (1), Spiritum Sanctum procedere *a solo Patre;* in iisdem *de hoc dogmate,* utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio, vel non agitur sed illud pro statu quaestionis supponitur, vel si de eo agitur, explicite quamvis aliis verbis docetur processio ex Filio sicut ex Patre.

1° Quatuor symbola profert ad demonstrandum unanimem consensum in tesseram Photianam processionis *a solo Patre.* Duo ex istis sunt illud Gregorii Thaumaturgi et alterum ab Epiphanio (in Ancorato n. 120) descriptum. Atqui tum in illo Gregorii tum maxime in hoc altero penes Epiphanium non modo non dicitur, Spiritum procedere *ex solo Patre,* sed etiam explicite traditur doctrina de processione a Filio (2), ut ostendimus in Th. XXXV. n. I. et Th. XXXVIII. n. I.

(1) Ceterum Macario ex suis principiis huiusmodi deductio satis esse non posset; ipse enim solet catholicis hoc ipsum (licet falso) exprobrare, quod argumentando suam doctrinam deducant; exigitque ab eis testimonia diserta. Quando ergo ipse tanto promissor hiatu iactat *unanimem doctrinam omnium symbolorum* de processione *ex solo Patre,* pollicetur sane testimonia diserta, cuiusmodi nulla habet.

Nihil opus est dicere de sapientissima animadversione Macarii saepius alibi et hic iterum repetita, Filium etiam dici *genitum a Patre,* quin addatur particula *a solo Patre;* nihilo tamen minus Filium a solo Patre et non etiam a Spiritu Sancto genitum credi debere. Credere nempe necesse est personam secundam non esse genitam a persona tertia, quia tertia credenda est procedere a secunda aeque ac a prima persona.

(2) Macarius ex isto symbolo penes Epiphanium haec recitat: « Nous croyons aussi au S. Esprit.... procédant du Père et *reçu par le Fils* (mais suivant d'autres manuscrits: recevant *par le Fils*). » At Photianus more suo textum tum versione tum truncatione pervertit. Symbolum dicit: ὀυτως δε πιστευομεν ἐν ἀυτῳ, ὁτι ἐστι πνευμα ἁγιον..... ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον, και ἐκ του ὑιου λαμβανομενον (al. λαμβανοντα forte λαμβανον τε) και πιστευομενον. Non dicitur ergo Spiritus *acceptus per Filium* nec accipiens *per Filium;* sed declaratur Spiritus « *ex Filio* accipiens, *qui creditur esse ex Filio* » (το πνευμα ἐκ του ὑιου πιστευομενον.) Nempe illud Io. XVI. 15. ἐκ του ἐμου ληψεται explicatur diserte in sensu processionis ex Filio, ut ab ipso Epiphanio factum est pluribus locis Ancorat. 67. 72; Haeres. 62, n. 2.; 74. n. 10.

Reliqua duo symbola a Macario citata, alterum quod Epiphanius inseruit suo Ancorato (n. 119), alterum solemne Constantinopolitani Concilii, revera non sunt duo sed unum ac idem. In eo autem, non id quod Macarius *ex unanimi symbolorum doctrina* se demonstraturum promisit, sed doctrina evangelica continetur, Spiritum Sanctum *a Patre procedere.* Inter has vero duas propositiones: *Spiritus procedit a Patre,* quam omnes catholici profitemur, et alteram quae in nullo documento fidei reperitur: *Spiritus procedit a solo Patre, in oppositione ad Filium,* inter has inquam propositiones, idem est discrimen ac inter duas alias: *Pater est Deus;* et *solus Pater est Deus, in oppositione ad Filium;* quarum prior sane catholica est, posterior vero haeretica Ariana. Qua ratione professio directa *processionis a Patre,* ut Pater unum est cum Filio, intelligatur et adversus Semiarianos pneumatomachos fuerit definita, demonstravimus Th. XXXIV. n. I; XXXVIII. n. I.

His conclusa est Macariana collectio symbolorum « unanimiter profitentium processionem Spiritus Sancti *a solo Patre.* »

2° Vidit adversarius ipsemet symbolum quod Athanasio attributum diu ante Photium constituebat professionem universalis fidei in Ecclesia occidentali, silentio supprimi non posse. Ait ergo, istud huius symboli incisum: « Spiritus Sanctus a Patre *et Filio* non factus nec creatus nec genitus, sed procedens, » in plerisque codicibus graecis haberi sine particula *et Filio,* pro qua re appellat « ad scriptorem occidentalem, » nempe ad apostatam Marcum Antonium de Dominis (1). Interpolationem serius a Latinis factam probat, « quod ante saeculum XIV. nemo occi-

(1) Homo iste inter cetera portenta etiam hoc meditabatur, ut secundum Protestanticum systema articulorum fundamentalium Ecclesiam Romanam, Anglicanam, et Photianam coagmentaret, multis fidei dogmatibus velut in suspenso relictis, inter quos articulos non fundamentales placuit ei etiam ponere dogma de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio. Idem hoc monstrum parturiendi nuper in conventu Bonnensi animum susceperunt Neoprotestantes illi risu digni, nisi digniores essent commiseratione, qui ἀντιφραστικῶς se « veteres catholicos » appellant.

dentalium hoc symbolo umquam usus sit contra Graecos (1). »

Atqui omnibus eruditis nostra aetate extra controversiam sunt sequentia. *a*) Innumerabiles codices latini hoc symbolum continentes, quorum aliqui Photii aetate antiquiores sunt, tum in ceteris (si paucas lectiones variantes nullius momenti excipias) tum in hac retinenda particula *et Filio* sine ulla discrepantia plenissime inter se consentiunt. Codices graeci tum in reliquo contextu symboli tum in retinendo vel supprimendo hoc inciso mirum quantum inter se differunt. Stylus ipse prodit, textum originalem esse latinum, graece non haberi nisi versionem eamque in diversis exemplaribus diversam. Eadem exemplaria graeca scripta sunt omnia post invectam iam haeresim Photianam. Unde inter recentiores collectores symbolorum, qui lectiones sinceras omni studio assectantur, acatholicus Augustus Hahn (in Bibliotheca symbolorum 1842. p. 123) simpliciter profitetur: « cum huius symboli *versiones graecae* inter se discrepantes nullius sint pretii critici, dabimus solum textum latinum cum variantibus lectionibus, quae generatim parvi sunt momenti. » Quisquis itaque censeatur conscriptor symboli, sive Athanasius (cum Romae aut Treviris exularet, ut quidam opinantur) sive multo probabilius alius doctor occidentalis, textum latinum esse genuinum, eumque nobis nominatim in professione de Spiritu Sancto procedente a Patre *et Filio* integerrime conservatum, extra fines Russiae nemo dubitat. Eo ipso certum est, in versionibus graecis, ubicumque particula ista supprimitur, in favorem haereseos Photianae factam esse mutilationem.

Imo contextus ipse genuinitatem particulae demonstrat; est enim oppositio inter generationem Filii, quatenus est *a Patre solo,* et inter processionem Spiritus qui *non a solo*

(1) « Avant le quatorzième siècle personne en occident ne cita jamais ce Symbole contre les Grecs; preuve evidente et incontrastable qu'il était encore connu en nombre d'endroits sans ce supplement (*et Filio*), ou qu'on se faisait scrupule de citer un passage reconnu pour alteré p. 349.

Patre est, sed a Patre et Filio. Evidenter mancus est textus, si dicatur: « Filius *a Patre solo est*... Spiritus Sanctus *a Patre.* » Sensit hoc graeculus interpres, qui concinnavit formulam quartam a Montfauconio editam (Opp. Athanas. T. II. p. 661), unde etiam id, quod dicitur de Filio, mutavit in hunc modum: « Filius *a Patre* est non factus, non creatus, sed genitus; Spiritus Sanctus *a Patre* est non factus, non creatus, non genitus, sed procedens » ὁ ὑιος ἀπο του πατρος ἐστιν... το πνευμα το ἁγιον ἀπο του πατρος ἐστιν οὐ ποιητον κ. λ.

b) Ad idem symbolum, ut ad professionem fidei totius Ecclesiae saltem latinae, provocatum est inde a primis exordiis haeresis Photianae.

Iam ante Photium saeculo VIII. Alcuinus in libello de Processione Spiritus Sancti scripto ad Carolum M. inter testimonia Patrum citat Athanasii *Expositionem catholicae fidei* (1). « Beatus Athanasius... in Expositione catholicae fidei, quam ipse egregius doctor conscripsit, *et quam universalis confitetur Ecclesia,* processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio declarat, ita dicens: Pater a nullo est factus... Filius a Patre solo est... Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens» Alcuin. l. c. T. I. p. 750.

Haud diu post Alcuinum ineunte saeculo IX, quando Hierosolymis monachus ille Ioannes, de quo Th. XXXIX. n. I, dictum est, primas turbas movisse videtur de dogmate contra monachos latinos in monte Oliveti, iidem in epistola ad Leonem III. Pontificem dogma confirmabant appellando tum ad alia documenta, in quibus exprimitur fides in Spiritum Sanctum « a Patre procedentem et Filio, » tum ad ipsum hoc symbolum: « *et in Fide sancti Athanasii eodem modo dicit* » (Baluzii Miscellan. II. p. 84.).

Eodem tempore (anno 809) Theodulphus Aurelianensis iussu Caroli M. collegit « de Spiritu Sancto veterum Patrum sententias, quod a Patre Filioque procedat; » nam

(1) Advertit Sirmundus (in annotat. ad Theodulphi l. de Spir. S.), ante Hincmarum non *symbolum*, sed *Fidem Athanasii* vel *Expositionem fidei* (ἐκθεσιν της πιστεως) vel *Sermonem de fide* dici consuevisse.

(ut ait in praefatione ad Carolum versibus scripta) « hoc canit unanimis vox pia sacra Patrum. » Inter testimonia Athanasii (quae ceterum sunt ex libris Vigilii Tapsensis de Trin.) ultimo loco ad confirmandum « quod Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio, » recitat totum contextum ex symbolo, ut nunc eum habemus. Opp. Sirmundi T. II. p. 702. (ed. Venet. 1728).

Tempore Photii deinde, qui iussu s. Nicolai I. Romani Pontificis primum contra illius haeresim scripserunt, ad eundem locum symboli appellant eumque integrum exscribunt. Ratramnus primo loco inter testimonia Patrum istud ipsum ponit. « Athanasius... in libello de fide quem edidit, et *omnibus catholicis tenendum proposuit,* inter cetera sic ait: Pater a nullo est factus.... Filius a Patre solo est.... Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens » Ratramn. cont. Graec. l. II. c. 3. Aeneas Parisiensis in libro adversus Graecos, qui totus constat contextis Patrum sententiis, post alia plura testimonia ex Athanasio descripta, postremum affert ex nostro symbolo c. 19. « Item idem (Athanasius) in *Fide catholica:* quod Spiritus Sanctus a Patre procedat et a Filio: Pater a nullo est factus, » cum reliquis ut in symbolo leguntur.

Saeculo XII. Hugo Etherianus Constantinopoli in ipsa aula Manuelis Comneni scripsit, et ad Alexandrum III. Pontificem misit tres libros « de haeresibus quas Graeci in Latinos revolvunt, » eruditione et doctrina refertos. Ibi l. III. c. 21. sententias describit Cyrilli, Athanasii, Gregorii M. (cuius, inquit, non est fidelis apud Graecos interpretatio), Epiphanii, Damasceni. Ex Athanasio unum pro omnibus ei visum est sufficere testimonium. « Magnus quoque Athanasius *in confessione suae fidei,* plane processionem ex Filio esse adstruit; ait enim: Spiritus ex Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens » Bibl. Max. PP. T. XXII. p. 1259.

Quid iam dicemus de temeritate hominis inter suos eruditionis fama celebrati, qui « argumentum evidens et irrefragabile » pro interpolatione symboli Athanasii a La-

tinis patrata deducit ex eo, « quod illud ante saeculum XIV. numquam et a nemine contra Graecos citatum est? »

CAPUT II.

DE EADEM PROBATIONE EX DOCTRINA CONCILIORUM.

Fronte aenea, quam iam novimus, Macarius affirmat: « Concilia oecumenica omnia nullo excepto, et fere omnia provincialia quibus opportunitas se obtulit tractandi *de hoc dogmate*, unanimiter agnoverunt, Spiritum Sanctum *tantummodo a Patre procedere*. (1) »

Propositio contradictoria Macarianae omnino verissima est. *De hoc dogmate*, de quo controversia est Photianorum contra Ecclesiam catholicam, utrum Spiritus Sanctus *a solo Patre* an vero *a Patre et Filio* procedat, in nullo Concilio oecumenico, in nullo Concilio provinciali (exceptis Conciliabulis schismaticorum a tempore Photii habitis) umquam tractatum est, quin ipsum dogma catholicum declaratum fuerit ac definitum. Verum Macarius cum reliquis schismaticis Concilia Lateranense IV, Lugdunense II, Florentinum non agnoscit, qua negatione ipsa tum totam divinam constitutionem Ecclesiae Iesu Christi subvertunt, tum auctoritatem ex Spiritus Sancti assistentia derivatam omnium etiam veterum Conciliorum labefactant ac nominatim Constantinopolitani I, ad quod quantumvis praepostere in hac causa potissimum provocare solent. Illud enim nec convocatione nec celebratione oecumenicum, hanc supremam auctoritatem non nisi ex subsequente Romani Pontificis confirmatione consecutum esse, in historia est manifestissimum. Sed quoniam nunc de aliis Photianorum erroribus non agimus, audiamus Conciliorum quae etiam ipsi admittunt, unanime quod fingitur, testimonium de processione Spiritus Sancti *a solo Patre*.

(1) Tous les Conciles oecuméniques sans exception, et à leur exemple presque tous les Conciles provinciaux, qui ont eu occasion d'aborder ce dogme, ont unanimement reconnus que le Saint-Esprit procède *seulement du Père*. p. 350.

§. I. *De septem Conciliis in Oriente celebratis.*

Testantur processionem Spiritus Sancti *a solo Patre,* si Macario Russi credant, omnia Concilia oecumenica, septem nimirum prima, quae sola ille videtur admittere.

Iam vero Concilium Nicaenum nihil omnino de Spiritu Sancto continet praeter hanc professionem: « credimus in Spiritum Sanctum. » Unde Basilius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius aiunt, tum cum nondum motae essent quaestiones, de Spiritu Sancto obiter a Patribus dictum esse.

Photianus nihilominus reperit confirmationem suae doctrinae in Concilio Nicaeno. Nempe Gelasius Cyzicenus (l. II. Hist. Conc. Nic.) saeculo V. longam refert disceptationem in Concilio a nonnullis Episcopis habitam cum philosopho gentili. Ibi Leontius Episcopus Caesareae Cappadociae demonstrat philosopho divinitatem Spiritus Sancti, hancque Leontio tributam disputationem Macarius profert ut testimonium ipsius Concilii. Sed vir bone, ipsum factum historicum huiusmodi disputationis, saltem ita ut profertur, falsi convincunt testimonia Patrum quos nominavi, narrantium nullam tum adhuc de tertia persona motam fuisse controversiam, atque idcirco totam doctrinam de Spiritu Sancto Patres Nicaenos non nisi transeunter (ἐν παραδρομῃ) attigisse. Etiamsi deinde veritas historica disputationis subsisteret, non ideo dicta singulorum Episcoporum essent totidem definitiones Concilii. Omissis vero his omnibus, quid tandem affert Gelasius iste? Nihil prorsus aliud quam quod paulo ante Gelasium dixerat Cyrillus in IX. anathematismo, quo non solum non negavit originem Spiritus a Filio, sed eam affirmavit ita, ut propterea a Theodoreto qui eius sententiam ad sensum Macedonianum pervertit, calumniam passus fuerit. Cyrillus vero sicut calumniam istam retudit, ita eo firmius asseruit aeternam originem Spiritus ex Filio. Apud Gelasium itaque sub nomine Leontii ad vindicandam divinitatem Spiritus Sancti hoc unum dicitur: « admitte unam divinitatem Patris Filium ineffabiliter generantis, et Filii ex eo geniti, *et Spiritus Sancti ex eodem Patre procedentis, quique proprius est Filii* » και του άγιου πνευματος του

ἐκπορευομενου ἐξ αὐτου του πατρος, ἰδιου δε ὀντος του ὑιου Gelas. l. II. c. 20. Eodem modo ad vindicandam unam personam Christi Dei et hominis, Cyrillus scripserat: huius hominis qui Christus est, « *Spiritum Sanctum esse proprium* » ἰδιον αὐτου το πνευμα, δἰ οὑ και ἐνηργησε τας θεοσημιας. Satis autem Th. XXXIII. n. II. demonstravimus, tum ex ipsa doctrina Scripturae tum ex communi Patrum interpretatione, *Spiritum proprium* sicut Patris ita Filii relative dici, *spiratum Patris ac Filii*. Nominatim Cyrillus apud quem est hoc velut epitheton constans Spiritus Sancti, illud multis in locis declaravit. « Filius habet *Spiritum proprium, qui ex ipso est, et ei essentialiter inest* » (quia nempe processio ex ipso est, sed immanens). Ita ipsemet explicuit in Concilio Ephesino suum anathematismum IX. Idem alibi et frequenter declarat. « Ecce enim, ecce cum Spiritum veritatis, hoc est suum dixisset Spiritum, *ex Patre ait ipsum procedere;* sicut enim est *naturaliter proprius Spiritus Filii, in ipso existens et per ipsum procedens, ita et Patris (proprius est Spiritus)* » in Io. p. 910. Nimirum contra pneumatomachos probandum erat, non modo Filii sed etiam *Patris proprium esse Spiritum;* Cyrillus hoc, *esse proprium Spiritum Patris,* demonstrat eo, quod Spiritus dicitur *a Patre procedere*, adeo ut ex sententia Cyrilli perinde sit dicere Spiritum in Trinitate esse proprium (ἰδιον) alterius personae, et Spiritum ab hac altera persona procedere. Quemadmodum ergo ex processione hoc loco infertur, Spiritum esse « *proprium Patris, ut est proprius Filii,* » ita sane ex eo, quod Spiritus est *proprius Filii aeque ac Patris,* vicissim valet illatio, illum procedere sicut a Patre ita etiam a Filio. Hoc altero modo Cyrillus cum Concilio Alexandrino concludit adversus Nestorium, huius personae quae est homo Iesus, *proprium* dici Spiritum Sanctum, ergo eundem ab hac persona Filio aeque procedere ac ex persona Patre. « Quando (Christus) in magnalium operum perpetratione, ad divinitatis suae demonstrationem Sancto Spiritu (1) utebatur, ab ipso se

(1) Ἐκεχρητο *τῳ ἁγιῳ πνευματι* al. *τῳ ἰδιῳ πνευματι*, suo proprio Spiritu utebatur.

glorificari dixit, perinde ac si quis nostrum de fortitudine sibi insita, aut cuiusvis rei scientia dicat: haec me glorificavit. Nam etsi Spiritus in propria hypostasi subsistat, et eatenus per se (καθ' ἑαυτο) consideretur, quatenus Spiritus est et non Filius; attamen non est ab eo alienus; quandoquidem *Spiritus veritatis* nominatur, *Christus autem veritas est, et ab eo sicut etiam ex Deo et Patre profunditur.* (1) »

(1) Πνευμα γαρ ἀληθειας ὠνομασται, και ἐστι Χριστος ἡ ἀληθεια· και προχειται παρ' αυτου, καθαπερ ἀμελει και ἐκ θεου και πατρος. Spiritum Sanctum *profundi* (προχεισθαι) *a Filio sicut ex Patre*, nec umquam significat nec potest significare aliud quam processionem immanentem. Hinc Cyrillus eodem verbo προχεισθαι designat etiam processionem a Patre, habetque illud synonymum alteri ἐκπορευεσθαι: « Spiritus Sanctus, inquit, *profunditur sive procedit* velut a fonte, a Deo et Patre (προχειται ἡγουν ἐκπορευεται καθαπερ ἀπο πηγης. του θεου και πατρος) ep. 47. T. V. p. 190. Macarius vim verbi προχεισθαι forte ipsemet intellexit, neque enim *profundi ex Patre et a Filio* ambiguum est, sicut verbum *effundi* (ἐκχεισθαι) per se sumptum, quod potest significare et in quibusdam contextibus revera significat *missionem* Spiritus Sancti (Act. II. 17; X. 45; Tit. III. 6.). At Photianus particulas *a Filio* et *ex Patre*, cum profusio Spiritus Sancti *ex Patre* non possit ullo modo significare simpliciter missionem, pervertit in has alias *per Filium* et *per Patrem.* Ipsum vero verbum *profunditur* non iam solum ambigue *effusionem* sed omnino *diffusionem* interpretatur. « L'Esprit *se repand par Lui* comme aussi *par le Père.* » Ex his suis non autem Concilii Alexandrini et Cyrilli verbis, ut ille fingit, facile contexit argumentum: « L'expression *se repand par le Fils,* n'a point du tout le même sens que, *procède du Fils.* » Tum confert verba Pauli (Tit. I. c.) « quem *effudit* (ἐξεχεεν) *in nos* abunde, » atque inde concludit: « par conséquent dans la lettre citée du Concil on employa pour indiquer *l'effusion* du S. E. par le Fils *presque le même verbe* προχεω que l'Apôtre ἐκχεω, *savoir un verbe ayant la même racine* » Macar. p. 361. Ex hac eruditione philologica *pietas* et *impietas* erunt *nomen fere idem;* habent quippe eandem radicem. Verba προχεισθαι et ἐκχεισθαι sunt diversa, multoque magis diversus est contextus. In hoc posteriori expresse indicatur terminus *ad extra:* Deus *effudit in nos* Spiritum Sanctum; in altero exprimitur principium originis, nullus autem terminus *ad quem:* a Filio sicut ex Patre profunditur Spiritus Sanctus. Praeterea Patres Concilii dicunt Spiritum veritatis ita profundi a veritate h. e. a Filio, sicut oritur virtus aut scientia ex mente. Quemadmodum ergo Verbum est sapientia et virtus Patris ratione originis a Patre, ita Spiritus non minus ratione originis immanentis, dicitur virtus et sapientia Filii, ac proinde *interna origine profunditur a Filio sicut ex Patre.*

Maneat itaque, a Concilio ipso Nicaeno nihil prorsus doceri de processione Spiritus, nisi quod sit tertia persona SS. Trinitatis; in disputatione vero Gelasiana, ad quam Macarius appellat, non solum non negari, sed formula ex Scripturis desumpta et ab aliis Patribus lucide declarata, affirmari processionem Spiritus Sancti sicut a Patre ita a Filio.

Ex Concilio Constantinopolitano theologus Russus cum omnibus Photianis repetit definitionem symbolo insertam contra Macedonianos, de qua diximus in Th. XXXVIII.

Ex Concilio Ephesino nihil affertur aliud, nisi quod in damnatione « symboli falsati » prohibitum est « aliam Fidem proferre aut conscribere aut componere praeter definitam a ss. Patribus, qui cum Spiritu Sancto Nicaeae congregati fuerunt. » In Conciliis IV. V. VI, eadem lex est repetita. De his quid sentiendum sit, demonstravimus in Th. XLI, et paulo inferius dicemus. Etiamsi vero hisce Conciliis sensum contradictorium et absurdum affingant, quasi Ecclesia ipsa suo iuri et officio divinitus iniuncto renuntiasset, depositum fidei explicandi et errores ingruentes, si opus fuerit, etiam in symbolis solemnibus strictius

Mussitat Photianus nescio quid etiam de diversitate praepositionum *ex* Patre, *a* Filio *ἐκ θεου και πατρος, παρα του υἱου*. Auctores epistolae, inquit, constituunt differentiam inter Patrem et Filium; L'Esprit, disent-ils, *se repand par* (*παρα*) le Fils, *comme venant* aussi de (*ἐκ*) Dieu le Père. Atqui auctores epistolae non aliud et aliud verbum sed omnino unum adhibent de relatione Spiritus ad Patrem et ad Filium; nec dicunt, Spiritum *diffundi per Filium*, sed *profundi a Filio sicut ex Patre*. Praepositiones deinde *ἐκ* et *παρα* per se omnino synonymae sunt, ubi usurpantur de relatione Spiritus Sancti ad alias personas SS. Trinitatis: « procedit *a Patre* *παρα του πατρος ἐκπορευεται* Io. XV. 26; « Spiritus *ex Deo* est » *το πνευμα το ἐκ του θεου* 1. Cor. II. 12. Imo Epiphanius (haeres. 74. n. 10. p. 898.) praepositiones invertit: « Spiritus qui est *a Patre*, qui est *ex Filio* » *το πνευμα το ἁγιον... ὁ παρα του πατρος, ὁ ἐκ του υἱου*. Nolim tamen contendere, si quispiam sibi persuaserit, in coniunctione utriusque particulae: *ex Patre a Filio*, iam Cyrillum indicasse Patrem principium primordiale (*αἰτιαν προκαταρκτικην*) Spiritus Sancti, ut praepositionem *ἐξ* saeculo deinceps VII. et VIII, aliqui intellexerunt, et ut multi Patres expressius indicarunt per formulam aliam, qua dixerunt, Spiritum procedere a Patre vel ex Patre per Filium. Vide Th. XXXVI.

definiendi ac vindicandi, quomodo quaeso ex hac prohibitione deducent doctrinam, quam Macarius probandam suscepit, Spiritum Sanctum *a solo Patre,* non autem simul a Filio procedere, cum Photianum hoc placitum nec in Nicaeno nec in Constantinopolitano symbolo contineatur, ad quorum integritatem adversus haereticorum fraudes servandam ea lex a Conciliis promulgata est?

Ex Concilio VII, et ex Conciliis Romanis sub Damaso et sub Martino I. nihil aliud habetur, nisi quae semper fuit et est et erit communis catholica professio, *Spiritum Sanctum a Patre procedere;* sed nullum est vestigium assertionis Macarianae, in hisce Conciliis doceri eiusdem Spiritus processionem *a solo Patre,* et negari *processionem a Patre ut unum est cum Filio.* Illud prius quod olim adversus Arianos pneumatomachos directe probandum erat, utique demonstratur innumeris Scripturae, symbolorum, Conciliorum, ss. Patrum testimoniis; pro hoc altero, de quo solo controversia est Photianorum, nec Macarius nec quispiam alius ullum umquam reperiet authenticum documentum.

Castigandus autem est theologus schismaticus, quod in Concilio VII, commemorat solummodo professionem Theodori Hierosolymitani, in qua dicitur « Spiritus aeternaliter procedere a Patre, » silentio autem premit professionem alteram s. Tarasii Constantinopolitani (1). Tarasius miserat suam synodicam patriarchis orientalibus Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, in qua explicite profitebatur: « Credo in unum Deum.... et in Spiritum Sanctum, Domi-

(1) Fraudulenter a Macario suppressam esse professionem Tarasii, facile videbis, si inspicias in actis Concilii connexionem synodicae Theodori cum ea Tarasii. Primum lecta est professio Tarasii ad orientales, tum orientalium responsio, cui inserta erat synodica Theodori, ac tum demum sequebatur approbatio professionis utriusque in uno contextu praelectae. Ceterum ex illa responsione orientalium, ad quam Macarius appellat, ipse multa posset discere, ac inter cetera illud maxime, ad oecumenicam synodum constituendam nequaquam opus esse praesentia patriarcharum et Episcoporum orientalium sive per se sive per legatos suos, dummodo « Apostolicus Papa Romanus concordaverit, et in ea inventus sit per apocrysiarios suos, qui moderatur Apostolorum principis sedem » (Mansi XII. p. 1133).

num et vivificantem, *ex Patre per Filium procedentem*, et eundem Deum esse et cognosci » (1) (Mansi XII. p. 1121). Tota haec Tarasii professio lecta in Concilio approbationem accepit tum Patrum reliquorum tum ante omnes legatorum Hadriani Pontificis, quoniam consentiens reperta est fidei ipsius Pontificis. « Petrus (archipresbyter) et Petrus (Abbas S. Sabae) Deo amabiles presbyteri, et locum tenentes sanctissimi Papae Hadriani senioris Romae dixerunt: acquiescimus, quia secundum fidem quam recte Tarasius sanctissimus et beatissimus patriarcha Constantinopoleos est confessus, et Apostolicus Papa noster Hadrianus suscipiens una cum venerabili sancta synodo, quae apud ipsum est, consentit. »

Quomodo autem Hadrianus intellexerit et admiserit fidem Tarasii de processione Spiritus Sancti *ex Patre per Filium*, ipsemet paulo post declaravit in epistola ad Carolum Magnum. Carolus in Theodori epistola reprehendit quidem nonnulla, sed minime illud, quod dixit *Spiritum procedentem a Patre*, quia facile vidit (ut declaratur in libris Carolinis l. III. c. 3), Patrem in unitate cum Filio dici principium Spiritus; at dubitavit de orthodoxia Tarasii, « qui Spiritum Sanctum non *ex Patre et Filio* secundum Nicaeni symboli fidem (2), sed *ex Patre per Filium* procedentem in suae credulitatis lectione profiteatur.» Iam Hadrianus coacervatis Patrum testimoniis demonstrat Carolo, (3) illas particulas *a Patre per Filium* non mi-

(1) *Και έις το πνευμα το άγιον, τον κυριον, και ζωοποιουν, το ἐκ του πατρος δἰ ὑιου ἐκπορευομενον, καὶ ἀυτο θεον ὀν τε καὶ γνωριζομενον.*

(2) **Secundum genuinum nempe intellectum symboli, ut communi consensione semper creditum est, atque inde a tribus saltem saeculis in Hispania, ac deinceps in toto regno Caroli formula ipsa Constantinopolitana explicite declarata erat.**

(3) **Testimonia quibus utitur Hadrianus cuipiam parum efficacia ad probandam processionem Spiritus Sancti videri possent; sed advertendum est, Carolo istam formulam suspectam fuisse eo, quod in praepositione *per* latere putaret errorem Arianum de Spiritu *creato per Filium* (Carolin. l. III. c. 3). Hinc Pontifex demonstrandum suscipit, primo particulam *per* a ss. Patribus non solum de creatione, sed etiam de relatione Filii ad Spiritum Sanctum adhiberi; secundo apud eosdem Patres constructionem**

nus quam formulam alteram *a Patre et Filio* exhibere duas personas distinctas ut unum principium. Adeoque « hoc dogma Tarasius non per se explanavit, sed per doctrinam sanctorum Patrum confessus est » (Mansi XIII. p. 760).

Quamvis itaque in Concilio VII, directe non agebatur de processione Spiritus Sancti, manifestus tamen est orientis et occidentis consensus quoad dogma ipsum processionis *a Patre per Filium* sive *a Patre et Filio*, et quoad genuinum sensum symboli Constantinopolitani.

Fraus denique alia est in hac paragrapho diatribes Macarianae, quod inter eos, qui Spiritum simpliciter *a Patre* procedere dixerint, sine ulla animadversione numerat Patres Africanos in professione fidei Hunerico regi oblata, cum tamen post editionem Victoris Vitensis a Ruinartio adornata ignorare non potuerit aut certe non debuerit, in genuina lectione egregiae professionis ab illis 461 sanctis confessoribus diserte declarari: « ingenitum Patrem et de Patre genitum Filium, et *de Patre et Filio procedentem Spiritum Sanctum* unius credimus esse substantiae vel essentiae » (Victor. Vit. l. III. n. 1.). Sed de hac re sufficiunt, quae dixi in Th. XXXV.

§. II. *De Conciliis Toletanis et Aquisgranensi.*

Progreditur iam Macariana eruditio ad eluendam disertissimam professionem Conciliorum Toletanorum et Aquisgranensis, quae ante exortam haeresim Photianam a V ad IX saeculum celebrata sunt; nam de synodis Hedtfeldensi sub Theodoro Cantauriensi (natione Graeco) anno 680 (Mansi XI. p. 176) et Wormatiensi anno 868 (Mansi XV.

hanc grammaticam *a Patre per Filium* promiscue usurpari et eiusdem esse significationis cum altera *a Patre et Filio*. Ad hoc utrumque autem probandum testimonia ab Hadriano inducta omnino sufficiunt, quamvis non in omnibus immediate de processione Spiritus Sancti agatur. Porro ex his duobus probatis consequens erat, formulae apud PP. occidentales frequentiori, *Spiritus procedit a Patre et Filio*, quam Pontifex sane ratam habet ut catholicae fidei expressionem, omnino aequipollentem esse alteram orientalium, *Spiritus procedit a Patre per Filium*, de cuius valore Carolus suspicionem conceperat (vide Th. XXXVI.)

p. 868. cf. apud Migne T. CXIX. p. 1201), (1) sicut etiam de Conciliis oecumenicis Lateranensi IV, Lugdunensi II, Florentino tacet.

1° De synodis Toletanis, quantum opus est, diximus in Th. XXXV. n. II. Contra eas Macarius in promptu habet tres strophas sibi ubique familiares, quibus fidem omnem et Scripturae et monumentorum historiae tum sacrae tum profanae penes vulgus imperitum facile evertas.

a) Acta Conciliorum, inquit, sunt suspecta et particula *Filioque* serius fortasse interpolata, cuius fraudis argumentum exstat in ipsis his Conciliis, in quibus negatur processio Spiritus a Filio, dum dicitur « Pater fons et origo totius divinitatis, ex quo et Filius nativitatem et Spiritus Sanctus processionem accepit. » At si hoc valet argumentum, non sola particula *Filioque* in istis synodis, sed etiam epistola Leonis Pontificis, quam sequitur definitio Concilii Toletani II. anno 447., et tota historia Concilii III. sub Reccaredo, et omnia documenta catholica non modo veterum Patrum sed etiam recentiora a saeculo IX usque ad XIX interpolata sint oportet; omnes enim catholici profitemur cum ss. Patribus veritatem ex oeconomia mysterii certissimam, Patrem esse primam personam atque ideo fontem ac originem Filii et Spiritus Sancti, personae secundae et tertiae. « A quo habet Filius ut sit Deus, est enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus, *ac per hoc Spiritus Sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre* » Aug. in Io. tract. 99. n. 8; cont. Maximin. l. II. c. 5.

b) Excipit Photianus: si acta Conciliorum sint genuina, non tamen constat, utrum in illis de processione aeterna, an de missione temporali Spiritus Sancti a Patre et Filio agatur. Atqui in illis Conciliis relationes mutuae personarum divinarum et characteres proprii personales descri-

(1) Constat ex ista Wormatiensi responsione « contra graecorum haeresim » (apud Migne l. c.), Concilium hortante Nicolao Pontifice fuisse habitum adversus Photii calumnias; unde corrigendum est, quod dixi in Tractatu ed. 2. p. 467. nota 1.

buntur, et sicut proprium est Patri *ingenitum*, proprium Filii esse *genitum*, ita dicitur esse proprium Spiritus Sancti *procedere a Patre et Filio*, adeo ut illa eadem processio a Patre quae est notionalis proprietas Spiritus Sancti, sit processio a Patre simul et Filio. Haec autem processio constituens et distinguens personam tertiam profecto est immanens et aeterna. « Est ergo *ingenitus* Pater, *genitus* Filius, non genitus Paracletus sed *a Patre Filioque procedens* » (Conc. Tolet. II.). Praeterea in Conc. Tolet. III. professio, *qui a Patre Filioque procedit*, inserta est in ipsum symbolum Constantinopolitanum. Atqui Photiani omnes et Macarius ipse fatentur et contendunt, in hoc symbolo fidem exprimi non de temporali dumtaxat sed de aeterna processione. Vide etiam symbolum Concilii Toletani XI. anno 675. duobus saeculis integris ante Photianam haeresim celebrati.

c) Ultimum refugium Macarii remanet, Concilia Hispaniae in errorem incidisse; « nec exigua ista Concilia Hispaniae, inquit, ullius sunt ponderis contra doctrinam totius Ecclesiae. » Atqui professio ista Conciliorum Hispaniae non aliud est quam repetita expressio fidei totius Ecclesiae, ut in Thesibus nostri Tractatus abunde demonstravimus, adversus quam contradictio a Photio per ambitionem invecta, inde ab XI saeculo in sectam obfirmata, per invalescentem barbariem et immanes persecutiones ex una parte, per ignorantiam parem superbiae, et abiectam servitutem Cleri ex parte altera usque ad hanc aetatem enutrita ac sustentata non solum nullius est ponderis sed haeresis manifestissima.

2° De Concilio Aquisgranensi nova figmenta in scenam inducit Photianus. Demonstratur, inquit, ex historia huius Concilii, processionem Spiritus Sancti a Filio in Ecclesia occidentali ante saeculum IX. non fuisse agnitam, istamque doctrinam fuisse habitam velut innovationem.

a) Namque ob quaestionem excitatam a monacho Hierosolymitano non opus erat Concilio, si in Ecclesia occidentali iam constitisset de processione ex Patre et Filio.

b) Ex historicis illius temporis colligitur, Aquisgrani

« in utramque partem acriter disceptatum fuisse, et cum neutra pars cederet alteri, eo ipso nihil fuisse conclusum. » Pro qua narratione provocat ad Annales Francorum, in quibus legitur: « nec aliquid tamen definitum est propter rerum, ut videbatur, magnitudinem; » idemque colligitur ex verbis Hermanni Contracti: « quaestio de processione Spiritus Sancti synodo habita *ventilatur.* »

c) In epistola post Concilium absolutum a Carolo M. missa ad Leonem III Pontificem dicitur haec « quaestio nuper exorta, » et « ex longo tempore relicta indecisa » (1).

d) Legati imperatoris coram Pontifice ex textibus Scripturae praepostere explicatis et ex testimoniis Patrum interpolatis doctrinam hanc persuadere conabantur. « Pontifex simulans se convictum, ita credendum esse edixit, » (2) idque non omnibus fidelibus sed iis tantummodo, qui ad conceptum tanti mysterii possent pertingere.

e) Postremo fassus est ipse Pontifex, ss. Patres qui hanc professionem symbolo inseri aut in eo quidquam immutari prohibuerunt, divina sapientia illuminatos non posse dici « istud nobis minus intellexisse. » Insinuat nempe Macarius suis sectatoribus, quos optime novit numquam verba ipsa Pontificis in contextu lecturos esse, ex sententia Leonis ss. Patres processionem a Filio negasse, et nihilominus melius iis qui eam admittunt, dogma intellexisse; proptereaque Leonem ipsum illud symbolo addi vetuisse.

Ex omnibus hanc colligit summam. Si dogma inde ab antiquitate fuisset creditum, non opus fuisset legatis Aquisgranensibus illud coram Pontifice probare ex Scriptura et ex Patribus; non opus fuisset Pontifici definire, illud in posterum esse credendum. Pontifex falsa allegatione textuum fuit deceptus, eiusque consensus hisce allegationibus innitebatur: « ita teneo cum his auctoribus et sacrae Scripturae auctoritatibus. » Postremo quoniam Pontifex legatis Caroli respondit inter alia: « *quisquis ad hoc sensu subtiliori*

(1) Question demeurée depuis long temps indécise chez les investigateurs de la vérité. Macar. p. 365.

(2) « Le Pape feignit d'être convaincu que le S. Esprit procède aussi du Fils; et ordonna que l'on crût ainsi » p. 365.

pertingere potest, et id scire aut sciens credere noluerit, salvus esse non potest; » ac porro: « non licet non credere, *quisquis valet ad hoc pertingere;* » Photianus noster exclamat: « quodnam quaeso hoc dogma est novi generis, cui non omnes consentire teneantur? » (1)

Nolim equidem definire, quid in tota hac declamatione praevaleat, num crassa ignorantia historiae tam rerum gestarum quam dogmatum, an vero graeca fraus impostoris. Obvia inspectio historiae sufficiet ad totam molem Macarianam explodendam.

Monachus graecus Ioannes, quem in Th. XXXIX. XLI memoravimus, Hierosolymis accusaverat Latinos omnes « haereseos, qua maior non est, » quod in symbolo profiterentur, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere. Monachi nempe latini qui in monte Oliveti ex concessione Caliphae Aaronis Illustris (Harun al Raschid) sub tutela Caroli M. erant constituti, symbolum cum explicatione *Filioque* recitare solebant, ut in regnis Caroli illud cantari audiverant. Contra hos igitur Ioannes ille suis clamoribus concitavit turbas graves, quibus Latini in magna pericula coniiciebantur (2). Quare hi, ut ipsimet narrant in sua epistola, primum quidem confugerunt « ad sacerdotes, qui sunt in sancta civitate, » ad patriarcham nempe graecum eiusque sacerdotes. Cum protestarentur: « nos sic credimus, quomodo sancta Sedes Apostolica Romana, » Graeci « scripserunt eis chartam fidei, » testimonium scilicet fidei or-

(1) « Dogme de nouvelle espèce que tout le monde n'est point obligé d'admettre! » p. 366.

(2) « Ioannes qui fuit de monasterio S. Sabae... levatus est super nos dicendo, quod Franci qui sunt in monte Oliveti, haeretici sunt; et dixit nobis, quia omnes Franci haeretici estis; et reprobat fidem nostram, quia non est maior haeresis... Et in tantum nos conturbavit, ut in die Natalis Domini (anno 808) in sanctam Bethleem in sancto praesepio... submitteret homines laicos, qui nos foras proiicere vellent, dicendo quod haeretici estis, et libri quos habetis, haeretici sunt.... Itaque per ipsum Ioannem facta est nobis grandis confusio in sancta civitate, quoniam dicit: Spiritus Sanctus non procedit a Patre et Filio. Et de hoc misit grandem errorem per omnia monasteria. » Epistol. monachor. ad Leonem III (Lequien Dissert. Damascen. I. n. 13.)

thodoxae, et « archidiaconus legit ipsam chartam in populo » (vide Th. XXXIX). Post haec monachi latini legatos (1) cum litteris commendatitiis Thomae patriarchae, quas memorat Leo Pontifex in sua epistola ad imperatorem Carolum data, miserunt ad ipsum Pontificem rogantes, ut ipsorum professionem vindicaret, et quoad hunc articulum a Ioanne illo impugnatum fidem Ecclesiae exponeret. Pontifex ad praecavendam propagationem erroris scripsit continuo « symbolum orthodoxae fidei omnibus orientalibus Ecclesiis, ut tam vos (inquit) quam omnis mundus secundum Romanae catholicae et apostolicae Ecclesiae rectam et inviolabilem teneatis fidem. » Symbolum hoc omnibus Ecclesiis orientalibus destinatum exprimens inviolabilem fidem Ecclesiae Romanae ab omni mundo tenendam ita habet. « Credimus sanctam Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiae... Patrem in ipso, non ab alio, Filium a Patre genitum... *Spiritum Sanctum a Patre et Filio aequaliter procedentem*, consubstantialem ceterum Patri et Filio. Pater plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, *Spiritus Sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens.* » (Lequien l. c. n. 14).

Hac fidei declaratione instructos legatos monachorum montis Oliveti, Leo misit ad Carolum imperatorem, eius quoque praesidium imploraturos (2). Carolus certior factus de turbis excitatis contra articulum fidei, in quo Francis iam inde a Concilio Gentiliaco anni 767 sub eius patre Pipino, et a Concilio Nicaeno II (quamvis quoad hoc ultimum certe immerito) Graeci suspecti videbantur (3), et accepta

(1) Si conferantur litterae monachorum ad Leonem et Leonis ad imperatorem, legati isti Hierosolymis Romam missi videntur fuisse Agamus et Roculphus cum Ioanne presbytero.

(2) Epistola Leonis ad imperatorem exstat apud Lequien l. c.

(3) In libris Carolinis, quorum saltem capita praecipua 85 Carolus probabiliter anno 794 per Angilbertum misit ad Hadrianum I. Pontificem, « ut corrigerentur, » continetur etiam reprehensio huius locutionis, qua Graeci dicunt Spiritum Sanctum *a Patre per Filium* procedere, velut ambiguae et non satis consonae cum fide universali, qua creditur processio *a Patre et Filio.* « Tarasius (in Concilio Nicaeno II) Spiritum

tam diserta expositione fidei a Romano Pontifice, anno 809 celebrandum curavit Concilium Aquisgranense, de quo Macarius tam multa comminiscitur.

Tria sunt de quibus actum est in Concilio, de ipsa doctrina processionis a Patre et Filio, de huius professionis insertione in symbolum Constantinopolitanum, de statu Ecclesiarum. Quoad primum utique de doctrina et fide catholica constabat, cum in regnis Francorum iam diu professio publica solemniter inter liturgiam promulgari soleret, et Pontifex ipse in suo symbolo ad omnes Ecclesias orientales, quod prae manibus erat, eandem veritatem ab omnibus inviolabiliter tenendam declarasset. Nihilominus cum nunc

Sanctum non ex Patre tantum, sicut quidam, *qui quamquam eum ex Filio procedere quodammodo tacuerint, tamen ex Patre et Filio procedentem omnino crediderunt,* neque ex Patre et Filio, *sicut omnis universaliter confitetur et credit Ecclesia eum procedere,* sed ex Patre per Filium in suae fidei professione procedere confessus est. In qua professione nisi puritas et sinceritas cordis sit, quae credat eum non creaturam, sed creatorem, nec Patre Filioque minorem, sed eis aequalem et consubstantialem et ab utroque procedere, perniciosum virus poterit exoriri... Si aliarum rerum definitio tam perspicua tamque debet esse dilucida, ut ea quae demonstranda sunt, evidenter demonstret, multo magis fidei definitio dilucida et perspicua et omni ambiguitate sive tortuositate carens esse debet... Ex Patre enim et Filio Spiritum Sanctum, non ex Patre per Filium procedere, *recte creditur et usitate confitetur,* quia non per Filium utpote creatura quae per ipsum facta est, neque quasi posterior tempore, aut minor potestate, aut alterius substantiae procedit, sed ex Patre et Filio ut coaeternus, ut consubstantialis, ut coaequalis, ut unius gloriae, potestatis atque divinitatis cum eis existens, procedere creditur... Et idcirco quaeri potest, utrum dici queat Spiritus Sanctus *a Patre per Filium* procedere, ne dum incaute haec propositio *per* in tanti mysterii professione ponitur, Ariani illius erroris virosum cuiquam poculum ministret, qui Spiritum Sanctum creaturam esse, et per Filium sicut et cetera quae creata sunt, creatum esse blasphemat » Carolin. l. III, c. 3. Imo ibi c. 8. suspicio iniicitur de omnibus Episcopis graecis, qui interfuerant Concilio. « Quod paene de omnium fide ambigitur, cum Spiritum Sanctum quidam a Patre tantum, quidam vero neque a Patre neque a Filio procedentem confessi sint. » Hadrianum orthodoxiam Graecorum etiam quoad hunc articulum in sua ad Carolum responsione vindicasse, alibi vidimus, Cf. supra p. 79; et Th. XXXIX. p. 574. De libris Carolinis. Lege el. Hefele Hist. Concil. T. III, §. 399. seqq.

error contra dogma penes Graecos emergere videretur, visum est antiquae fidei fundamenta in Scriptura et Patribus inquirere et veritatem ex eisdem munire. Ita in omnibus Conciliis semper actum est quoad veritates pridem quidem creditas, sed nova declaratione contra haereticos vindicandas; hac enim methodo antiqua fides de consubstantialitate Filii cum Patre; tum de unitate personae, de duabus impermixtis naturis duabusque operationibus et voluntatibus in Christo; de cultu relativo imaginum definita est, ut constat ex historia et actis primorum septem Conciliorum. Haec autem vindicatio doctrinae catholicae in Concilio Aquisgranensi ex mente Caroli eo maxime tendebat, ut a Leone Pontifice obtineret, non iam definitionem dogmatis ab ipsomet Leone proclamati in sua declaratione ad orientales, sed eiusdem professionis insertionem in symbolum. Haec ita in Concilio gesta esse discimus non tam ex paucis verbis annalium illius aetatis quam ex iis, quae a legatis Caroli Bernhario Episcopo Wormatiensi et Adelhardo Abbate Corbeiensi post Concilium ad Leonem III missis, coram eodem Pontifice exposita sunt.

Primum « lecta sunt per ordinem testimonia, » quae putantur fuisse illa edita ab Holstenio sub commentitia (ut videtur) inscriptione epistolae Caroli imperatoris ad Leonem III (Mansi T. XIV. p. 23). Lecta autem non sunt ad doctrinam Pontifici persuadendam, ut stulte ait Macarius, cum imo Pontifex ipse professionem iam saepe memoratam misisset ad imperatorem; sed recitabantur testimonia per modum introductionis et praeparationis ad scopum principem legationis Caesareae, ut, quemadmodum diximus, a Pontifice impetraretur solemnis sanctio insertionis in symbolum. Hinc in exordio illius collectionis testimoniorum conqueritur auctor, quod articulus de processione Spiritus Sancti iam diu non tam instanti praedicatione, ut tempore ss. Patrum, inculcari consueverat; nunc autem errore contrario emergente « voluit omnipotens Deus in eandem quaestionem (quae diu indiscussa iacebat) suscitare corda pastorum.... *ne zizania satoris iniqui semenque malignum formosi tritici valeat opprimere fructum, aut volans passim*

volucris haeretica semen catholicum a cordibus rapiat parvulorum. » Tum sequuntur testimonia Scripturae ac Patrum (1), « ut divinorum librorum testimoniis victus multorumque orthodoxorum nube testium pressus *veritati non valeat resistere inimicus;* sed potius sententiis catholicis veridicisque suasus testimoniis *revertatur ad tutissimum Ecclesiae sinum.* » His denique perlectis ventum est continuo ad tractationem cum Pontifice, in qua nihil de dogmate ipso actum est, nisi quod plenus in illud consensus iam antea manifestus, a Leone iterum declararetur tamquam in veritatem fidei catholicae ab omnibus explicite credendam, ita tamen ut eis qui inculpabili ignorantia excusantur, fides implicita sufficeret, sicut accidit in omnibus dogmatibus, quorum notitia non est de *necessitate medii* (2). Legati vero ob superiorem dignitatem huius articuli, et *ob necessitatem praecepti,* ut omnes expeditius hanc veritatem

(1) Testimonia Scripturae ibi prolata reduci possunt ad tres classes: quod aeque dicitur Spiritus Filii sicut Patris, quod una missione mittitur a Patre et Filio, quod procedit *de ore Patris;* os autem Patris a s. Gregorio (sicut ab aliis PP. multis) intelligitur Filius. De primi et secundi argumenti valore vide Th. XXXII. XXXIII. Patrum testimonia, uno Hieronymi excepto, desumpta sunt ex opusculo de Spiritu Sancto, quod hoc ipso tempore iussu Caroli M. scripserat Theodulphus Aurelianensis. Sunt ista testimonia Patrum a legatis inducta non plura quam quinque ss. Doctorum, eaque ex Cyrillo, Ambrosio, Augustino prorsus genuina; textus Athanasii quoad sensum exstat in l. de Trin. et Spir. S. n. 19; postremus ex Expositione symboli sub nomine Hieronymi prolatus item quoad sensum legitur in Exposit. symboli n. 35, quae est Rufini, sed olim Hieronymo tribui solebat. Quo ergo abeunt clamores Macarii de falsis citationibus?

(2) « Quisquis (aiebat Pontifex) ad hoc sensu subtiliori pertingere potest, et id scire aut sciens credere noluerit, salvus esse non poterit. Sunt enim multa, e quibus istud unum est, sacra fidei altiora mysteria subtilioraque sacramenta, ad quorum indagationem pertingere multi valent; multi vero aut aetatis quantitate aut intelligentiae qualitate praepediti non valent. Et ideo, ut praediximus, qui potuerit et noluerit, salvus esse non poterit » (Mansi XIV. p. 19). Haec Macarius appellat « dogmata novi generis, » quorum nempe notitia et fides *explicita* non omnibus sit necessaria ad salutem. Fortasse ne Russi quidem tam arcto ambitu veritates fidei concludi velint, ut nihil ad depositum fidei pertinere censeatur, quod pueri, rustici, imo adderem, quod Popae et Episcopi ipsorum ignorant.

docerentur, persuadere conabantur illud unum cuius causa missi erant, ut insertio in symbolum auctoritate Pontificis confirmaretur (1). Hoc autem quomodo tunc a Leone III negatum, postea vero ob necessitatem ex haeresi Photiana partam usu legitimo paulatim inductum fuerit, diximus in Th. XLI.

Nunc ex ipsa rerum gestarum historia nemini dubium esse potest, non solum in Concilio Aquisgranensi sed in universa Ecclesia, maxime occidentali de qua in hoc capite Macarius disputat, plenum fuisse consensum in ipsum dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio; nec iam opus est singula quae Photianus de Concilio comminiscitur superius a nobis descripta, multis confutare.

a) Turbae a monacho Ioanne excitatae et periculum ne error latius serperet, satis habebant gravitatis, ut tum Pontifex Leo in suo symbolo ad omnes Ecclesias, tum praeeunte Pontifice Concilium Aquisgranense vindicias susciperent catholicae doctrinae. Pro Concilio alia accedebat ratio ex suspicione, qua apud Carolum licet immerito fides Graecorum universim laborabat.

b) Ex historia dogmatis de processione Spiritus Sancti in Ecclesia praesertim occidentali, eoque evidentius in regnis Caroli M. non solum non colligitur, quod Macarius ait, Aquisgrani acriter disceptatum esse in utramque partem; sed manifestissimum est, apud eos quibus ambiguae

(1) Ex rerum serie descripta constat, quid censendum sit de ea controversia, utrum in synodo Aquisgranensi actum sit tantummodo de declaratione symbolo inserenda, ut sentit Baronius (ad ann. 809. n. 53), an de ipsa dumtaxat doctrina processionis, ut contra Baronium Pagius (ibi in Critica) ex Cointio contendit. Certissime sicut monachus graecus de utroque moverat quaestionem, ita in Concilio actum est de utroque, sed modo diverso, quem demonstravimus; et de utroque intelligendi sunt annalium scriptores, quando dicunt, « agitatam esse quaestionem de processione Spiritus Sancti; » at non nisi de eo quod Carolus ipsaque synodus maxime urgebat, de insertione inquam in symbolum intelligi potest, quod Eginhardus (annal. ad h. a.) ait, « *eius definiendae causa* Bernharium et Adelhardum Romam ad Leonem Papam missos esse; » nam de doctrina ipsa non solum iam pridem plene constabat, sed etiam prae oculis erat definitio recentissima Leonis ad imperatorem et per eum ad Concilium transmissa.

etiam locutiones de hoc dogmate videbantur intolerabiles, qui plenum totius Ecclesiae consensum palam agnoscebant, qui quotidie in ipso symbolo articulum fidei profitebantur, nullam fuisse aut esse potuisse disputationem nisi ad vindicandum et confirmandum dogma, « sicut omnis universaliter credit et confitetur Ecclesia. » In hac rerum conditione profecto absurde Macarius fingit, in ipso Concilio de doctrina fuisse diversas sententias, eo quod Ado Viennensis, Hermannus Contractus, et alii annalium scriptores dicunt, in Concilio « ventilatam » aut « agitatam esse quaestionem » de processione Spiritus Sancti. Narrant nimirum omnes illi scriptores, quaestionem utrum Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio, motam esse a Ioanne monacho graeco, et de ea sic mota fuisse actum in synodo Aquisgranensi. Quo autem sensu de ea actum sit, demonstrant res gestae, quas exposuimus, et insuper Ado cuius verba Macarius citat truncata, id etiam aperte indicat (1). Porro « acriter fuisse disceptatum et nihil decisum, » Macarius comminiscitur. Verba enim illa ab ipso citata (ex Aimoini l. IV. c. 97. de Gest. Franc.), non ad dogma de processione Spiritus Sancti, sed ad plane aliud referuntur, ad disciplinam nempe ecclesiasticam (2).

(1) « Synodus magna Grani aquis congregatur anno incarnationis Domini DCCCIX., in qua synodo de processione Spiritus Sancti quaestio agitatur. Hanc quaestionem Ioannes monachus Hierosolymitanus moverat (hucusque citat Macarius, sed caute supprimit sequentia), *cum regula et fides ecclesiastica firmet, Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere*, non creatum, non genitum, sed Patri et Filio coaeternum et consubstantialem » Ado chronic. ad annum 809.

(2) Aimoinus Floriacensis (quem Macarius Aimonium appellat) saeculo X labente vel XI ineunte scripsit historiam de gestis Francorum, quae desinit l. IV. c. 42. Reliqua omnia l. IV. et l. V. sunt ab aliis addita (vide Migne Patrolog. T. CXXXIX.). In hac appendice verba, ad quae adversarius appellat, sunt descripta ex Eginhardi annalibus ad annum 809. « Imperator de Arduenna Aquas reversus mense Novembrio Concilium habuit de processione Spiritus Sancti, quam quaestionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primo commovit, cuius definiendae causa Bernharius Episcopus Wormacensis et Adelhardus Abbas monasterii Corbeiae Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio *de statu Ecclesiarum et conversatione co-*

c) Quod tertio loco profertur, *quaestio contra dogma* utique erat nuper exorta, quam Ioannes monachus *primo commovit*. Propterea quamdiu veritas sine controversia simpliciter credebatur, in hoc stadio tranquillae possessionis diligentior inquisitio et instantior praedicatio minime videbatur necessaria, ut Gregorius Nazianzenus, Basilius, Epiphanius de Concilii Nicaeni Patribus aiunt, « doctrinam de Spiritu Sancto ab eis obiter (ἐν παραδρομῇ, ἐλλιπῶς) positam fuisse, eo quod tum nondum mota esset quaestio; sed sine insidiis mentibus fidelium insita esset sententia» (vide Th. XXXV.). Omnino in hoc dogmate idem accidit, quod universim in *explicatione* revelatae doctrinae locum habet. « Multa quidem ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, *et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur;* et ab adversario mota quaestio discendi existit occasio » August. Civ. Dei XVI. c. 2. n. 1; in Ps. 54. n. 22. cf. Vinc. Lirin. Commonit. n.27-32.(vide Tract. de Tradit. Th. XXIII. XXV.). Hoc autem ipsum sin minus verbis certe sensu Augustini monet auctor illius scripti, quod sub nomine epistolae Caroli M. ad Leonem Pontificem habemus. Neque vero ille dicit, quod ait Macarius, quaestionem relictam fuisse *indecisam;* sed forte non sine aliqua exaggeratione conqueritur, eam ex longo tempore minus diligenter fuisse discussam. « Iam diu neglecta; » « iamdiu indiscussa iacebat; » nunc vero « voluit omnipotens Deus in eandem suscitare corda pastorum, » non quasi in Ecclesia dubium esset de ipso dogmate; sed imo ad illud considerandum diligentius et intelligendum clarius et instantius praedicandum, « ne *zizania satoris iniqui semenque malignum* formosi tritici valeat opprimere fructum, aut volans passim *volucris haeretica semen catholicum a cordibus rapiat parvulorum.* » Ita nimirum, inquit, ex providentia divina « crebris quaestionum ictibus praesens Ecclesia tunditur, *ut doctrinis catho-*

rum, qui in eis Deo servire dicuntur, nec aliquid tamen definitum est propter rerum, ut videbatur, magnitudinem. » (De Aimonii Historia vide dissertationem Philippi Labbe).

licis erudita sanaeque fidei confessionibus elimata, in aeternum... vivere cum Domino valeat feliciter regnatura. »

d) Quae adduntur quarto loco, nihil sunt aliud quam farrago impudentium mendaciorum, ut constat ex iis quae praestruximus. Quomodo quaeso a legatis Francorum primum proponenda, ex allatis testimoniis persuadenda, et demum *ficte* admittenda erat a Pontifice illa catholica doctrina, cuius definitionem « secundum Romanae catholicae et apostolicae Ecclesiae rectam et inviolabilem fidem ab omni mundo tenendam » ipsemet paulo ante miserat ad Carolum imperatorem, cum imo haec ipsa Pontificis professio et definitio fuerit proposita Concilio, a quo legati isti missi erant? De distinctione vero inter articulos, quorum fides explicita sit *de necessitate medii*, vel *de necessitate praecepti*, vel non pro omnibus fidelibus de necessitate sive *medii* sive *praecepti,* ita ut fides implicita sufficiat, nihil opus est plura dicere. Macarius theologus, Episcopus et nunc Metropolita apud suos, discat illa ex catechismo (vide Tract. de Tradit. Th. XXIII.).

e) Remanet illud, quod Macarius imponit Pontifici de sententia Patrum. Insinuat nempe, verba Leonis, « sanctos Patres *istud non minus nobis intellexisse,* » et nihilominus professionem processionis a Filio non posuisse in symbolo; haec inquam verba referri ad ipsum dogma, quasi Leo dixisset, Patres divina sapientia illuminatos mysterium Trinitatis intellexisse, nec tamen admisisse processionem Spiritus a Filio. At disputatio ibi est longe diversa. Pontifex et legati Francorum plene consentiunt quoad certitudinem dogmatis; ex hoc autem ipso quaerunt legati, an non merito laudandi essent Patres antiqui, si hanc fidei veritatem tam certam et tam necessariam symbolo inseruissent? Ad hanc quaestionem respondet Pontifex verbis a Macario truncatis et extra contextum citatis, se nempe non audere dicere Patres non recte facturos fuisse, si explicationem symbolo addidissent; at neque reprehendi posse formam symboli a Patribus fixam, quoniam *istud*, quas scilicet veritates fidei oportuerit symbolo comprehendere, quas omittere, divina sapientia illuminati non minus nobis

intellexerunt (1). Res nempe haec ad disciplinam pertinet, a qua antiquitus adoptata et universali recedendum non est sine causa graviori, cuiusmodi tempore Leonis, ante invectam et obfirmatam haeresim Photianam, nulla apparebat (vide Th. XLI.).

Haec de commentis Macarianis visa sunt paulo distinctius exponenda, ex quibus ingenium cognosceretur hominum in luce etiam clarissima tenebras quaerentium tanto molimine, ut videantur in veritatis detorsione vix ab aliis haereticis umquam fuisse superati.

CAPUT III.

DE SS. PATRUM TESTIMONIIS, QUI DOCUERINT SPIRITUM SANCTUM PROCEDERE A SOLO PATRE.

Macarius lectores suos credere iubet, infinita prostare testimonia Patrum, quibus dogma Photianum extra omne dubium ponatur (2). Zoernikawium, ait, ex quinquaginta septem Patribus orientalibus et quadraginta quinque occidentalibus protulisse mille fere sententias ad demonstrandam veritatem, haeresim nempe a suo Photio invectam; nec tamen Zoernikawium Patres omnes vidisse, cum plurium

(1) « *Missi:* Hoc quaero, hoc ut dicatur, rogo: quia id credere bonum est; bonum hodie sicut ad credendum ita ad cantandum tunc esse, si ab eis (veteribus PP.) insertum fuisset. *Papa:* Bonum certe et valde bonum, utpote tam fidei sacramentum magnum, quod non licet non credere, quisquis ad hoc valet pertingere. *Missi:* Numquid non bene idem tunc auctores fecissent, si quatuor tantum addendo syllabas tam pernecessarium fidei sacramentum cunctis deinceps saeculis perspicuum redderetur? *Papa:* Sicut non audeo dicere, non bene fecisse, si fecissent, quia procul dubio sicut cetera (dogmata fidei non minus necessaria) quae vel omiserunt, scientes utique et non tam humana quam divina illuminati sapientia fecerunt; ita quoque non audeo dicere, istud eos nobis minus intellexisse. » Mansi T. XIV. p. 19.

(2) Suam diatriben ita inscribit: « Comment envisager les témoignages de cet ordre portant que le Saint-Esprit procède *du Père seul?* Ces témoignages sont infiniment nombreux et variés, et, embrassant de tous les côtés la verité qu'ils confirment, ils la mettent hors de toute espèce de doute. » p. 367.

opera eius aetate nondum essent in lucem edita. Expectamus ergo nunc tandem ab eruditione Macarii Patrum testimonia non illa notissima *affirmantia* Spiritus Sancti *processionem a Patre,* quam in Scriptura, in symbolis, in Conciliis, in Patrum omnium scriptis et in professione totius Ecclesiae catholicae testatissimam et contra Arianos ac pneumatomachos sollicite semper inculcatam novimus et confitemur; sed testimonia postulamus haud quidem millena, ut ipse iactat, sed saltem aliqua quae contineant *negationem Photianam,* Spiritum *non procedere etiam a Filio.* Processio autem a Filio non sensibus alienis, quos schismatici per calumniam doctrinae catholicae obtruserunt, sed sensu genuino intelligenda est secundum fidem catholicam, qua Filius sicut omnia quae sunt Patris (excepta paternitate), ita etiam vim spiratricem creditur habere communicatam a Patre, atque adeo Pater est quidem Spiritus Sancti principium sine principio, seu (ut sancti doctores loquuntur) principium primordiale, sed Filius sicut Deus de Deo et unus cum Patre Deus, ita in relatione ad personam tertiam est principium de principio et unum cum Patre principium.

§. I. *De Patrum qui inducuntur, doctrina universim.*

Si eos ipsos textus Patrum quos Macarius ad demonstrandam Photianam sententiam ex contextibus avulsos adducit, perlustres universos, in iis nihil prorsus aliud reperies quam dogma catholicum, Spiritum Sanctum procedere a Patre, Patrem esse principium Filii et Spiritus Sancti; sed *nullus* eorum docet Spiritum Sanctum *procedere a solo Patre,* ita ut spiratio *non sit communis Patri et Filio,* ad quam *negationem* probandam a Macario inducuntur; illique ipsi quos citat, vel plerique disertis verbis, vel adhuc clarius exponendo relationem spirati ad Patrem et Filium vel ad Patrem per Filium, profitentur fidem revelatam de processione tertiae personae a prima et secunda.

Imo quod in aliis quibusdam dogmatibus accidit, quando Patres ante ortam controversiam et nondum distinctius

declarata doctrina loquebantur obscurius et implicatius, aliqui rem minus recte concipientes forte etiam errarunt, id in praesenti dogmate fere nullum vel certe longe minus quam in aliis quibusdam doctrinae capitibus locum habet. Nam ex Patribus alioquin orthodoxis nullus reperitur, qui demonstrari possit in ipsa doctrina de processione ex Filio errasse, quod tamen ante eius explicitam definitionem et polemicam declarationem venia dignum esset. De sententia in scriptis aliunde haereticis et in III. ac V. Concilio damnatis Theodori Mopsuesteni et Theodoreti, fortasse etiam Rustici diaconi schismatici, et Anastasii Bibliothecarii Photio haeresis architecto amicitia coniuncti dubitari quidem potest; sed de iis ipsis quid inspectis contextibus et simul computata communi ac clara aliorum veterum doctrina censendum videatur, dixi in Tractatu Th. XXXV. XXXVIII. Obscuritas aliqua in verbis, si ea a contextibus et a doctrina alibi clare expressa avellantur, reperiri potest apud solum Ioannem Damascenum et quadamtenus apud s. Maximum, quae tandem ad illud unum revocatur, quod uterque nomen *causae* (ἀιτια), et Damascenus etiam particulam *ex* in comparatione cum altera *per* (ἐξ et δια), sensu paulo strictiori de sola *causa primordiali* recte usurpari putaverit, quemadmodum Basilius (de Sp. S. n. 21.) et Chrysostomus (In Io. hom. 5. al. 4. n. 2. 3.) declararunt, particulas *a Patre per Filium* usurpari ad designandam causam primordialem (την προκαταρκτικην ἀιτιαν, το ἀγεννητον), et Gregorius Nazianzenus (or. 34. al. 24. n. 8) tres personas distinxit ut *causam, et effectorem, et perfectorem* (το ἀιτιον, το δημιουργον και το τελειοποιον), ac Nyssenus (cont. Eunom. I. p. 416. Migne) quoad ipsam processionem Spiritus Sancti dixit *lumen prototypum* Patrem, et *lumen proxime ex lumine prototypo* Filium, et lumen aequale Spiritum Sanctum, *quod per lumen genitum effulget* (1) *et causam hypostaseos habent ex lumine prototypo.*

(1) δια γεννητου φωτος ἐκλαμπον. Est utique evidens, *effulsionem* dici processionem immanentem; imo hac ipsa voce Nyssenus in contextu designat etiam generationem Filii. Ἐν περινοιᾳ του ἀγεννητου φωτος καταστατες, ἐκειθεν παλιν το ἐξ ἀυτου φως κατα το προσεχες ἐνοησαμεν, ὁιον ἀκτινα

Verum de hac etiam phraseologia Maximi et Damasceni ac de genuina eorum sententia sufficiunt, quae in Tractatu Th. XXXVI. n. II. demonstrata sunt.

Quod spectat conspirantem Patrum orientalium et occidentalium doctrinam, qua disertis verbis declarantes oeconomiam SS. Trinitatis seu ordinem ac relationes inter tres divinas personas explicant processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, quatenus unum sunt spiratione, vel a Patre per Filium, quatenus Filius a Patre principio primordiali communicatam habet spirationem, hunc inquam Patrum consensum ita in nostro Tractatu exhibuimus testimoniis

τινα τῳ ἡλιῳ συνεφισταμενην... μαλλον ὀυχι ἀκτινα ἐξ ἡλιου νοησομεν, ἀλλ' ἐξ ἀγεννητου ἡλιου ἀλλον ἡλιον, ὁμου τῃ του πρωτου ἐπινοιᾳ γεννητως ἀυτῳ συνεκλαμποντα... και παλιν ἑτερον τοιουτον φως, κατα τον ἀυτον τροπον ὀυ χρονικῳ τινι διαστηματι του γεννητου φωτος ἀποτεμνομενον, ἀλλα δι' ἀυτου μεν ἐκλαμπον την δε της ὑποστασεως ἀιτιαν ἐχον ἐκ του πρωτοτυπου φωτος. l. c. 416. Nimirum eodem modo, quo lumen primordiale non tempore, sed ut principium praeintelligitur lumini per generationem effulgenti ex ipso, etiam lumen genitum non prius tempore sed ut principium praeintelligitur lumini per ipsum effulgenti et causam habenti ex lumine primordiali. Nam ex primordiali hoc lumine effulget ipsum lumen genitum, per quod effulget lumen tertium (ut Epiphanius Spiritum appellat *φως τριτον παρα πατρος και ὑιου* Haeres. 74. n. 8). Hunc ordinem principii et procedentis a principio Nyssenus paulo inferius iterum explicat, ubi Filio in relatione ad Spiritum Sanctum diserte nomen *causae* tribuit, sicut superius dixerat, Spiritum Sanctum habere causam hypostaseos *ex lumine primordiali* (Patre), sed effulgendo *per lumen genitum*. Filium, inquit, profitemur aeternum et tamen non ingenitum. « Nam Filius ut genitus coniungitur ingenito Patri. Eadem vero est nostra doctrina de Spiritu Sancto in solo (personarum) ordine distinctionem constituens. Quemadmodum enim coniungitur Patri Filius, et essentiam ex ipso habens non posterior est existentia, sic etiam Spiritus Sanctus pendet ab unigenito, qui sola cogitatione *secundum rationem causae* praeintelligitur hypostasi Spiritus Sancti; temporis vero dimensiones in illa aeterna vita locum non habent, ita ut excepta ratione *causae* personae SS. Trinitatis in nullo inter se distinguantur. » *Ὁτι (ὁ υἱος) γεννητως τῃ ἀγεννησιᾳ του πατρος συναπτομενος. Ὁ δε ἀυτος ἡμιν και περι του ἁγιου πνευματος λογος ἐν μονῃ τῃ ταξει την διαφοραν ἐχων. Ὡς γαρ συναπτεται τῳ πατρι ὁ ὑιος, καὶ το ἐξ ἀυτου ἐιναι ἐχων ὀυχ ὑστεριζει κατα την ὑπαρξιν, ὀυτω παλιν και του μονογενους ἐχεται το πνευμα το ἁγιον, ἐπινοιᾳ μονῃ κατα τον της ἀιτιας λογον προθεωρουμενου της του πνευματος ὑποστασεως... ὡς του λογου της ἀιτιας ὑπεξῃρημενου ἐν μηδεν την ἁγιαν τριαδα προς ἑαυτην ἀσυμφωνως ἐχειν.* l. l. p. 464.

nulla sophistica arte detorquendis, ut hoc loco eadem iterum demonstrare nihil opus sit. Audivimus Patres nunc quidem explicite docentes, aeternum Spiritus Sancti principium esse Patrem et Filium, Spiritum procedere ex essentia Patris et Filii, vel procedere ab ambobus, vel eo quod Spiritus procedit a Patre, fas non esse negare eundem procedere etiam a Filio; nunc vero iidem PP. locis aliis potissimum adversus Arianos docent, eo quod Spiritus procedit a Filio, demonstrari etiam processionem a Patre, et Spiritum secundum Scripturas procedere a Patre propterea, quod sicut Spiritus omnia quae habet, accipit a Filio, ita et Filius, omnia sua, ac proinde etiam virtutem spiratricem habet a Patre, atque idcirco Patrem esse principium totius deitatis. Iam vero quis non videt, in utraque hac serie testimoniorum plenissimum esse consensum, et ad integram Patrum sententiam rite intelligendam, posteriora testimonia cum prioribus esse coniungenda; haec enim posteriora enuntiant dogma catholicum processionis a Patre, atque coniuncta cum prioribus explicant verum ac revelatum dogmatis sensum secundum unitatem et distinctionem et ordinem trium divinarum personarum. Qui ergo in secunda dumtaxat serie testimoniorum demonstrationem originis personarum et processionis a Patre atque unitatem principii in SS. Trinitate solam prae oculis habet, is Patrum doctrinam spectat inadaequate et ex una tantum parte licet verissima; qui autem ea testimonia sumit sensu excludente et negante processionem Spiritus etiam a Filio, is totam Patrum doctrinam pervertit non solum eo, quod explicitam et consentientem eorum professionem processionis a Filio in priore serie testimoniorum comprehensam negat, sed quod etiam ipsam affirmationem processionis a Patre detorquet in sensum a veteribus alienissimum, quasi Pater spiratione distingueretur a Filio; atque ita una cum negatione processionis ex Filio simul etiam pervertit verum sensum dogmatis processionis a Patre. Neque enim dogma, quod nos catholici cum Patribus profitemur, Spiritum procedere a Patre et Patrem esse principium Spiritus Sancti, idem est ac illud, quod Photiani iisdem verbis sed

alio sensu dicunt; sicut aliud est dogma, cum catholici in symbolo profitentur unum Deum Patrem creatorem coeli et terrae, et aliud cum Ariani eadem verba sed alio sensu recitant. Nos catholici credimus Patrem cum Filio et Spiritu Sancto unum Deum creatorem omnium, Ariani supponunt Patrem solum excluso Filio et Spiritu Sancto esse verum Deum; eadem ratione catholici profitemur a Patre prima persona, ut spiratione unum est cum Filio persona secunda, procedere Spiritum Sanctum, Photiani verbis iisdem Patrem dividunt a Filio, et negant personarum unitatem in omnibus, ubi non obviat oppositio relationum originis unius ab altera.

Iam vero Macarius coacervando per multas paginas testimonia ex secunda serie, quam diximus, et ex eis concludendo, veteres unanimes docuisse *a solo* Patre (excluso Filio) procedere Spiritum Sanctum, doctrinam Sanctorum utroque modo pervertit, negando videlicet id quod unanimes docent in serie priori testimoniorum, et testimoniis in serie altera substituendo sensum repugnantem tum doctrinae Patrum universae tum ipsis verbis immediate in se spectatis, quoniam propositionem *affirmantem* fide certissimam, Spiritum procedere a Patre, transmutat in suam propositionem *excludentem* procedere Spiritum *a solo* Patre *et non a Filio*. Hinc porro fit, ut ex hac Photiana perversione ss. Doctores non modo alii aliis repugnantes, sed singuli sibimet ipsis contradicentes impudenti irrisione nobis sistantur, dum dogma quod in aliis locis diserte profitentur ac docent, in aliis negare et excludere dicuntur.

§. II. *De Macariana distributione Patrum in quatuor classes, et de nonnullis erroribus qui obiter notantur.*

Singillatim inspiciamus non iam artem quae praeter textuum aliquot truncationem hic nulla apparet, sed incredibilem confidentiam, qua Macarius veterum dicta conglomerat ad suam illam *negationem* processionis a Filio ss. Patribus obtrudendam. Distribuit ipse testimonia in quatuor

classes. 1° Alii (inquit) docent, Spiritum procedere a Patre, nulla facta mentione Filii; 2° alii profitentur processionem a Patre, Filio autem non processionem sed aliquid aliud, missionem vel manifestationem adscribunt; 3^{tio} alii affirmant, Patrem solum esse principium ac fontem, unde progrediatur Filius et Spiritus Sanctus; 4° alii omnino excludunt saltem sensu vel etiam expressis verbis notionem processionis a Filio.

Iam primo intuitu absurda et ad scopum propositum inepta apparet haec divisio; si enim primis tribus classibus *non* est commune id, de quo unice quaeritur, ut nempe diserte vel saltem *sensu* excludant processionem a Filio, sed hoc proprium manet quartae dumtaxat classi, tota illa farrago trium priorum divisionum nihil ad rem pertinens frustra inducitur. Et sane quis est catholicus theologus, qui illa tria non profiteatur? Qua cum professione tamen optime consistit, imo si Patrum doctrina de relationibus et de ordine trium personarum prae oculis habeatur, quemadmodum in Tractatu demonstravimus, in ista ipsa professione includitur, Spiritum a Patre procedere, ut Pater unum est cum Filio tum spiratione tum missione et manifestatione eiusdem Spiritus, et Patrem esse principium non modo generationis Filii sed processionis quoque Spiritus Sancti, cum Filius non a se sed a Patre habeat, ut etiam de ipso procedat Spiritus; hacque ratione custodiri μοναρχίαν, tum scilicet unitatem principii in SS. Trinitate, tum hoc ipso consubstantialitatem personarum et numericam unitatem deitatis.

Multo vero magis, nescio an admirationem vel indignationem movet tumida illa divisio, cum leguntur nomina Patrum, qui velut hostes catholicae doctrinae inducuntur. Citantur a Macario in omnibus illis suis quatuor classibus *Cyrillus Alexandrinus* et *Augustinus*, in tribus aut saltem in aliqua eorum *Origenes*, *Athanasius*, *Basilius*, *Gregorius Nyssenus*, *Epiphanius*, *Anastasius Antiochenus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Leo Magnus*, *Vigilius Tapsensis*, *Paschasius diaconus*, *Fulgentius*, *Gregorius Magnus*. Atqui horum omnium disertam doctrinam vel etiam explicationem

luculentissimam processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio vidimus in nostro Tractatu, et aliquorum in hac ipsa appendice (Anastasii p. 65; Ambrosii p. 41; Hieronymi p. 45; Paschasii p. 23. *nota*).

His addit declamator alios graecos et latinos; sed cum in prioribus tribus classibus numerati, ad unum omnes, etiam ut a Macario citantur, nihil prorsus aliud dicant, quam quod omnes catholici credimus et profitemur, non opus est responsione alia praeter illam, quae ad huiusmodi Patrum citationes data est in Concilio Florentino. « Latini ad haec omnia unum et commune dederunt responsum, omnia esse verissima, seque idem sentire; nam credunt etiam ipsi, Sanctum Spiritum ex Patre procedere (ut ex prima persona SS. Trinitatis, ac proinde Filium personam secundam non habere nisi a Patre generante, ut etiam ex ipso Filio genito procedat persona tertia, hocque ipso Patrem esse principium την άιτιαν Filii et Spiritus Sancti); hoc enim vero non est contrarium eorum dogmati » (vide in Tractatu Th. XXXIX.).

Pauca tamen obiter animadvertam ad eruditionis Macarianae commendationem. Sine dubio apud Chrysostomum sicut apud alios omnes Patres plura exstant testimonia, quibus dicitur Spiritus a Patre procedere. Quare nescio, ob quam causam Macario potius placuerit velut Chrysostomi inducere textum unicum (1) ex homilia spuria in

(1) Ceterum profecto mirum, quid Macarius exsculpere tandem voluerit ex illa homilia, in qua nihil est aliud nisi haec verissima descriptio haeresis Macedonianae: « Macedoniani non crediderunt, Spiritum Sanctum ex Patre ineffabiliter procedentem esse Deum. » (Vide de hac haeresi Th. XXXVIII.). Si iam placuit ex homiliis in Psalmos perperam Chrysostomo tributis aliquid adferre ad sententiam veterum Graecorum confirmandam, potuit Photianus legere homiliam in Ps. 96. n. 4. (T. V. p. 608. ed. Migne PP. GG. T. LV), quae a Savilio et Tillemontio adscribitur Severiano. Ibi in consensu cum aliis PP. graecis (vide Th. XXXVI, n. I. 2°. *d*) processio Spiritus Sancti ita declaratur. « Si Spiritus Sanctus est aqua viva, ipsamque accipiunt credentes, cur dixisti, si quis sitit, veniat ad me; et non dixisti, si quis sitit, veniat ad Spiritum Sanctum? Sed etsi *ad me* dixit, vere certe dixit; *unus quippe* (Pater) *est amborum* (Filii et Spiritus) *fons*... Quis fons? Dicat Ieremias (Ier. 2. 13.): me dereliquerunt fontem aquae vivae. *Fons aquae vivae Pater, fluvius*

Ps. 115, quae reperitur in latina editione Nivellii T. I. p. 977. pertinens ad quisquilias latinas, ut eas Montefalconius generatim designat (Praefat. ad T. V. §. 17.).

Porro Macarius *ex Bibliotheca PP. Coloniensi* bis citat (p. 378. 383.) *verbis graecis librum I de fide orthodoxa* Anastasii Sinaitae. Atqui nullus est textus graecus in illa Bibliotheca Coloniensi, nec Anastasii sunt *libri* ulli de fide orthodoxa; sed exstant quinque *orationes*, quarum prima de SS.Trinitate ex versione Turriani. Ex hac oratione Anastasii n. 10. 11. 23. desumpta sunt, quae Macarius profert; verba autem graeca non videntur esse aliud, quam Eugenii Bulgar qui Zoernikawii farraginem graece edidit, versio ex versione latina Turriani (1). Quid vero Anastasius (quem minime Sinaitam, sed alium exeunte saeculo VI. Episcopum Antiochenum fuisse constat) in ipsa illa oratione doceat de processione Spiritus Sancti ex Filio, superius descripsimus (p.65.). Vide Galland. T.XII. vel Migne T.LXXXIX.

Nihil dicam de Theoria mystica Germani (2) Constantinopolitani, ex qua textus citatur per se quidem omnino catholicus et consentiens aliorum PP. locutionibus (3), qui

ex *terra manans Filius, aqua fluvii Spiritus Sanctus.* Me dereliquerunt fontem aquae vivae. Dicat eadem de Filio propheta Isaias (Is. 32. 2): et veniet Dominus sicut fluvius gloriosus in terra sitienti. *Viden fontem, fluvium, aquam vivam?* » πηγη ὑδατος ζωντος ὁ πατηρ, ποταμὸς ἐκ της γης προερχομενος ὁ υἱος, ὑδωρ του ποταμου το πνευμα το ἁγιον ...ὁρᾳς πηγην. ποταμον, ὑδωρ ζων.

(1) Verbis a Macario citatis illud unum dicitur, quod omnes PP. et catholici profitentur: a Patre Filium generari, Spiritum Sanctum procedere; proprietates esse solius Patris *ingenitum et principium*, solius Filii *genitum*, solius Spiritus Sancti *processionem.*

(2) Interpres Macarii videtur hunc putasse non nomine sed natione Germanum; appellat enim eum (p. 372) Saint *Hermann* patriarche de CP.

(3) Verba huius scriptoris sunt: « Sanctus Spiritus qui a Patre procedit et in Filio requiescit... Quemadmodum enim sol fons et causa *radii et illuminationis* est, sed *per radium nobis illuminatio communicatur*... ita sane et Deus Pater fons est et causa Filii et Spiritus Sancti; sed *Spiritus ex Patre procedens per Filium datur et manifestatus est* » ὡσπερ γαρ ὁ ἡλιος πηγη και ἀιτια τῆς τε ἀκτινος και της ἐλλαμψεως ἐστι, δια δε της ἀκτινος ἡμιν ἡ ἐλλαμψις μεταδιδοται ...ὁυτω δε και ὁ θεος και πατηρ πηγη ὀυσα και ἀιτια ὑιου και ἁγιου πνευματος· το δε πνευμα ἐκ

tamen sensu detorto etiam adhuc post Photium ab homine schismatico adhiberi potuerit. Illa quippe Theoria seu explicatio liturgiae a viris criticis Frontone Ducaeo, Gretsero, Allatio, Oudino, Fabricio, auctore supplementi ad librum Bellarmini de Script. Eccles. aliisque tribuitur non s. Germano I. saeculi VIII, sed Germano II. qui vixit saeculo XIII. diu post Photium et Cerularium. Gallandius seu potius Gallandii in edenda Bibliotheca successor (T. XIII.) nonnullis non sane magnis rationibus suadet, opus esse Germani I; verum addit: « fatendum tamen ab aliis alia inserta fuisse; quare sincerum Germani foetum vix distinguere quis valeat. »

Ulterius reperit Photianus noster alicubi nominatum Thalassium « monachum Africanum, » et continuo nihil inquirens aliud eum posuit inter Patres occidentales; est enim homo cupidissimus aliquid saltem ambigue dictum inveniendi apud veteres scriptores latinos (1). At Thalassius non VI (ut Macarius ait) sed VII saeculi s. Maximo

πατρος ἐκπορευομενον δι' ὑιου διαδ.δοται και πεφανερωται. (Migne p. 431). Vide Th. XXXIII. n. I. 2°; XXXV. n. I. cf. Th. XXX. n. II.

(1) Ponit Thalassium in sua tertia classe inter eos, qui enuntiant dogma utique catholicum, Patrem esse principium et fontem totius Trinitatis. Si hominem praeiudicia haeretica non obtudissent, facile videre potuit, in eo ipso loco, quem adfert, Thalassium d monstrare, Patrem et Filium seu Patrem per Filium esse *unum principium* procedentis personae tertiae, ut Pater per Filium in Spiritu Sancto unus est creator. « *Principium unum universorum* (ss. Doctores) noverunt Patrem Filii quidem et Spiritus ut genitorem ac fontem aeternum... creaturarum vero ut creatorem et provisorem et iudicem, per Filium scilicet in Spiritu Sancto » *ἀρχὴν δε μιαν των ὀλων τον πατερα οἰδασιν, του μεν ὑιου και του πνευματος ὡς γεννητορα και πηγην ἀΐδιον ... των δε κτισματων ὡς δημιουργον και προνοητην και κριτην. δι' ὑιου δηλαδη ἐν ἁγιῳ πνευματι.* Cent. IV. n. 99. (Migne p. 1469.) *Unum* itaque *principium* universorum est Pater tum personarum ad intra, tum creaturarum ad extra; hoc vero non impedit, quominus Filius et Spiritus Sanctus sint unum cum Patre principium creaturarum, quia per creationem Pater non opponitur Filio et Spiritui, et eo ipso non distinguitur per eam, sed unum est cum eisdem sicut natura ita non minus creatione. Ergo quia Pater unum principium Spiritus Sancti, per spirationem non opponitur Filio, atque idcirco per eam non distinguitur a secunda persona; hoc ipso prima per secundam personam est unum principium personae tertiae, sicut Pater per Filium in Spiritu Sancto est unum principium creaturarum.

coaevus monachus graecus erat in desertis Lybiae, cuius quatuor hecatontades seu centuriae brevium sententiarum esse putantur graece et latine tum alibi tum apud Gallandium (T. XIII. Migne T. XCI.) editae. Si Macarius scriptores patriarchatus Alexandrini occidentalibus accenset, obtinebit sane non spernendum incrementum numeri, nullum tamen causae suae.

Quod s. Prosperum nunc adhuc post tot virorum doctorum demonstrationes contrarias Macarius facit Episcopum Regiensem (p. 380.), idque non in Gallia (Riez), ut olim alii, sed in Italia (évêque de Reggio), commemorabo tantum. Confirmatio vero haeresis Photianae ex Prospero, ut hoc nunc brevissime indicem, aeque absurda est ac probatio eadem, quam tentare ausus est ex Augustino et Fulgentio magnis illis doctoribus et illustratoribus fidei de processione a Patre et Filio. Augustini et Fulgentii doctrinam una cum Macarii corruptelis, et inauditis fraudibus satis descripsi in Tractatu Th. XXXV. n. II. Prosper vero in loco, ex quo Photianus suam truncatam citationem desumpsit, nihil habet aliud quam ipsa verba Augustini ex celebri tractatu XCIX in Ioannem, in quo non solum processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, sed etiam modum explicat, quo Pater et Filius unum est principium eiusdem. Sanctum nempe Spiritum contra ac Ariani docebant, Augustinus declarat a Patre procedere Patri consubstantialem; hoc autem ipso, inquit, quod tertia persona procedit a prima, ab ea procedit quatenus Pater unum est cum Filio persona secunda, quoniam Pater generando Filium ei, praeter esse Patrem, omnia communicat; ac proinde credenda est etiam vis spiratrix una numero a Patre communicata Filio. Prosper in suo libro sententiarum Augustini utrumque describit, tum scilicet processionem a Patre (sent. 370) (1), tum communicationem spirationis a

(1) «. Habet Pater vitam in semet ipso, nec aliud est ipse quam vita quae in illo est, *et dedit Filio habere vitam in semet ipso, hoc est, genuit Filium qui et ipse vita esset.* Sic itaque debemus accipere, quod de Spiritu Sancto dictum est: non loquetur a semet ipso, sed quaecumque audierit loquetur (Io. XVI. 13), ut intelligamus non eum esse a semet

Patre in Filium (sent. 371) (1); Macarius more suo citat priorem tantum sententiam, eamque *affirmantem* detorquet ad sensum *excludentem;* posteriorem vero partem supprimit, quia in ea disertis verbis explicatur *affirmatio* processionis a Patre ut *includens* processionem a Filio.

Aliud specimen Macarius nobis exhibet eruditionis simul et graecae fidei. Citat (p. 373) lingua vernacula et latina textum ex s. Gregorio Magno: « cum Paraclitus Spiritus *a Patre procedat et in Filio maneat.* » Quae verba sufficiunt homini, ut in sua secunda classe testimoniorum Gregorium adnumeret iis Patribus, qui (ut ait) processionem Spiritus a Patre, et quoad Filium « aliquid aliud particulare » asserentes « adhuc clarius probant, veteres non credidisse Spiritus Sancti processionem etiam ex Filio.»

Revera si Gregorius ita (ut profertur) scripsisset, usus quidem fuisset modo loquendi graecis potius Patribus antiquis quam latinis exeuntis saeculi VI familiari, nihil tamen dixisset a dogmate catholico alienum, aut quomodocumque cohaerens cum haeresi Photiana tribus saeculis posterius exoritura. Verbis enim illis nondum mota haereticorum quaestione non contentiose quidem minusque diserte, ut in aliis plerisque dogmatibus accidit, satis tamen pro illo stadio simplicis fidei exprimi poterat professio *immanentis* processionis a Patre per Filium. Nihilominus penes Gregorium, qui in declarandis dogmatibus ac nominatim in explicanda doctrina de processione Spiritus Sancti fere verbis Augustini inhaerere solet, locutio haec graecum

ipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam et Filius et Spiritus Sanctus de Patre procedit... Nec ideo sane aliqua disparilitas in summa illa Trinitate... quia et Filius ei de quo natus est, et Spiritus Sanctus ei de quo procedit, aequalis est. » Macarius h. l. sicut etiam in August. cont. Maximin. l. II. 2. totam vim collocat in numero singulari, quod dicitur: *ei* a quo procedit, aequalis est; non vero *eis*. Certe hac hermeneutica conficietur, Spiritum Sanctum Patri, minime autem Filio esse aequalem; sed de Russica ista argumentatione dixi in Tractatu p. 502. nota 2.

(1) « Nemo autem potest dicere quod non sit vita Spiritus Sanctus, cum vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater, cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio habere vitam in semetipso, *sic ei (Filio) dedit vitam (Spiritum) procedere de illo, sicut procedit et de ipso.»*

potius quam latinum colorem praeseferens non parum admirationis haberet. Quaeramus ergo, ubinam verba illa *latina* repererit Macarius? Cautissima brevitate id indicat suis alumnis: « in Dialogo II. cap. ultimo secundum graecam versionem; confer Theophanem Prokopowicz Theolog. vol. I. p. 1010. » At s. Gregorius latine scripsit, non graece, ipseque Macarius textum latinum citat, quem solum nos quaerimus. Versio autem graeca quomodo textui originali respondeat, et cuius fidei sit, non discemus ab apostata Prokopowicz. Novimus hunc hominem, quoties occurrunt testimonia clariora quam ut in alienum sensum detorqueri possint, impudenter aeque ac stolide illud unum clamare, scripta omnia omnium Patrum esse a Latinis corrupta, quam apologiam solam adhuc reliquam in Concilio Florentino Graecis ipsis absurdam visam fuisse Bessarion testatur (vide in Tractatu nostro Th. XXXIX. p. 588.).

Iam vero in textu latino ad quem Macarius provocat, Gregorius sibi ipsi in locis aliis pluribus, Augustino, Fulgentio ceterisque Patribus plene consentiens ita habet. « Cum enim constet, quia Paracletus Spiritus *a Patre semper procedat et Filio*, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio numquam recedit? » (eo nimirum ipso, quia a Filio procedit processione immanente) Dialog. l. II. c. 38. Versio graeca nunc exstat interpolata licet alio modo, quam quo Macarius testimonium ex suo arbitrio citat velut Gregorii. Graeci enim nunc ita habent: « Manifestum igitur est, *Paracletum Spiritum a Patre procedere et in Filio manere*. Cur ergo Filius se recessurum dicit, ut ille veniat, qui ab ipso numquam est separatus? » (1). Verba

(1) *Φανερον όυν ύπαρχει, ότι το παρακλητον πνευμα ἐκ του πατρος προερχεται, και ἐν τῳ ὑιῳ διαμενει. Τινος όυν χαριν ἑαυτον ὁ ὑιος πορευθηναι λεγει, ἵνα ἐκεινος ἐλθῃ, ὁστις ὀυδεποτε ἀπ' ἀυτου ἐχωρισθη.* Quisque videt, in hac versione totam etiam constructionem grammaticam esse mutatam. Processio enim ex Patre et mansio in Filio ponitur ut consequens ex antecedentibus, cum tamen nihil praecesserit, ex quo illa saltem per se et immediate inferri possit; Gregorius contra in textu originali absolute ponit processionem a Patre et Filio ut principium praemissum, ex quo oritur quaestio consequens, quomodo cum processione immanente ex Filio concilietur dictum Christi: si non abiero, Paracletus non veniet

originalia in hac versione fuisse mutata, nullum apud criticos est aut esse potest dubium; de integritate enim textus latini constat ex consensu omnium codicum et editionum (1), pariterque ex consensu quoad rem et formam loquendi cum aliis omnibus locis Gregorii, ubi commemorat processionem Spiritus Sancti. Iam in symbolo, quo initio sui pontificatus rectam fidem munivit et cunctas haereses dissipavit (ut ait Ioannes diaconus in Vita Gregorii l. II. n. 2.), haec est professio: « Credo in unum Deum... Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coaeternum *de Patre et Filio procedentem* » (Ioan. diacon. l. c.). Eadem ratione ut in textu citato Dialogorum, coniungit alio loco processionem et inseparabilem immanentiam in Filio. Christus, inquit, longe diverso modo habet Spiritum Sanctum, quam homines sanctificati per gratiam: « eum et semper et continue habet praesentem, *quia ex illo idem Spiritus per substantiam profertur*... Dissimiliter ergo in illo manet, ex quo per naturam numquam recedit » (2) (Moral. l. II. n. 92.). Loquens de visione beatifica eandem Spiritus *prolationem* seu productionem ab utroque (Patre et Filio) declarat. «Per patefactam tunc maiestatis suae speciem, et quomodo ipsi gignenti non impar oriatur, et quomodo *utrorumque Spiritus utrique coaeternus procedat*, ostendit. Aperte namque tunc videbimus, quomodo hoc quod oriendo est, ei de quo oritur, subsequens non est; quomodo *is qui per processio-*

ad vos. Macarius cum suis magistris pro lubitu retinuit constructionem originalem, et verba quae ipsi placebant, transtulit ex versione graeca.

(1) Maurini editores contulerunt codices viginti quinque, quorum aliqui saltem ad Photii aetatem pertingunt; nec in illis ullam quoad hunc locum repererunt variam lectionem. (Praefat. in l. Dialogor n. 23). Ceterum tempore Photii eandem lectionem latinam perstitisse integram, postquam corruptela versionis graecae iam acciderat, certi reddimur a Ioanne diacono, de quo mox dicam.

(2) Haec postrema tantum verba confert cl. Hergenroether (Photius T. II. p. 546. nota 111) cum versione graeca Dialogi; sed si spectetur contextus antecedentium, in hoc loco l. II. Moral. non cum graeca versione sed cum textu originali latino Dialogi plenissimus apparet parallelismus.

nem producitur, a proferentibus non praeitur » ib. l. XXX. n. 17. Vide etiam l. I. n. 30. et locum splendidissimum quem alibi citavimus l. II. in Evangel. hom. XXVI. n. 2. cf. Moral. l. V. n. 65.

Quod spectat corruptelam graecae versionis, summi momenti est testimonium Ioannis diaconi, qui in Vita s. Gregorii l. IV. n. 75. ita scribit. « Quos libros (Dialogorum) Zacharias s. Ecclesiae Romanae Episcopus (ann. 741-752)... in graecam linguam convertens orientalibus Ecclesiis divulgavit, *quamvis astuta Graecorum perversitas in commemoratione Spiritus Sancti a Patre procedentis* (1) *nomen Filii suaptim radens abstulerit.* » Ioannes diaconus suos libros de Vita Gregorii scripsit, ut in praefatione ait, « praeceptore, fautore et iudice » Ioanne VIII. (an. 872-882); atque adeo scripta haec sunt et Pontifici, quem impostor Photius *suum Ioannem* appellat (Mystag. n. 89.), dicata aliquot annis postquam ille in sua epistola encyclica, in altera ad regem Bulgariae et in Conciliabulo anni 867. dogma catholicum impugnare coeperat, imo probabiliter etiam postquam fraudes in Conciliabulo anni 880 contra ipsum Ioannem VIII perpetratae iam Romae plenius innotuerant et ab eodem Pontifice fuerant damnatae, de qua re inferius dicemus.

Ex his porro manifesta sunt sequentia. *a*) Ipso tempore Photii et in eius haereseos exordio in Ecclesia Romana communis erat et indubitata praedicatio dogmatis de processione Spiritus Sancti etiam ex Filio, Photianaque doctrina iudicabatur novitas profana fraudibus innixa. *b*) Ioannes VIII. in eadem dogmatis praedicatione plene suis antecessoribus consensit, atque hinc tum laudes quas subdole Photius Ioanni tribuit in Mystagogia et in epistola ad Ep. Aquileiensem, tum epistola absurda sub nomine Ioannis a Graecis conficta, in qua doctrina catholica blasphemiae accusatur, merae sunt calumniae. *c*) Magna probabilitate,

(1) Per se intelligitur, huic etiam loco Ioannis a Theophane Prokopowicz aliisque schismaticis sine testibus et ex mero arbitrio opponi consuetam ipsis « apologiam, » omnia esse spuria et posterius a Latinis interpolata.

praeter alios, Maurini editores operum Gregorii corruptelam versionis graecae in Dialogis l. II. c. 38, de qua agimus, adscripserunt ipsi Photio. Homini qui convictus est impudentissime corrupisse epistolas Pontificum Nicolai I et Ioannis VIII, cum hi adhuc erant superstites, documenta integra (e. g. epistolam s. Ignatii adhuc viventis cf. Hergenroether T. I. p. 524) et acta Conciliabulorum a se ipso congregatorum confinxit aut interpolavit, certe ingenium erat promptissimum ad pervertendum Gregorii librum, qui in graecam linguam translatus et apud Orientales magno in pretio habitus (1) novam haeresim verbis explicitis condemnaret. Cum praeterea corruptio acciderit ante annum 882 nempe ante obitum Pontificis Ioannis VIII, cui Ioannes diaconus suos libros de Vita Gregorii dicavit, nemo ea aetate tali facinori aptior impostore Photio reperiri potest. Nec porro nebuloni tempus deerat idoneum inde ab anno 862., quo a Pontifice Nicolao damnatus apertam rebellionem adversus Ecclesiam catholicam meditari coepit. Verum quidem est, etiam ut locus exstat in corrupta versione graeca, haeresi Photianae nullum in eo esse perfugium; at Photio sicut deinceps omnibus eius sectatoribus, satis erat, Spiritum Sanctum dici procedere a Patre, quin *eodem verbo* exprimeretur processio a Filio. Hoc ille argumentum more suo tumida declamatione inculcat ex hoc ipso corrupto testimonio in Mystagogia (n. 84-86) appellans ad auctoritatem Gregorii simul et Zachariae Pontificum.

Locus itaque Gregorii, quem Macarius citat interpolatum, in lectione originali et genuina explicite damnat haeresim Photianam; in lectione interpolata eam nullo modo includit. Corruptelam certissimam non alteri quam ipsi Photio, falsatori aliunde convicto, deberi, probabile manet.

(1) Hinc argumentum Scipionis Maffei (ad Anastas. Bibliothecar. in Vita Zachariae Migne T. CXXVIII. p. 1079), quod Gregorii testimonia diserta pro processione Spiritus Sancti a Patre et Filio in aliis eius libris manent integra, suspicionem falsi a Photio non abstergit; alia enim illa testimonia nec constat graece exstitisse, et probabilissime ipsi Photio vel certe Graecis aliis, quibus ille imponere satagebat, erant incomperta.

etiam post ea, quae in eximio suo opere animadvertit cl. Hergenroether (« Photius » T. II. p. 546; T. III. p. 427. cf. eiusdem notam 9. ad Mystagog. n. 84.).

Vidimus quam solemne sit Macario verba aliqua producere ex Patribus, quibus tandem non aliud dicunt, nisi quod in confesso est, Spiritum procedere *a Patre;* tum vero ridicula oratione clamare, omnes veteres docuisse processionem Spiritus *a solo Patre,* fraudulenter interim suppressa explicatione, quam in iisdem vel in aliis locis, data opera tradunt, virtutem spirandi ita esse originaliter in Patre, ut eadem numero communicata sit Filio, atque ideo Spiritus procedat a Patre et Filio vel a Patre per Filium. Hanc perversionis artem in omnibus Patribus superius a nobis nominatis exercet, sed prae ceteris audacius in Epiphanio, Cyrillo, Augustino, Prospero, Fulgentio, Gregorio, ut ex nostro Tractatu et ex superius in hac opella saepe demonstratis abunde constat. Imo scriptores ipsos occidentales, qui professionem de processione ex Patre et Filio iam quodammodo polemice explicandam et vindicandam susceperant, Patres Toletanos (supra p. 81.), Paulinum Aquileiensem (Th. XLI), Alcuinum (de quo inferius dicemus), Patres Concilii Aquisgranensis, quin et Leonem III (p. 82. sqq.) hisce artibus pervertendi et supprimendi testimonia traducit velut addictos doctrinae contrariae aut ab ea non alienos.

§. III. *De Photiana doctrina quae saeculo IX viguisse dicitur in ipsa Ecclesia occidentali.*

Mira confidentia noster Metropolita Russus appellat ad scriptores saeculi IX, Rhabanum Maurum et Haymonem Halberstadiensem, qui (ut ait) haud aliter quam nunc Graeci, profitebantur processionem Spiritus Sancti; unde conficitur, etiam post Concilium Aquisgranense et post responsa data a Leone III in ipsa occidentali Ecclesia nondum omnes admisisse processionem Spiritus a Patre et Filio; sed multos adhuc *stricte* (rigoureusement) tenuisse processionem a solo Patre (1).

(1) Verba Macarii sunt notatu dignissima, ut iterum appareat,

Ex statu rerum ecclesiasticarum saeculo IX. maxime in Germania et velut *a priori* sine inspectione textuum cuivis tironi historiae constat, fieri nullo modo potuisse, ut Rhabanus et Haymo auditores Alcuini, et deinceps sub Ludovico Pio eiusque filiis celebres doctores ac tandem Episcopi, non crediderint et docuerint dogma fidei de processione Spiritus a Patre et Filio, quod inde a teneris annis in symbolo profitebantur. Nihilominus proferantur testimonia utriusque scriptoris.

1° Haymonem *stricte* negasse processionem a Filio, probat Macarius non aliis quam hisce eius verbis: „Spiritus veritatis dicitur, quia a Patre veritatis procedit" (Homil.87. in dominic. 4. post pascha Migne CXVIII. p. 519.). Sed quaestio non est, utrum Haymo cum omnibus catholicis contra Arianos et Macedonianos profiteatur processionem a Patre, de qua hic loquitur, nihil autem hisce verbis explicite affirmat, et nihil neque explicite neque implicite negat de processione a Filio, de qua Macarius disputat. De hac quid Haymo aliquamdiu ante ortum Photianae haereseos docuerit, candidissimus disputator reperire potuisset in eadem homilia post paucas lineas bis repetitum, atque inde simul didicisset, apud veteres sicut nunc adhuc apud omnes catholicos intelligi processionem a Patre, quatenus Pater et Filius spiratione unum sunt. Haymo enim ibi haec subiungit a Macario suppressa. „Non loquetur Spiritus Sanctus a se ipso, *quia a Patre et Filio procedit...*

quanta absurda Popis impune propinari possint ad supinae ignorantiae praeiudicia eo securius confovenda. „Parmi les auteurs de l'Occident cités par nous, il en est deux, Haymo et Raban Maur qui vécurent au neuvième siècle, à une époque où la question qui nous occupe, avait été déja expressement examinée au Concile d'Aix-la-Chapelle, puis par le pape même, et pourtant ces deux-là professèrent la procession du Saint-Esprit comme nous le faisons. Qu'est-ce que cela prouve? N'est-ce pas que, même en Occident, et au neuvième siècle, tout le monde n'avait point encore consenti à reconnaître le faux dogme d'Aix-la-Chapelle (paulo ante p. 364 dixerat, Aquisgrani post acres disceptationes nihil fuisse decisum cf. supra p. 83.), et qu'il y avait des gens, qui tenaient rigoureusement à l'ancienne doctrine de l'Eglise? " p. 370.

Spiritus Sanctus a Patre accipere dicitur, *quia a Patre et Filio indivisibiliter procedit; unde et sequitur: omnia quae habet Pater, mea sunt »* (ibid. p. 520). Eandem doctrinam iterum declarat ex consubstantialitate Filii cum Patre, quod omnia Patris (excepta utique ἀγεννησία et paternitate) sunt etiam Filii; tum ex notione missionis quae est aeternae processionis manifestatio temporalis, unde sicut missio a Filiò includit missionem a Patre, ita processio a Patre includit eandem processionem a Filio; ac denique ex ipso nomine *Spiritus*, quod hypostatice acceptum est relativum ad Patrem et Filium, unde *Spiritus* h. e. *spiratus* dicitur sicut Patris ita etiam Filii. « Bene autem (Filius) ipsum Spiritum a se mitti et a Patre procedere perhibet (Io.XV.26), *non qui aliter procedat a Patre et aliter a Filio, vel aliter mittatur a Filio et aliter a Patre, sed quia ipsa missio processio est, et ipsa processio missio* (vide supra p. 24. sqq. et Th. XXXIII). Neque enim diversitas est procedentis vel mittentis, quibus una est essentia parque deitas.... Quia enim *amborum Spiritus* est coaeternus et consubstantialis, *sicut procedit a Patre ita et a Filio, et sicut mittitur a Filio, mittitur a Patre.* Quod vero Patris sit idem Spiritus, Dominus in Evangelio manifestat (Matth. X.20)... Quod autem Filii sit, Paulus Apostolus ostendit (Rom. VIII. 9.) » Hom. 98. ibid. p. 551. Expressius adhuc loquitur alibi de hac significatione nominis relativa. « *Quia a Patre et Filio procedit,* ideo Spiritus Sanctus praedicatur Deus, et substantiam eius habet; neque enim aliud de Patre procedere potuit, quam quod ipse est Pater. Spiritus autem dictus secundum id *quod ad aliquid refertur,* spirans et inspirans utique et ex eo appellatus Spiritus (ex operatione ad extra); *proprie autem quodammodo dicitur Spiritus Sanctus, secundum quod refertur ad Patrem et Filium, quod eorum Spiritus est »* Hom. 106. ibid. p. 574. Ulterius propria et communia trium personarum ita declarat. « Pater habet aeternitatem sine nativitate, Filius habet aeternitatem cum nativitate, *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit;* ergo Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus nec genitus, cave ne fallaris, sed nec ingenitus, *sed a Patre et*

a Filio procedit » Hom. 12. de Sanctis ibid. p. 798. Gemina repetit hom. 51. p. 300; hom. 100. p. 558. Postremo sicut multi alii Patres ita et Haymo insufflationem Domini in Apostolos (Io. XX. 22.) docet esse symbolicam expressionem processionis Spiritus Sancti etiam a Filio (vide supra p. 63. sqq.). « Insufflando Spiritum Sanctum dedit, ut ostenderet omnem divinitatem in se esse, *et sicut a Patre, ita quoque a se Spiritum Sanctum procedere »* Hom. 81. p. 493.

Haec puto sufficient, ut intelligatur, qua fide Haymo dicatur *stricte* negasse processionem Spiritus Sancti a Filio.

2° Adhuc impudentior, si fieri potest, eadem accusatio apparet contra Rhabanum Moguntinum.

Fundamentum declamationis Macario sunt duo textus, in quibus Rhabanus communem illam contra Arianos doctrinam ex Augustino describit, Patrem esse « originem divinitatis, » quatenus a Patre persona prima Trinitatis generatur Filius persona secunda, et procedit Spiritus Sanctus persona tertia. « Non enim Spiritus loquetur a semet ipso, fortasse quia non est a semetipso; Pater quippe solus ab alio non est, Filius a Patre genitus est, et Spiritus Sanctus a Patre procedens. Ab ipso enim audiet Spiritus Sanctus, a quo procedit, quia non est a se ipso sed ab illo, a quo procedit. A quo illi est intelligentia, ab illo utique et scientia; ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia... De Patre accipit Spiritus Sanctus, quia de Patre procedit, de quo et Filius natus est; qui vero de nullo natus est, et de nullo procedit, Pater est solus » (Homiliar. P. II. hom. 35. Migne CX. p. 212). Idem dicitur in loco altero. « Pater origo est divinitatis, quando sicut de Patre genitus est Filius, ita et Spiritus Sanctus procedit a Patre, quem in Evangelio (Io. IV. 13; VII. 38. 39) aquae nomine Dominus nuncupavit » (in Ecclesi. l. VI. c. 2, Migne CIX. p. 943.).

Rhabanus ut pleraque alia in suis homiliis (quae potius sunt commentarii in Scripturam), ita etiam haec transcripsit ex Augustino. Prior quidem locus exstat in Augustini tractatu 99. in Ioannem, ubi s. Doctor primum n. 3-5 explicat processionem Spiritus Sancti a Patre, in qua priori

parte tractatus n. 4. 5. sunt verba a Rhabano descripta. In parte deinde altera n. 6-9 Augustinus declarat, quomodo in ipsa processione a Patre intelligatur processio etiam a Filio; « a quo enim habet Filius ut sit Deus, est enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus; ac per hoc Spiritus Sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre » (ibi n. 8.). Gemina prostant l. contra sermon. Arianorum n. 19. 20. et locis aliis Augustini in Th. XXXV. citatis. Alterum testimonium ex Rhabano in Ecclesi. l. VI. allatum continet commune illud effatum PP. et theologorum, primam SS. Trinitatis personam esse « originem divinitatis, » h. e. personarum procedentium per communicationem unius divinitatis a Patre in Filium, et a Patre per Filium vel a Patre Filioque in personam tertiam, Spiritum Sanctum (1), quam doctrinam praecipuus Rhabani an-

(1) Praeclare post Augustinum Fulgentius hoc exprimit. « Quia Pater *naturalis est origo Filii et Spiritus Sancti*, ideo totum Patri Filius assignans ait: omnia quae habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet (Io. XVI. 15.)... Si hoc non dixisset, quasi suum esse tantum Spiritum ostendisset; sed dicens, omnia quae habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, ipsum Spiritum Sanctum unum esse ostendit *et Patris* et suum... De Filii (al. Filio) ergo accepit, et omnia quae habet Pater, Filii sunt, quae Spiritus Sanctus accepit, *quia non de solo Patre nec de solo Filio, sed simul de utroque procedit*... Procedere autem de Deo ideo nulla creatura dicitur, ut ille *qui procedit de Patre et Filio*, sic esse credatur Deus, sicut est Pater et Filius. Solius est enim Spiritus Sancti *de Patre et Filio proprietas ista processionis*, cuius est cum Patre et Filio natura communis; *de Patre quippe et Filio procedit*, sed non recedit; nec est in aliquo minor aut subditus, *qui de immenso Patre ac de immenso Filio inseparabiliter et unus procedit et totus* » Fulgent. contr. Fabian. fragm. XXVII. p. 612. 613.

Quamvis de Fulgentii doctrina in nostro Tractatu satis dictum sit (Th. XXXV), advertatur tamen iterum, hunc ipsum Fulgentium « Ruspinae (sic) Episcopum » a Macario numerari in sua tertia et quarta classe Patrum, qui omnino reiecerint (qui excluent complétement) processionem Spiritus Sancti etiam a Filio. Adfert autem ad hoc in Russia persuadendum duos textus, primum ex libro contra obiectiones Arianorum (obiect. 10. p. 58), in quo adversus eos qui impugnabant divinitatem Spiritus Sancti ac proinde etiam processionem a Patre, Spiritus dicitur *totus procedere a Patre*, quod sane nemo nisi Arianus negat; hoc

tecessor Augustinus explicat de Trin. l. IV. n. 29; XV. n. 29. 47; contra Maximin. l. II. c. 14. n. 1; in Ioan. tract. 99. n. 8. 9. (vide Thesim XXXV.).

Utrumque itaque testimonium a Macario citatum ex quo probare instituit, Rhabanum « stricte negasse » processionem Spiritus etiam ex Filio, hanc non solum non negat, sed implicite affirmat, quoniam verba non nisi eo sensu intelligi possunt, quem habent in suo fonte, in libris inquam Augustini. Sed nihil opus est appellare ad sensum implicitum, cum Rhabanus ipse multis locis hunc sensum explicuerit, et doctrinam quam dicitur « stricte negasse, » declaraverit esse credendam ut articulum fidei catholicae.

In primis in ea ipsa II Parte homiliarum, ex qua Macarius textum pro sua causa adducit, legere potuisset Rhabani explicationem. Praeclare omnino docet, in verbis Christi, « Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit » Io. XV. 26, non minus intelligendam esse hoc secundo inciso processionem a Patre et Filio, quam in priori inciso intelligatur missio non a solo Filio sed a Patre et Filio, quoniam (excepta utique paternitate et filiatione) Pater et Filius in omnibus unum sunt. « Quod vero ait, *a Patre procedit,* et statim subiunxit, *quem ego mittam,* significat *quod aequaliter idem Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, et aequaliter a Patre*

autem ipso, ut nunc a Fulgentio audivimus, *Spiritus de immenso Patre ac de immenso Filio inseparabiliter et unus procedit et totus,* quia omnia quae habet Pater, Filii sunt. (Vide totum locum Fulgentii in nostro Tractatu ed. 2. p. 506. nota 2.) Alterum textum adducit (ex fragmento XXXV. contra Fabianum), ubi sicut in fragmento XXVII. paulo ante a nobis descripto dicitur: « Deum Patrem non totius Trinitatis (ut Fulgentio exprobraverat Fabianus), sed Filii et Spiritus Sancti fatemur auctorem, *de quo habet et unigenitus Filius aeternae nativitatis, et Spiritus Sanctus aeternae processionis originem.* » Heic Macarius abrumpit suam citationem; sequitur enim studiose Russis occultanda declaratio Fulgentii eadem, ut in aliis locis, eo ipso quod Filius est Patri consubstantialis, in processione Spiritus Sancti a Patre intelligi processionem etiam a Filio. Verba Fulgentii immediate sequentia ab impostore suppressa haec sunt: « *Unitas autem naturalis* creatorem Filium de creatore Patre naturali nativitate insinuat exstitisse, et *creatorem Spiritum Sanctum de Patre Filioque procedere* » l. c. p. 652.

et Filio mittitur; sed propter distinctionem personarum hic dicitur a Patre procedere et a Filio mitti (cf. in Tractatu nostro Th. XIII.); in eadem distinctione personarum unam esse operationem ac voluntatem suam cum Patris voluntate denuntiat » (Hom. 49. Migne T. CX. p. 237.).

Ad alterum quoque suum testimonium (ex l. VI. c. 2. in Ecclesi.) Macarius legat commentarium initio eiusdem capitis 2. ab ipso citati, ubi Rhabanus ita habet. « Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum. Spiritus enim iste non alius quam Spiritus est Sanctus, *qui communis est Patri et Filio, quia procedit a Patre, procedit et a Filio; mittitur a Patre, mittitur et a Filio* » (ibi T. CIX. p. 939.).

Verum doctor Moguntinus consulendus est in iis locis, in quibus data opera doctrinam tradit de SS. Trinitate et de Spiritu Sancto, cuiusmodi est l. I. *de Universo* caput III. *de Spiritu Sancto*, et caput IV *de Trinitate* inscriptum. Ibi inter alia plura haec docet. « Spiritus Sanctus ideo praedicatur Deus, *quia ex Patre Filioque procedit*, et substantiam eius habet; neque enim aliud de Patre procedere potuit, quam quod ipse est Pater (1). Spiritus Sanctus autem dictus est secundum id, quod ad aliquid refertur. Sicut enim relative Pater et Filius dicuntur, ita et Spiritus Sanctus *ad Patrem et Filium quodammodo relative dicitur, quia Patris et Filii Spiritus est...* Ergo hoc donum Dei id est Spiritus Sanctus, *qui de Patre et Filio aequaliter procedit, ineffabilis quaedam Patris Filiique communio est...* Hoc interest inter nascentem Filium et procedentem Spiritum Sanctum, *quod Filius ex uno nascitur, Spiritus Sanctus ex utroque procedit...* Quaedam itaque (in Trinitate) relative dicuntur, ut Pater ad Filium, Filius ad Patrem, *et Spiritus Sanctus relative ad Patrem et Filium;* ad se autem sive Pater sive Filius sive Spiritus Sanctus, Deus dicitur » (ibi T. CXI. p. 23. 24. 27).

Imo Rhabanus tribus in locis suorum operum explicans

(1) Verba eadem vidimus superius in homilia 106. Haymonis, cui Rhabanus suos libros de Universo misit, ut constat ex praefatione ad « Hemmonem ».

ipsum symbolum fidei, semper ponit inter articulos necessario credendos processionem Spiritus a Patre et Filio. « De definitione rectae fidei et ecclesiasticorum dogmatum » inscribitur caput X. l. IV. *de Universo,* ubi haec est professio. « Credimus unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Patrem eo quod habeat Filium, Filium eo quod habeat Patrem, *Spiritum Sanctum eo quod ex Patre et Filio procedat.* Pater ergo principium deitatis (1)... a quo Filius natus, a quo Spiritus Sanctus non natus, quia non est Filius, neque ingenitus, quia non est Pater, nec factus Spiritus Sanctus, quia non est ex nihilo; *sed ex Deo Patre et Deo Filio Deus procedens* » (l. c. p. 96.).

De institutione Clericorum l. II. exstat de « regula fidei » caput LVII. « Haec est autem post (i. e. secundum) apostolicum symbolum *certissima fides*, quam doctores nostri tradiderunt, ut profiteamur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unius essentiae... Patrem quoque profiteri ingenitum, Filium unigenitum, *Spiritum autem Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed a Patre et Filio procedentem,* Filium a Patre nascendo procedere, Spiritum vero Sanctum procedendo non nasci (ibi T. CVII. p. 369.).

Eadem repetit in libro *de sacris ordinibus* capite IX. « Fides quae in hoc symbolo (2) continetur, ita ab his qui baptizandi sunt, *intelligi debet,* ut credant in Deum Patrem omnipotentem... et in Iesum Christum Filium eius... Credant et *in Spiritum Sanctum Deum verum ex Patre Filioque procedentem*, aequalem per omnia Patri et Filio » (ibi T. CXII. p. 1171.).

Rhabanus itaque « inter dogmata ecclesiastica, in recta fide, in certissima fide a PP. tradita, in fide secundum veram intelligentiam symboli apostolici in baptismo profitenda » reperit paulo ante primam innovationem Photii etiam veritatem credendam, *Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio.* Haec tamen omnia Macarium non impediunt,

(1) Habes hic iterum catholicam explicationem istius effati, cui tam absurde Macarius insistit.

(2) Intelligit symbolum apostolicum, de quo dixerat praecedenti capite VIII.

quominus hunc vindicem fidei catholicae inducere audeat testem « strictae negationis » dogmatis catholici, ac assertorem haeresis postmodum a Photio invectae!

Eadem vero fraus sicut in Rhabani testimoniis committitur in ceteris Patribus, quos Macarius in suis tribus prioribus classibus velut assertores inducit dogmatis Photiani. Sicut ex Rhabano ita ex ceteris omnibus nihil prorsus aliud adfert nec adferre potest, nisi quod affirmant *Spiritum procedere a Patre, procedere a Patre et mitti a Filio* vel *manere in Filio*, in SS. Trinitate *Patrem esse originem, principium deitatis*. Has iam veritates, in quibus omnes catholici consentimus, et sine quibus ipsum dogma sensu catholico processionis a prima et secunda persona Trinitatis ut ab uno principio Spiritus Sancti concipi non posset, Macarius vendit suis alumnis velut *negationes* unitatis Patris et Filii in spirando et producendo personam tertiam Spiritum Sanctum, caute supprimens quae vel in iisdem contextibus vel in aliis locis non minus quam Rhabanus ceteri Patres plerique clarissime docent de unitate Patris et Filii sicut in missione ita in processione immanente Spiritus Sancti, et de communicatione unius virtutis spiratricis a Patre generante in Filium genitum, qua producitur tertia persona SS. Trinitatis.

§. IV. *De Macariana argumentatione, qua probare instituit per affirmationem processionis a Patre significari negationem processionis a Filio.*

Instituit Photianus noster aliquam argumentationem, qua probet sua illa testimonia *affirmantia* habere sensum *excludentem*, adeoque merito induci, ac si in eis diceretur Spiritus Sanctus procedere *a solo Patre et non etiam a Filio*. At hunc sensum *excludentem* illis testimoniis subesse nullo modo posse, evidens est ex eorumdem PP. doctrina contraria, nisi Photiani forte dicant, sanctos doctores uno anhelitu idem dogma simul affirmasse et negasse nescientes neque quae loquerentur, neque de quibus affirmarent. Audiatur tamen argumentum, quod duplex profertur ab adversario.

1° Veteres doctores aiebant Filium generari *a Patre*, neque solebant addere particulam excludentem, generari *a solo Patre*, nihilominus illa affirmatio excludens est, generari a solo Patre non autem a Patre et Spiritu Sancto; ergo quando docent, Spiritum Sanctum procedere a Patre, aeque intelligitur processio *a solo Patre*, negaturque processio etiam a Filio (Macarius p. 370.).

Absurdam hanc perversionem totius mysterii SS. Trinitatis iam satis confutavimus (cf. supra p. 19. sqq. et in Tractatu Th. XXXIII.). Quoniam scilicet solus Pater est *prima persona* Trinitatis, quod doctores exprimere solent appellando Patrem solum *ingenitum* (ἀγέννητον) ac « principium deitatis, » Filius autem est *persona secunda*, et Spiritus *persona tertia*; in hac « incommutabili consequentia » personarum (ἀκολουθία κατὰ τὴν τάξιν), ut Basilius eam appellat (ep. 38. n. 4; ep. 125. n. 3.), generatio Filii praeintelligitur processioni Spiritus Sancti, non utique tempore quod in aeternitate nullum est, sed ordine qui ibi nec est nec concipi potest nisi ratione principii et procedentis a principio (κατὰ τὸ ἀίτιον καὶ τὸ ἐκ τοῦ ἀιτίου τὴν ὕπαρξιν ἔχον Gregor. Nyssen. cont. Eunom. l. I. p. 164; ad Ablab. T. II. p. 459; Basil. ep. 52. n. 2.). Unde sicut absurdum est concipere primam personam velut procedentem a secunda, eo autem ipso quod est et dicitur persona *secunda*, haec intelligitur procedens a prima; ita omnino aeque absurdum est concipere secundam personam ut procedentem a tertia, haec vero eo ipso quod ordine originis *tertia* est, intelligitur procedens a secunda, ac proinde a prima et secunda ut ab uno principio, quoniam (excepta sola relatione ad invicem generantis et generati) Pater et Filius in omnibus ac nominatim spiratione unum sunt (Io. XVI. 15.). Omnino igitur ex hoc ipso, quod Filius dicitur generari a Patre, intelligitur non procedere etiam a Spiritu Sancto, dummodo ordine originis Filius secunda, Spiritus tertia persona credatur; si autem hunc ordinem necessarium pervertas, et processionem Spiritus Sancti praeintelligas processioni Filii, iam Filius persona tertia eo ipso quod dicitur procedere a prima persona, necessario intelligetur procedens a

persona etiam secunda, quae in ista tua perversione esset Spiritus Sanctus.

Praeterea Patres latini (Augustinus Trin. XV. n. 47; contr. Maximin. II. c. 14; in Io. tract. 99. n. 9; Paschasius diaconus de Spir. S. l. I. c. 12; Isidorus Hispal. Etymol. l. VII. c. 3. n. 8; Rhabanus de Universo l. I. c. 3.) docent, ipso nomine *generationis* exprimi in divinis processionem ab una sola persona, atque inde intelligi processionem Spiritus Sancti non esse generationem, quia is non ab uno sed a Patre simul et Filio procedit. Pariter doctores graeci (Origenes in Io. tom. 2. n. 6; Gregorius Thaumaturg. in symbolo; Basilius ep. 38. al. 43. n. 4; Gregorius Nyssen. ad Ablab. T. II. p. 459; Epiphanius haeres. 73. p. 382.) ipsum nomen *unigeniti* explicant ita, ut in comparatione cum Spiritu Sancto propria notio distinguens Filii constituatur in eo, quod Filius solus ex solo Patre (μονος ἐκ μονου, μονος μονογενως ἐκλαμψας), Spiritus ergo Sanctus iam non ex uno solo sed ex Patre per Filium procedit.

Postremo quod maximum est, et quod Macarius ubique suppressione, truncatione, perversione textuum studiose suis occultat, Patres in explicatione Trinitatis non relationem dumtaxat Patris ad Filium, sed aeque etiam Filii ad Spiritum Sanctum declarant ut principii ad procedentem a principio, ac proinde quoties docent Filium generari a Patre, hoc ipso dicunt non generari etiam a Spiritu Sancto, qui ab ipso Filio procedit; vicissim vero quoties affirmant processionem Spiritus a Patre, non modo non excludunt sed includunt processionem a Filio, quoniam ex manifesta eorum doctrina et ex universali fide de oeconomia Trinitatis, Pater et Filius unum sunt in ratione principii ad tertiam personam procedentem, ut abunde demonstravimus.

2° Argumentum alterum quo Macarius probat, *affirmationem* processionis a Patre apud veteres doctores habere vim *negandi* processionem a Filio, conflatur duobus mendaciis, quorum unum est mendacium merum et ex integro, alterum fortasse mixtum supina quadam ignorantia doctrinae catholicae. Primo enim ait, veteres DD. tantummodo

dixisse Spiritum procedere a Patre, ***numquam vero mentionem fecisse processionis a Filio*** (1). Sive iam haec universim de omnibus Patribus dicta existimes, ut verba praeseferunt, sive de iis dumtaxat, quos argumentator paulo ante enumeraverat, nihil reperies quod mendacissimum non sit, ut totus Tractatus de processione Spiritus Sancti et haec ipsa opella nostra evidenter demonstrat. Percurre enim quaeso nomina eorum, quos in proxime antecedentibus suis citationibus adduxerat, et quos nunc ait ***numquam mentionem fecisse*** processionis a Filio. Inter illos recenset ***Basilium***, ***Epiphanium***, ***Cyrillum Alexandrinum***, ***Hilarium***, ***Augustinum***, ***Paschasium diaconum***, ***Haymonem Halberstadiensem*** et ***Rhabanum Moguntinum***, quorum omnium disserta doctrina nunc a nobis iterum repetenda non est.

In altera parte sui argumenti, quam fortasse crassa quadam ignorantia mixtam esse dixi, ponit hoc enthymema; si quis inter occidentales nostra aetate in suis scriptis repeteret Spiritum Sanctum procedere a Patre, quin Filium nominaret, is suspicionem vel etiam condemnationem haereseos non effugeret, quia nunc Ecclesia occidentalis credit processionem a Patre Filioque; contra vero doctores veteres ita loquebantur, quin ullam propterea Ecclesiae reprehensionem incurrerent; ergo in antiqua Ecclesia processio etiam ex Filio non credebatur (2).

Hac argumentatione semper usi sunt contra definitiones fidei, et semper necessario utentur omnes haeretici, exceptis iis qui negationem fundamentalem in omni haeresi implicite latentem palam et explicite proclamare audent (ut multiplices Protestantium sectae), negationem nempe

(1) Comment se fait-il donc, qu'ils (les anciens pasteurs) disent si souvent que le Saint-Esprit procède du Père, *sans faire jamais aucune mention du Fils?* p. 370.

(2) Si de nos jours, où toute l'Eglise d'Occident croit fermement que le Saint-Esprit procède du Père et du Fils, quelqu'un de ses enfants venait à répéter dans ses écrits que le S. E. procède du Père sans mentionner le Fils, que dirait-on d'un tel écrivain ? Sa foi ne serait-elle pas suspecte, condamnée même? D'où vient donc que, pour le même fait, les anciens orthodoxes n'ont en aucune sorte encouru le blâme de leurs contemporains correligionnaires ? p. 370.

magisterii ecclesiastici et hoc ipso traditionis divinae in genuino suo sensu intelligendae. Artemoniani (Euseb. H. E. l. V. c. 28.), Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Monotheletae contendebant eo modo, quo ipsi loquebantur, antiquitus fidem in Ecclesia fuisse praedicatam: veteres unum Deum, Christum vero hominem dixisse Filium a Deo Patre ante saecula productum, non autem consubstantialem Patri; Spiritum Sanctum, a Filio effusum super omnem carnem, non vero Deum ex substantia Patris; non Verbum Deum natum ex Virgine, quia divinitas non nascitur ex matre; non duas naturas, quia unus est Christus; non duas voluntates, quia nulla in Christo voluntas contraria; iisdem nempe citationum, suppressionum et interpretationum artibus illi utebantur, quibus Photiani nunc suis persuadere satagunt, Spiritum Sanctum a Patre procedentem, nuspiam autem procedentem a Filio fuisse in veteri Ecclesia praedicatum.

Ceterum inspiciamus ipsum Macarii argumentum. In eo asseritur duplex *factum*, utrumque falsum; tum ex eo deducitur consectarium dogmaticum, quod, etiam veritate facti supposità, ex eo nullatenus sequeretur.

a) Falsum est veteres tantummodo dixisse, Spiritum procedere a Patre, quin vel in iisdem vel in aliis locis locutionem illam praegnantem explicarent etiam diserte in significatione processionis a Patre et Filio; falsum pariter est nunc a catholicis non aeque praedicari processionem a Patre, quin explicite semper necesse sit exprimere etiam Filium ut unum cum Patre principium, quoties nimirum non respicitur haeresis opposita a Photio primum suscitata ac deinceps saeculo XI. in sectam coagmentata.

De modo praedicationis apud veteres constat ex demonstratis, et ex ipsa necessitate truncandi et supprimendi testimonia, in quam Macarius cum suis antecessoribus se coniectum vidit.

b) Quod spectat modum loquendi ecclesiasticum etiam post ortum istius haereseos usque ad nostram aetatem, potuisset adversarius facile intelligere absurditatem sui commenti, si verba Iesu Christi Io. XV. 26. in latina authen-

tica editione Ecclesiae catholicae prae oculis habuisset; si considerasset, symbolum ut in Concilio II adversus pneumatomachos definitum est, sine explicita declaratione processionis a Filio, ab Ecclesia catholica etiam nunc approbari, illudque post declarationem genuini sensus Graecis catholicis in ipso Lugdunensi et Florentino Concilio sine ulla difficultate fuisse permissum; si denique (ne de scriptis theologorum quidquam dicam) saltem latinam liturgiam in festis Pentecostes legisset. In Missa feriae III *Communio*, et feria V antiphona ad *Magnificat* exprimit processionem a Patre: « Spiritus qui *a Patre procedit*, alleluia.» In *oratione* feria IV. precatur tota Ecclesia: « Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus *qui a te procedit*, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.» Quae quidem oratio quotidie repetitur ab omnibus Episcopis et a sacerdotibus in praeparatione ad celebrandum Missae sacrificium.

c) At concedamus paulisper Macario suam hypothesim licet utramque falsam. Quid quaeso inde inferri posset? Illud unum, quod Gregorius Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Patres Chalcedonenses, Hieronymus, Augustinus, Vincentius Lirinensis in locis saepe citatis ac notissimis docuerunt, nullum quidem post Apostolos dari incrementum ipsius catholicae revelationis, attamen profectum in explicatione, declaratione et instantiore praedicatione singulorum dogmatum locum habuisse et habere posse; imo fere semper novas haereses occasionem praebuisse et necessitatem attulisse huiusmodi distinctiorum declarationum. « Multa latebant in Scripturis; et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei; aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei... Ergo multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani?» August. in Ps. 54. n. 22; Civ. Dei XVI. c. 2. n. 1; de dono persever. n. 53; Confess. l. VII. c. 19. n. 25; Hieronym. cont. Rufin. l. II. n. 17; Basil.

ep. 123. al. 78. n. 3; Nazianz. ep. 2. ad Cledon. T. II. p. 94; Epiphan. haeres. 74. n. 14. p. 904; PP. Chalcedonenses allocut. ad Marcian. Augustum (Mansi VII. p. 458. sq.); Vincent. Lirin. Commonit. n. 22. 23. Hunc profectum praedicationis qui negaret, eo ipso *magisterium* Ecclesiae in genuina sua significatione subverteret, ac custodiam veri sensus dogmatum revelatorum eorumque defensionem adversus multiplices ac inter se varios errores, ut illa a Christo Ecclesiae promissa et commissa est, in apertum discrimen vocaret (vide Tract. de Traditione sect. IV.).

Si igitur verum esset discrimen a Macario assertum inter modum loquendi in Ecclesia catholica ante et post tempora Photiana; dicendum foret, semper quidem in Ecclesia custoditam et creditam fuisse doctrinam, quae in ipsis Scripturis expressa est, Spiritum esse Patris et Filii, a Patre procedere et accipere a Filio, mitti a Patre et Filio, Filium esse in omnibus unum cum Patre nec ab eo distingui nisi sola relatione Filii geniti et Patris ingeniti, in ordine autem originis Spiritum Sanctum esse personam *tertiam* in relatione ad Filium personam *secundam*, nec personas consubstantialis Trinitatis inter se distingui nisi relatione principii et procedentis a principio. In hac professione utique continetur aequipollenter, Spiritum Sanctum personam tertiam procedere a Patre et Filio, persona prima et secunda, quatenus unum sunt spiratione, non autem a solo Patre, siquidem vi spiratrice Pater a Filio non distinguitur, quia spiratione ad Filium non refertur. Potuissent itaque Patres hac doctrina aequipollente, in qua saltem implicite contineretur fides processionis ab utroque, contenti esse, quamdiu « nondum mota erat quaestio » de modo processionis, et « calumniator nullus instabat; » eo magis quod illa aetate tota contentio et vis argumentorum adversus Arianos dirigenda erat ad defensionem divinitatis Spiritus Sancti et ideo processionis ex substantia Patris, quam haeretici directe impugnabant. Sic de ipsa consubstantialitate Filii cum Patre, et etiam aliquanto diutius de consubstantialitate Spiritus Sancti antiquioribus temporibus « ante motam quaestionem » Arianorum et Macedo-

nianorum longe minus diserta minusque sollicita erat Patrum praedicatio, ac postquam haeretici quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei. Imo ut Hieronymus l. c. animadvertit, « antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sunt, et quae non possent perversorum hominum calumniam declinare. » Si ergo ante ortum daemonii Byzantini similes aliquae difficultates quoad processionem Spiritus Sancti a Filio apud nonnullos veteres doctores occurrerent, nihil ipsi dogmati contrarium, sed illum modum loquendi et disputandi haberemus, qui in plerisque dogmatibus ante explicitam eorum definitionem et ante necessitatem polemicae defensionis usurpari consuevit. Re tamen vera huiusmodi « minus cautae locutiones » quae ante explicationem consubstantialitatis adversus Arianos instructam reperiuntur plurimae, quoad dogma processionis Spiritus Sancti a Filio pro illo etiam stadio simplicis fidei ante necessariam defensionem contra Photianos nullae prorsus occurrunt in scriptis orthodoxorum Patrum, si excipias (ut alibi iam observavimus) modum aliquem loquendi particularem ss. Maximi et Damasceni, qui faciilimam ex his ipsis doctoribus et ex aliis Patribus habet solutionem.

§. V. *Compendium doctrinae catholicae apud Patres graecos praecipuos, qui pro doctrina Photiana citantur.*

Macarius in *quarta sua classe* tandem aliquando post tot tricas inanes nobis promittit testimonia, quibus diserte vel saltem aequipollente sensu verborum prorsus excludatur processio a Filio (1).

At sufficit legisse nomina Patrum, quos pro hac sua thesi inducit, ut continuo intelligatur absurditas calumniae. Citat enim doctores illos graecos et latinos, qui non uno vel altero solum loco sed frequenter et in tota sua doctrina

(1) Il existe enfin des temoignages qui, en reconnaissant le S. Esprit comme procédant du Père, excluent complétement, soit par leur sens, soit même à la lettre l'idée qu'il procède egalement du Fils p. 381.

de internis relationibus divinarum personarum clarissime dogma catholicum explicuerunt, inter graecos *Basilium, Gregorium Nyssenum, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum;* inter latinos *Augustinum, Vigilium Tapsensem, Fulgentium.* Sed omnem fidem superat temeritas, qua impostor suis lectoribus illudit, si inspiciantur ipsae citationes testimoniorum. Etiamsi admitterentur textus horum omnium Patrum eo modo, quo adferuntur, praescindendo a diserta explicatione aliis in locis saepe ab iisdem doctoribus tradita, nihil tandem aliud in eis reperiretur, quam illud ipsum quod iam in prioribus tribus classibus Macarianis testimoniorum dictum ac repetitum est, et sine quo dogma catholicum in genuino suo sensu consistere non posset; aiunt nempe isti PP. sicut in prioribus tribus ita et in hac quarta classe illud unum et solum, Spiritum Sanctum procedere a Patre, Patrem esse principium vel causam Filii et Spiritus Sancti. Nihilominus quia Macarius affirmat, in hac demum quarta sua classe contineri testimonia decretoria, quae *diserte vel saltem aequipollenter excludant* processionem a Filio (in sensu utique dogmatis catholici, quo nos credimus Patrem ingenitum et Filium consubstantialem genitum esse unum principium personae tertiae), inspiciamus iterum eorum doctrinam.

Patrum Graecorum Basilii, Gregorii Nysseni, Epiphanii, Cyrilli doctrinam de processione Spiritus non in uno solum alterove textu singulari sed in tota explicatione mysterii Trinitatis vidimus manifestissimam (Th. XXXII. n. II; XXXIII. XXXV. n. III; XXXVI. XXXVII.).

1° *Basilius* declarat, Spiritum ordine tertium in SS. Trinitate pendere a Patre et Filio, effulgere a Patre per Filium utpote Spiritum Filii et mentem Christi, adeo ut mysterium maneat impervium, cur Spiritus non sit Filius Filii; essentialem sanctitatem omnesque perfectiones ex Patre per unigenitum communicari Spiritui Sancto; particulas *a Patre per Filium* ex Scripturis depromptas indicare tum unitatem Patris ac Filii in relatione ad illum terminum, qui dicitur esse *a Patre per Filium,* tum nihilominus Patrem designare ut *causam primordialem* (προκαταρκτικην

ἀιτιαν). Quod (de Spir. S. n. 20.) appellat προκαταρκτικην ἀιτιαν, alibi dicit την πρωτην ἀιτιαν simul explicans, quomodo propter originem Filii a Patre non sint duae causae, quando *Pater per Filium* agere dicitur. « Etiam secundum nos omnia sunt *per Filium*, quoniam divina voluntas *a prima causa tamquam a quodam fonte* profecta (όιον πηγης τινος της πρωτης ἀιτιας ἀφορμηθεν το θειον βουλημα) per suam imaginem Deum Verbum progreditur ad actionem (προεισιν εις ἐνεργειαν) cont. Eunom. II. n. 21. « Illud vero cui non patet, nullam Filii actionem a Patre esse divisam, nec quidquam esse in existentibus, quod Filio attribuendum et a Patre alienum sit; omnia enim, inquit, mea tua sunt, et tua mea (Io. XVII. 10.). Quomodo igitur (Eunomius) *Spiritus causam unigenito soli* attribuit (του πνευματος την ἀιτιαν τω μονογενει μονῳ προστιθησι), et velut praedicatum eius naturae assumit creationem Spiritus Sancti? Quod si duo principia (Patrem et Filium) inter se adversa inducens haec dicit, simul cum Manichaeo et Maricone conteretur; sin autem ad unum principium refert existentia omnia, id quod a Filio factum esse dicitur, *ad primam causam reducitur* (προς την πρωτην ἀιτιαν ἀναφοραν ἐχει). Quare etsi omnia *per Deum Verbum* ad existentiam perducta esse credimus, tamen universorum Deum (Patrem) omnium *causam* esse (το παντων ἀιτιον ἐιναι τον θεον των ὁλων) non negamus (1). Quomodo autem non manifestum habet periculum, Spiritum a Deo (ἀπο του θεου) dirimere? cum partim quidem Apostolus coniuncte (συνημμενως i. e. coniuncte relationem ad Patrem et Filium) nobis tradat, et *modo Christi*, *modo Dei Spiritum* dicat, ubi scribit, *si quis Spiritum Christi non habet* (Rom. VIII. 9.), et rursus, *vos... accepistis Spiritum qui ex Deo est* (1. Cor. II. 12);

(1) Hic iterum vides, ss. doctores, ubi relationem Patris generantis ad Filium genitum respiciunt, το ἀιτιον sumere in significatione eadem, qua dicunt την πρωτην ἀιτιαν et προκαταρκτικην ἀιτιαν: ac proinde hanc rationem tum in operibus ad extra tum in productione Spiritus Sancti propriam esse soli primae personae. Omnino ergo recte in hac significatione s. Maximus dixit catholicos docere Spiritus processionem *per Filium*, nihilominus tamen fateri solum Patrem ἀιτιον eiusdem Spiritus.

partim vero Dominus dicat *Spiritum veritatis*, nam ipse (Dominus) est veritas, et (pariter dicat): *a Patre procedit* (Io. XV. 26.). At hic (Eunomius) ad destructionem gloriae D. N. Iesu Christi Spiritum aufert a Patre, *illumque seorsum* (διαφερόντως) *unigenito attribuit* ad gloriae eversionem » (1) ibid. n. 34. Cum his conferenda sunt ea loca Basilii, in quibus docet talem esse relationem Spiritus ad Filium, qualis est relatio Filii ad Patrem (Th. XXXIII. n. I.), simulque adiungendum testimonium celebre (l. III.

(1) Πως δε ὀυ φανερον ἐχει τον κινδυνον διαιρειν ἀπο του θεου το πνευμα; τουτο μεν του Ἀποστολου συνημμενως ἡμιν παραδιδοντος, και νυν μεν Χριστου λεγοντος, νυν δε του θεου, ἐν οἷς γραφει, ἐι δε τις πνευμα Χριστου οὐκ ἐχει· και παλιν, ὑμεις δε ... ἐλαβετε το πνευμα το ἐκ του θεου· τουτο δε του κυριου το πνευμα της ἀληθειας λεγοντος, ἐπειδη ἀυτος (scilicet ὁ κυριος non vero το πνευμα, ut putavit Maurinus editor, qui totam hanc periodum non rite est interpretatus) ἡ ἀληθεια, και (scilicet παλιν λεγοντος), παρα του πατρος ἐκπορευεται. Ἀλλ' ὁυτος ... ἀφαιρει μεν ἀυτο του πατρος, τῳ δε μονογενει δια-φεροντως προστιθησι.

Multa sunt in his verbis Basilii notatu dignissima. a) Dirimere Spiritum *a Deo*, significat dirimere *a Patre et Filio*, quando ergo in Scripturis simpliciter dicitur *Spiritus Dei*, *Spiritus ex Deo* intelligitur *Spiritus Patris et Filii*, *ex Patre et Filio* (vide Th. XXXII. n. II.). b) Sicut alii Patres (quos descripsi l. c.) habent velut synonyma haec duo *esse Spiritum Patris et Filii* ac *procedere ex Patre et Filio*; ita hoc idem apud Basilium in confesso est. Ut enim probet Spiritum Sanctum dici in Scripturis *Spiritum Patris*, adducit duos hos textus: *Spiritus qui ex Deo est*, *qui a Patre procedit*; eadem ergo significatione originis adfert in uno contextu duo alia testimonia, ubi appellatur *Spiritus Christi* et *Spiritus veritatis* (i. e. Filii). c) Eunomianum est dicere Spiritum aliter (διαφεροντως) referri ad Filium quam ad Patrem, proinde catholica est professio, unam ac eandem esse relationem Spiritus Sancti ad Patrem et ad Filium. d) Hoc ipsum adhuc distinctius dicitur verbis Basilii proxime antecedentibus, quae citavimus. Ita enim argumentatur. Quando Eunomius dicit, Spiritum esse *a solo Filio non autem etiam a Patre*, vel ponit Patrem et Filium duo principia sibi contraria, et incidit in haeresim Manichaeorum, vel fatetur, Filium procedere a Patre, et Spiritum a Filio, tum vero fateatur oportet secundum Scripturas, Spiritum procedere etiam a Patre ut *a prima causa*, quoniam Filius sua omnia habet a Patre et est unum cum Patre. Ceterum etiam totidem verbis in l. V. contra Eunomium (T. I. p. 304) principii instar statuitur: « sicut Filius ad Patrem, ita Spiritus se habet ad Filium; propterea Dei (Patris) quidem Verbum Filius est, Verbum autem Filii est Spiritus ».

n. 1. contra Eunom.), in quo doctrinam catholicam expressam esse, ipsi Photiani negare non possunt. Propter quam causam illud truncando et interpolando in codicibus recentioribus pervertere conati sunt, quae quidem corruptela a multis viris gravissimis ex vetustorum codicum auctoritate et ex argumentis internis plene demonstrata est (Th. XXXV.).

2° *Gregorius Nyssenus* frater Basilii eadem repetit etiam impressius. Ait nempe: sicut Filius coniungitur Patri, ex illo esse habens, non tamen existentia posterior est Patre, *ita vicissim Spiritus Sanctus pendet a Filio*, adeo ut non quidem tempore sed *secundum rationem principii Filius praeintelligatur hypostasi Spiritus Sancti* (1). Filius et Spiritus sunt quidem ambo ex Patre ut ex principio; sed in processione unius et alterius haec est differentia, quod Filius est proxime ex Patre, *Spiritus autem est per secundam personam ex prima;* atque hoc ipsum quod Filius est medius inter Patrem et Spiritum Sanctum, efficit, *ut solus Filius sit ex solo Patre,* Spiritus Sancti tamen relatio ad Patrem non tollatur (2) (quia scilicet Spiritus procedit quidem ex Patre, non tamen ex solo Patre, sed ex Patre per Filium).

Hanc differentiam processionis, quod Filius ut unigenitus generatur a solo Patre (3), Spiritus vero Sanctus non

(1) *Οὕτω παλιν και του μονογενους ἔχεται το πνευμα τὸ ἅγιον, ἐπινοιᾳ μονῃ κατα τον της ἀιτιας λογον προθεωρουμενου της του πνευματος ὑποστασεως.*

(2) *Του ἐξ ἀιτιας ὀντος παλιν ἀλλην διαφοραν ἐννοουμεν, το μεν γαρ προσεχως ἐκ του πρωτου, το δε δια του προσεχως ἐκ του πρωτου, ὥστε και το μονογενες ἀναμφιβολον ἐπι του ὑιου μενειν, και το ἐκ του πατρος ἐιναι το πνευμα μη ἀμφιβαλλειν, της του ὑιου μεσιτειας και ἀυτῳ το μονογενες φυλαττουσης, και το πνευμα της φυσικης προς τον πατερα σχεσεως μη ἀπειργουσης.*

(3) Ut Nyssenus ita PP. alii (Origenes in Io. tom. 2. n. 6; Gregorius Thaumaturgus in symbolo; Basilius ep. 38. al. 43. n. 4; Meletius apud Epiphanium haeres. 73. n. 30. p. 878) explicant nomen *unigeniti* non sane ex sua etymologia, sed ex dogmate aliunde comperto, quod in comparatione cum Spiritu Sancto *solus Filius ex solo Patre* procedit (*μονος μονογενος ἐκλαμψας*). Longe alia est explicatio haeretica Eunomianorum, qui dicebant *unigenitum*, « quoniam a solo genitus st

iam ex solo Patre sed ex Patre et ex Filio procedere in Scripturis docetur, quoniam nomine personali ac propterea relativo non solum Patris sed etiam Filii Spiritus dicitur, Gregorius iterum explicat in loco celebri serm. III. in orationem dominicam, quem cum vindiciis Becci et Card. Mai citavi Th. XXXV. Notetur vero, ipsam corruptelam schismaticorum non pertigisse ad doctrinam Gregorii abolendam; quoad rem enim manet sententia eadem etiam in lectione illa corrupta, quod cum ipsimet impostores intelligere coepissent, in exscriptione codicum totum tandem locum supprimere attentarunt (ut in editis et in duobus codd. vaticanis recentioribus tota periodus suppressa est). Vide Card. Mai Nova Bibl. PP. p. 40. sqq. In lectione genuina de qua praesertim post demonstrationes Card. Angeli Mai omne dubium sublatum est, ipsimet Photiani doctrinam catholicam agnoscere coguntur. Cum commune sit (inquit) Filio et Spiritui Sancto, quod non ἀγεννητως subsistunt, est tamen alia et alia proprietas distinguens utriusque. « Nam *unigenitus* Filius *ex Patre* a sacra Scriptura dicitur, et in hoc sacra doctrina sistit eius proprietatem; Sanctus vero Spiritus *et ex Patre dicitur, et ex Filio esse simul testimonio confirmatur.* Etenim si quis, inquit (Apostolus), *Spiritum Christi* non habet, hic non est eius » (1). Iam in Thesi XXXII. n. II. et alibi in hac ipsa nostra appendice demonstravimus, *Spiritum* ut nomen personale semper sumi *relative* ad personam alteram, a qua est *spiratus.* Unde vidimus Patres tam graecos quam latinos probare originem Spiritus sive a Patre sive a Filio ex eo, quod in Scripturis modo *Patris* modo *Filii Spiritus* dicitur; cum his consentiens Gregorius testimonium confirmans processionem *ex Filio* rectissime adducit illud Apostoli, in quo appellatur *Spiritus Christi.*

creatus est, non quoniam solus genitus » (apud Basil. con. Eunom. l. II. n. 21.).

(1) Ὁ γὰρ μονογενης ὑιος ἐκ του πατρος παρα της ἁγιας γραφης ὀνομαζεται, και μεχρι τουτου ὁ λογος ἱστησιν ἀυτῳ το ἰδιωμα· το δε ἁγιον πνευμα και ἐκ του πατρος λεγεται, και ἘΚ του ὑιου ἐιναι προσμαρτυρειται· ἐι γαρ τις, φησιν, πνευμα Χριστου ὀυκ ἐχει, ὀυτος ὀυκ ἐστιν ἀυτου.

Sed permittamus schismaticis lectionem, ut eam in secundo inciso 'EK του υἱου expuncta particula 'EK corruperunt. In hac hypothesi aliis verbis omnino idem diceretur. Quaerit Gregorius characterem singulis personis proprium et constituentem singulas distinctas. Huiusmodi non potest esse id, quod est absolutum et ideo commune omnibus personis (ut consubstantialitas seu unitas naturae), nec merum opus ad extra (ut in sententia Photianorum quantumvis absurde concipitur missio personae); sed proprietas distinguens et constituens necessario intelligitur *interna relatio personae ad personam.* Iam inspiciatur doctrina Gregorii in lectione, quam permisimus. Soli Patri proprium et non commune Filio ac Spiritui Sancto intelligitur, inquit, esse sine principio sui (το ἀνευ ἀιτιας ἐιναι μονου του πατρος). At non sufficit Patrem sine principio distinguere a procedente ex principio; sed oportet etiam *proprietatem personalem* reperire, quo *Filius et Spiritus inter se distinguantur* (παλιν ἐστιν ἀμικτον την ἐν τοις ἰδιωμασιν ἀυτων διαφοραν ἐξευρειν). Non sufficit dicere Filium esse ex Patre, et Spiritum Sanctum esse ex Patre; hoc enim non est inter eos distinguens, sed commune utrique (κοινου δε ὀντος τῳ υἱῳ και τῳ πνευματι το μη ἀγεννητως ἐιναι). Oportet ergo hoc quidem commune servare integrum, sed simul ostendere differentiam, qua Filius, et qua Spiritus in divina revelatione dicatur esse ex Patre, et haec *diversitas originis* in uno et in altero constituet proprietatem distinguentem, ὡς ἀν και το κοινον (esse ex Patre) φυλαχθειη, και το ἰδιον (proprius unicuique modus originis) μη συγχυθειη. Hactenus etiam Photiani cum Gregorio et cum doctrina catholica se consentire dicent; sed nunc in eo de quo unice quaeritur, in quonam nempe constituatur illa *differentia originis*, sese prodit contradictio inter explicationem catholicam Gregorii et inter haeresim Photianam. Photiani dicunt, differentiam originis esse in eo, quod Filius a solo Patre *generatur,* Spiritus *a solo Patre procedit.* Gregorius concedit primum et diserte negat alterum. Videns enim solum diversum sonum vocabulorum *generationis* et *processionis* non sufficere, sed in ipsa relatione interna Spiritus et Filii quaerendam

esse distinctionem, hanc autem nullam fore, si uterque *ex solo Patre* originem habeat, s. doctor vocabulum *processionis* ad declarandam distinctionem ne adhibet quidem; sed unice quaerit, quomodo *esse ex Patre* differat in Filio et in Spiritu Sancto. Differentiam autem hanc esse docet, quod in divina revelatione unigenitus Filius dicitur tantummodo esse ex Patre, et haec est tota eius proprietas constituens (ὁ μονογενης ὑιος ἐκ του πατρος παρα της ἁγιας γραφης ὀνομαζεται, και μεχρι τουτου ὁ λογος ἱστησιν αὐτῳ το ἰδιωμα), contra vero Spiritus non solum dicitur *esse ex Patre;* hoc enim eum non distingueret a Filio, cum prorsus eadem notio enuntiaretur dicendo Filium *ex Patre* et Spiritum *ex Patre;* sed *relatio originis* utique una et simplicissima Spiritus Sancti eum distinguens a Filio declaratur in Scripturis propositione complexa, quod *et ex Patre et Filii esse* dicitur (και ἐκ του πατρος λεγεται και του ὑιου εἰναι προσμαρτυρεῖται). Ex doctrina ergo disertissima Gregorii *relatio originis* Spiritus Sancti sola eum distinguens a Filio ea est, quod sit *Spiritus Filii.* At dicere relationem originis, qua Spiritus Sanctus constituitur persona distincta a Filio, exprimi in Scripturis per appellationem *Spiritus Filii,* profecto significat hoc nomen *Spiritus* in Scripturis esse relativum *(spiratum)* exprimens originem ab ea persona, cuius dicitur *Spiritus,* nomen ergo *Spiritus Filii* exprimere Spiritus Sancti originem a Filio, idque ita ut hac origine sola distinguatur a Filio, ac proinde ea negata negetur ipsa distinctio Spiritus a Filio.

3[io] *Epiphanii* constantem et disertissimam doctrinam descripsimus in nostro Tractatu (Th. XXXV). Tum in Ancorato tum in Haeresi LXXIV, quae est Pneumatomachorum, docentium Spiritum Sanctum non esse *ex Patre,* sed esse *a Filio creatum,* Epiphanio sicut aliis Patribus contra hos haereticos pugnantibus propositum erat directe demonstrare divinitatem Spiritus Sancti. Iam vero ad hanc demonstrationem et ad excludendam creationem Spiritus per Filium in sententia Photianorum argumentum necessarium et evidens fuisset negatio originis Spiritus Sancti a Filio. Qui enim cum Photianis sentiunt, ii in doctrina illorum

Pneumatomachorum *tres* errores reperiant necesse est, quod affirmaverint Spiritum esse a Filio, quod negaverint esse a Patre, quod docuerint esse a Filio per creationem. Hi vero errores *omnes tres* in complexu nullo alio argumento confutari possent, hocque uno omnes simul ex mente Pneumatomachorum radicitus evulsi essent, si demonstraretur, Spiritum non habere originem a Filio. Hoc namque posito Pneumatomachi sane convicti fuissent, Spiritum non esse unam ex creaturis, quas illi *universas* concedebant et urgebant esse a Filio, pro ipsa sua haeresi de Spiritus Sancti creatione perpetuo appellantes ad illud: « omnia per ipsum facta sunt; » porro cum iidem concederent et indubitatum haberent, Spiritum esse hypostasim non *a se* sed *ab alio*, eodem argumento constitisset, Spiritum cum ex hypothesi non sit a Filio, esse a Patre. Atqui nullus Patrum orthodoxorum multoque minus Epiphanius hac vel aliqua simili argumentatione umquam usus est. Imo vero sicut Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus ceteriique, ita luculentissime Epiphanius non solum concedit, sed repetit et insistit, Spiritum esse utique a Filio; at hoc ipso quod est a Filio, demonstrat, esse eodem modo etiam a Patre, quoniam omnia Filii, sunt Patris et Filio communicata a Patre; porro a Patre esse Spiritum non per creationem, sed ex essentia Patris, ac propterea eodem modo esse *ex Filio, ex essentia Filii, ex Patre et Filio, ex ambobus.* Docet nimirum το ἁγιον πνευμα ἐκ της ἀυτης ὀυσιας πατρος και ὑιου Ancor. n. 7; ἐκ του πατρος και του ὑιου ib. n. 8; παρα πατρος και ὑιου ib. n. 71; ἀπο πατρος και ὑιου ib. n. 72; παρα του πατρος και ἐκ του ὑιου Haeres. 74. n. 10; παρ᾽ ἀμφοτερων ib. n. 7; ἐκ του Χριστου ἡ παρ᾽ ἀμφοτερων Ancor. n. 67.

4° *Cyrillus* aeque non solum enuntiat processionem Spiritus Sancti a Filio sicut a Patre; sed multis modis eam declarat et illustrat. Doctrinam ipsis verbis Cyrilli exposui in Tractatu. « Spiritum veritatis, id est suum, Paracletum appellat (Filius). Spiritus enim Sanctus nullo modo ab unigeniti essentia alienus intelligitur, *sed ex ea naturaliter procedit,* identitate naturae aliud nihil ab ipso exsistens,

licet ceteroquin intelligatur per se subsistens... Cum *Spiritus meus, et veluti mens mea sit* (inquit Filius), omnino loquetur quae in me sunt... Signum hoc erit vobis, *omnino ex mea substantia Spiritum esse, et mentem veluti meam,* quod ventura praedicaturus sit, non secus ac ego. Nec enim ut ego futura praedixerit, *nisi in me sit, at per me procedat* (1), *et eiusdem sit mecum substantiae...* Quoniam Filio consubstantialis est Spiritus, *et modo Deo congruenti per ipsum procedit habens omnem eius perfectissimam in omnibus efficaciam ac virtutem, propterea dicit, quia de meo accipiet.* Subsistere quidem per se Spiritum credimus... *sed inexistens essentiae Dei, ex ea promicat et procedit, omnia quae eius sunt, in se ipso naturaliter habens...* Citra reprehensionem ergo dicitur ab unigenito accipere Spiritus eius. *Nam ut proprius eius Spiritus per ipsum in natura procedens cum omnibus quae perfecte habet (cum attributis absolutis), dicitur accipere quae sunt Filii.* » Sequitur deinde prolixa declaratio processionis Filii ex substantia Patris, ita ut Filius sit Patri consubstantialis, et omnia Patris sint Filii praeter esse Patrem (διχα μονον του ἐιναι πατερα).

(1) *δι' ἐμου προϊον*, et paulo inferius *προεισι θεοπρεπως δι' ἀυτου (ὑιου)*, et *προϊον δι' ἀυτου φυσικως*, et *πνευμα το δι' ἀυτου και ἐν ἀυτῳ*. Haec evidenter dicunt processionem per Filium per communicationem naturae a Filio, ut patet ex additis declarationibus: « ex substantia Filii naturaliter procedit; » « per Filium naturaliter procedit, accipiendo omnia quae sunt Filii; » « ex Patre et Filio accipit, quae ipsorum sunt. » In eodem hoc contextu processio ex Patre eisdem verbis exprimitur, nisi quod de Patre principio primordiali dicitur *ἐκ του πατρος*, de Filio genito *δια του ὑιου*. quarum particularum significationem alibi declaravimus (Th. XXXVI.). Ut tamen Photianis ipse etiam cavillandi locus intercludatur, Cyrillus sicut dicit Patrem habere *ἐξ ἑαυτου τε και ἐν ἀυτῳ το ἰδιον πνευμα*, et *το πνευμα ἐξ ἀυτου προϊον*, et *ἐν ᾡ και ἐξ ὁυπερ ἐστι*; eodem omnino modo loquitur de relatione Spiritus ad Filium: *το ἰδιον ἀυτου (του ὑιου) και παρ' ἀυτου κατα φυσιν προχεομενον πνευμα* in Io. p. 126; *παρ' ἀυτου το πνευμα ἀυτου, ὁλην ἐχον ἀυτου την ἐνεργειαν* dial. Trin. V. p. 598; *ἠ μεν ἐστι θεος και ἐκ θεου κατα φυσιν ὁ ὑιος, ἰδιον ἀυτου τε και ἐν ἀυτῳ και ἐξ ἀυτου το πνευμα ἐστι, καθαπερ ἀμελει και ἐπ' ἀυτου νοειται του θεου και πατρος* in Ioel T. III. p. 228; *ὁτι τοινυν το πνευμα το ἁγιον ἐν ἡμιν γενομονον συμμορφους ἀποδεικνυει θεου, προεισι δε και ἐκ πατρος και ὑιου, προδηλον ὁτι της θειας ἐστιν ὀυσιας, ὀυσιωδως ἐν ἀυτῃ και ἐξ ἀυτης προϊον* Thesaur. p. 345.

« Iam vero Deus et Pater habet *ex se ipso et in se ipso proprium Spiritum*, nempe Spiritum Sanctum..... *qui in ipso essentialiter est et ex ipso indivise et inseparabiliter procedit*, et annuntiat ut sua propria, *quae sunt eius, in quo et ex quo est. Atqui proprius est hic Spiritus etiam unigeniti, consubstantialis enim est Filius Patri* (1).... Ita vero dicimus *Spiritum accipere ex Patre et Filio quae ipsorum sunt*, non quasi aliquando non haberet sapientiam et virtutem quae ipsis (Patri et Filio) inest, et tum demum habere coepisset, cum cogitatur accipere... *sed velut bonus odor est ex essentia ipsius* (Dei Patris et Filii) *vivens et efficax*... Fructus igitur et figura substantiae genitoris cum sit Filius, omnia quae eius sunt, sibi secundum naturam vindicat. Idcirco ait: omnia quae habet Pater mea sunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipit et annuntiabit vobis; Spiritus nempe *qui per ipsum et in ipso est*, per quem (Filius) sicut ipse (Pater) Sanctis inhabitat » Cyrill. in Ioan. T. IV. p. 925-932 (2).

(1) **Superius in hoc ipso commentario p. 810. dixerat: « naturalium bonorum Dei et Patris essentialiter consors (*ὀυσιωδὼς κοινωνος*) existens Filius, habet Spiritum eodem modo, quo Pater habere intelligitur... Corporaliter insufflando Christus ostendit, ex divina essentia Deo convenienter profundi Spiritum qui ex ipso est** (*το πνευμα το ἐξ ἀυτου*).

(2) *Πνευμα της ἀληθειας, τουτ᾽ ἐστιν ἑαυτου, τον παρακλητον ἀποκαλει (ὁ ὑιο.). Οὐ γαρ ἀλλοτριον της ὀυσιας του μονογενους το ἁγιον νοειται πνευμα, προεισι δε φυσικως ἐξ ἀυτης, ὀυδεν ἑτερον παρ᾽ ἀυτου ὑπαρχον, ὁσον ἐις ταυτοτητα φυσεως, ἐι και νοοιτο τυχον ἰδιοσυστατως ....᾽Επειδη δε πνευμα και ὁιονει νους ἐστιν ἐμος, λαλησει δη παντως τα ἐν ἐμοι ... Σημειον τουτο ἐσται ὑμιν, ὁτι δη παντως ἐκ της ἐμης οὐσιας το πνευμα ἐστι και ὁιον ἐμος ἐστι νους, το ἐρειν ἀυτον τα ἐσομενα, καθαπερ ἐγω ....᾽Ουκ ὀυν ἀρα, καθαπερ ἐγω, προερει τα ἐσομενα, μη οὐχι παντως ἐν ἐμοι τε ὑπαρχον, και δι᾽ ἐμου προϊον, και της ἀυτης ὀυσιας ὑπαρχον ἐμοι ....᾽Επειδη δε (το πνευμα) ὁμοουσιον τε ἐστι τω ὑιῷ, και προεισι θεοπρεπως δι᾽ ἀυτου πασαν ἀυτου την ἐφ᾽ ἁπασι τελεωτατην ἐχον ἐνεργειαν τε και δυναμιν, δια τουτο φησιν, ὁτι ἐκ του ἐμου ληψεται. Ὑφεσταναι γαρ ἀυτο καθ᾽ ἑαυτο το πνευμα πιστευομεν .. ἐνυπαρχον γε μην τῃ ὀυσιᾳ θεου, προκυπτει τε και προεισι ἐξ ἀυτης, παντα τα ἀυτης ἐχον ἐν ἑαυτῷ φυσικως ...᾽Ακαταγορητον ὀυν ἀρα παντελως, και λοιδοριας ἁπασης ἐξω κεισεται, το λαβειν λεγεσθαι τι παρα του μονογενους το πνευμα ἀυτου· προϊον γαρ δι᾽ ἀυτου φυσικως, ὡς ἰδιον ἀυτου, μετα παντων ὡν ἐχει τελειως, λαμβανειν λεγεται τα ἀυτου ....᾽Εχει τοινυν ὁ θεος και πατηρ ἐξ ἑαυτου τε και ἐν ἀυτῷ το ἰδιον πνευμα, τουτ᾽ ἐστι το ἁγιον*

Equidem ignoro quibus verbis clarioribus doctrina catholica exhiberi et explicari queat, quam heic et geminis locis aliis, quorum aliqua in Tractatu citavimus, a Cyrillo factum esse videmus. *a*) Iisdem verbis quibus dicitur Spiritus esse ex Patre, procedere (προϊέναι) ex Patre, ex essentia Patris, simul docetur eodem modo etiam esse et naturaliter (in divina sua natura) procedere per Filium et ex Filio, ex essentia Filii. *b*) Haec processio per Filium et ex Filio declaratur, quid ea sit; nimirum quod Spiritus totam perfectionem divinam receptam habet a Filio; sicut ergo Filius est Verbum (ὁ λογος) Patris, ita Spiritus est mens seu Verbum (ὁ νους) Filii. *c*) Hinc ulterius explicat Cyrillus, processionem et acceptionem omnium perfectionum a Filio sicut a Patre non incipere in tempore, sed esse aeternam, atque ex eadem processione per acceptionem essentiae Patris et Filii, ex Patre et Filio, consequi consubstantialitatem Spiritus cum Patre ac Filio. *d*) Porro rectissime docet Cyrillus, communicationem totius perfectionis a Filio sicut a Patre in Spiritum Sanctum necessario credendam esse eo ipso, quod Filius est Patri consubstantialis et habet omnia quae sunt Patris, excepta sola formali ratione paternitatis. *e*) Sicut Spiritum esse proprium Patris (πνευμα ἰδιον του πατρος), nihil aliud significat, quam Patrem habere Spiritum in se et ex se procedentem (processione immanente), ita eadem omnino significatione

δἰ ὁυ τοις ἁγιοις ἐναυλιζεται....ἐν ἀυτῳ τε ὀντος ὀυσιωδως, και ἐξ ἀυτου προϊοντος ἀμεριστως τε καὶ ἀδιαστατως, ὡς ἰδια τε διερμηνευοντος τα ἐν ῷ και ἐξ ὁυπερ ἐστιν...αλλ' ἰδιον πνευμα τουτο ἐστι και του μονογενους, ὁμοουσιος γαρ ἐστι τῳ πατρι....Λαμβανειν τε ὀυτω το πνευμα φαμεν ἐκ τε του πατρος και του ὑιου τα ἀυτων, οὐχ' ὡς ποτε μεν ὀυκ ἐχον την ἐνουσαν ἀυτοις γνωσιν τε και δυναμιν, ἐχον δε τοτε μολις, ὁταν νοηται λαμβανον... Ὥσπερ δ' ἀν φωμεν την ἐκ των ἀρωματων ἐυωδιαν....τοιουτον τε μαλλον δε και ὑπερ τουτο νοησεις ἐπι τε Θεου (**ex antecedentibus** του πατρος και του ὑιου), και του ἁγιου πνευματος· ὁιονει γαρ οσμη τις ἐστι της ὀυσιας ἀυτου, ζωσα τε και ἐναργης (ἐνεργη;?)...Καρπος ὀυν ἀρα και χαρακτηρ της ὑποστασεως του γεννησαντος ὑπαρχων, ὁ ὑιος, παντα τα ἀυτου κατα φυσιν ἐπαγεται· δια τουτο φησι, παντα ὁσα ἐχει ὁ πατηρ, ἐμα ἐστι, δια τουτο ἐιπον ὑμιν, ὁτι ἐκ του ἐμου λαμβανει και ἀναγγελεῖ ὑμιν (**adverte *accipere* in praesenti, *annuntiare* in futuro**), το πνευμα δηλονοτι το δἰ ἀυτου και ἐν ἀυτῳ, δἰ ὁυ τοις ἁγιοις ὡς ἀυτος ἐνοικει.

dicitur *Spiritus proprius Filii* (πνευμα ἰδιον του ὑιου). Quoties ergo in Scripturis dicitur *Spiritus Filii, Spiritus veritatis;* pariterque ubi dicitur *accipere a Filio, audire a Filio;* toties doctore Cyrillo intelligenda est aeterna immanens processio Spiritus Sancti a Filio in unitate naturae.

§. VI. *Examinantur testimonia, quae ex eisdem Patribus a Macario inducuntur.*

Huic, quam descripsimus, constanti (ut Epiphanius haeres. 74. n. 8. eam appellat), lucidae, illuminanti, et a sanctis per fidem intellectae theologiae Patrum quaenam tandem testimonia opponere umquam poterit adversarius ad persuadendam etiam hyperboreis hominibus suam thesim, hos Patres processionem Spiritus Sancti a Filio *prorsus negasse* (ils l'excluent complètement)?

1° *Ex Basilio* duos adfert textus, qui non solum non *prorsus negant,* ut ille ait, sed comparati cum tota Basilii doctrina affirmant, processionem a Filio, dummodo non falsa interpretatione pervertantur, ut a Macario factum est.

a) Describit locum Basilii ep. 38. al. 43. n. 4, qui in versione Macariana ita habet. « Quatenus Sanctus Spiritus *unitus est Filio (est uni au Fils)* (1), a quo inseparabilis apparet, *habet vero esse a suo auctore, Patre (de son auteur, le Père)* (2), a quo procedit; character distinctivus eius attributi hypostatici est *cognitum esse* post Filium et cum Filio, et habere existentiam a Patre: Filius autem qui post se et secum ipso *cognoscendum praebet (fait connaître)* (3)

(1) Litteris distinguam potissimas fallacias versionis Macarianae. Graece hic habetur του ὑιου μεν ἡρτηται, quod non quomodocumque unitum esse, sed ab altero *pendere* significat, eodem prorsus sensu, quo mox dicitur Spiritus habere του πατρος ἐξημμενον το ἐιναι. *Pendentia* vero unius personae divinae ab altera non potest concipi alia quam originis. Macarius ipse si graeca verba intelligit, fatebitur, dici nullo modo posse, ὁ πατηρ ἡρτηται του ὑιου, sed ordine inverso ὁ ὑιος ἡρτηται του πατρος.

(2) Basilius dicit της του πατρος ἀιτιας. quam paulo ante appellavit την ἀιτιαν της ἁπαντων των ὀντων ἀιτιας, principium nempe-primordiale, a quo Filius, et per Filium Spiritus Sanctus.

(3) Quod Basilius dicit γνωριζειν, in personis divinis est immanens γνωρισμα, de quo mox dicam.

Spiritum qui a Patre procedit, cum ipse *solus et unicus* processerit *(étant sorti seul et unique)* (1) ex sinu lucis ingenitae resplendens, nihil habet per suos characteres distinguentes commune cum Patre et Spiritu Sancto. »

Etiam admissa hac versione, nullus Oedipus coniiciat, quibusnam in verbis Photianus noster repererit *plenam negationem* processionis a Filio, cum id ipse non indicet, Basilii autem verba (si ita haberent) affirmarent quidem processionem a Patre (de qua nullum est dubium), processionem deinde a Filio quam s. doctor aliis locis clarissime vindicat, non solum non negarent, sed in consensu cum reliqua eius doctrina satis, licet obscurius, significarent. At si verba ipsa Basilii, ut revera habent, et integra disputatio illius numeri 4. ep. 38. inspiciantur, locus iste deprehenditur esse unus ex iis, in quibus processio personae tertiae a secunda sicut a prima clarissime proponitur ut elementum essentiale ac intestinum oeconomiae SS. Trinitatis.

Declarat ibi Basilius, quomodo tres personae cum natura *unum* sint, nihilominus characteribus personalibus inter se realiter distinguantur. Spiritus Sanctus (inquit) dicitur in Scripturis omnia operari; at haec operatio et haec virtus est in Spiritu a Filio; neque hic sistendum est, sed perveniendum ad causam ingenitam, ad Patrem nempe, a quo eadem operatio ac virtus est in Filio et in Spiritu Sancto, nempe ut Gregorius Nyssenus Basilii frater et huius epistolae receptor ait, virtus a Patre proxime (προσεχως) est in Filio, et per Filium (δια του προσεχως) in Spiritu Sancto; vel ut ipse Basilius alibi rem explicat: « naturalis bonitas et essentialis sanctitas et regalis dignitas a Patre per unigenitum in Spiritum promanat » (de Sp. S. n. 47). Virtus ergo et operatio una numero est in tribus personis, sed illa est incommunicata in Patre, a Patre communicatur Filio, a Patre et Filio (seu a Patre per Filium) communicatur Spiritui Sancto. « Inquirentes, *an a solo Spiritu bonorum subministratio originem habeat...*

(1) Graece μονος μονογενως ἐκλαμψας, quod est longe diversum ab eo, quod Macarius dicit.

rursus a Scriptura deducimur, ut credamus *unigenitum Deum esse auctorem et causam subministrationis bonorum per Spiritum Sanctum in nobis effectorum* (1)... Postquam ad hanc intelligentiam evecti sumus, ulterius a divinitus inspirata manuductione elevati docemur, per illam virtutem (Spiritus et Filii) omnia quidem ex nihilo produci, at non ex illa sine principio (ὀυ μὴν ἐξ ἐκείνης ἀνάρχως); sed est quaedam virtus ingenite et sine principio subsistens, quae est causa causae omnium existentium (2). Ex Patre enim Filius per quem omnia, quocum Spiritus Sanctus omnimode inseparabiliter cointelligitur. »

His Basilius subnectit clariorem explicationem distinctionis personarum illis verbis, quae Macarius sua versione tenebris obduxit. « Cum igitur (ait s. doctor) Spiritus Sanctus a quo omnis bonorum subministratio in creaturam promanat, *a Filio quidem pendeat* (utique origine), quocum immediate cointelligitur; *a causa vero Patre pendens esse habeat, unde et procedit:* hoc habet distinguens proprietatis hypostaticae sigillum, quod nimirum *post Filium et cum ipso manifestatur, et quod ex Patre subsistit.* Filius vero qui Spiritum ex Patre procedentem *per se ipsum et secum ipso manifestat, solus unigenite* ex ingenita luce effulgens, nullam, quod ad characterum distinguentium proprietatem attinet, cum Patre aut Spiritu Sancto communitatem habet; sed iis quae dixi, signis solus discernitur. Qui autem est super omnia Deus, praecipuam quamdam suae hypostaseos notam solus habet, quod Pater est, et nulla subsistit ex causa » (3).

(1) Παλιν ὑπο της γραφης ὁδηγουμεθα ἐις το της χορηγιας των ἀγαθων των δια του πνευματος ἡμιν ἐνεργουμενων ἀρχηγον και ἀιτιον τον μονογενῆ θεον ἐιναι πιστευειν.

(2) Ἀλλα τις ἐστι δυναμις ἀγεννητως καὶ ἀναρχως ὑφεστωσα, ἡτις ἐστιν αἰτια της ἀπαντων των ὀντων ἀιτιας. Haec alibi Basilio est ἡ προκαταρκτικη ἀιτια, et ἡ πρωτη ἀιτια.

(3) Ἐπειδη τοινυν το ἁγιον πνευμα, ἀφ' ὀυ πασα ἐπι την κτισιν ἡ των ἀγαθων χορηγια πηγαζει, του ὑιου μεν ἤρτηται, ῳ ἀδιαστατως συγκαταλαμβανεται, της δε του πατρος ἀιτιας ἐξημμενον ἐχει το ἐιναι, ὁθεν και ἐκπορευεται· τουτο το γνωριστικον της κατα την ὑποστασιν ἰδιοτητος σημειον ἐχει, το μετα τον ὑιον και συν ἀυτῳ γνωριζεσθαι, και το ἐκ του πατρος ὑφε-

Post hanc distinctionis declarationem pluribus docet indistinctam unitatem essentiae et attributorum divinorum in tribus personis; ac tandem celebri illa similitudine aureae catenae adhuc clarius explicat internam oeconomiam SS. Trinitatis, quod nempe sicut Filius cum Patre, ita Spiritus cum Filio, atque idcirco Filius veluti medius hinc quidem cum Patre inde vero cum Spiritu Sancto interna ordinis atque adeo originis consecutione indivise cohaereat. «Patrem cogitans, illum et in seipso cogitavit, et Filium simul mente complexus est; qui vero hunc complexus est, *a Filio Spiritum non seiunxit; sed consequenter quidem secundum ordinem*, unite vero secundum naturam, trium secundum identitatem (essentiae) coniunctam fidem in se ipso expressit. Et solum Spiritum dicens, simul hac confessione complexus est *et illum, cuius est Spiritus*. Et quoniam, ut Paulus docet (Rom. VIII. 9), *Spiritus Christi est, et ex Deo* (1. Cor. II. 12); sicut ex catena unum extremum qui apprehendit, extremum alterum simul attraxit, ita qui Spiritum attraxit, ut loquitur propheta (Ps. 118. 131), *per ipsum et Patrem et Filium simul attraxit*. Et si quis Filium veraciter apprehenderit, habebit illum simul adducentem *utrimque, hinc quidem suum Patrem, inde vero proprium Spiritum*. Neque enim *a Patre qui semper in Patre est* (Filius), scindi poterit; neque *a proprio Spiritu* (Filius) unquam seiungitur omnia in eo operans... Neque ullo modo scissio aut divisio cogitari potest, *ut Filius seorsum a Patre intelligatur, aut Spiritus a Filio seiungatur* » (1). Doctrina itaque Basilii ad haec capita revocatur.

σταναι. Ὁ δε υἱος ὁ το ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον πνευμα δι' ἑαυτου και μεθ' ἑαυτου γνωριζων, μονος μονογενως ἐκ του ἀγεννητου φωτος ἐκλαμψας, οὐδεμιαν κατα το ἰδιαζον των γνωρισματων την κοινωνιαν ἐχει προς τον πατερα ἠ προς το πνεῦμα το ἁγιον, ἀλλα τοις εἰρημενοις σημειοις (*duobus nempe signis* non uno solo ut apud Photianos) μονος γνωριζεται. Ὁ δε ἐπι παντων θεος ἐξαιρετον τι γνωρισμα της ἑαυτου ὑποστασεως, το πατηρ εἰναι και ἐκ μηδεμιας αἰτιας ὑποστηναι, μονος ἐχει.

(1) Ὁ τον πατερα νοησας, αὐτον τε ἐφ' ἑαυτου ἐνοησε, και τον υἱον τῃ διανοιᾳ συμπαρεδεξατο. Ὁ δε τουτον λαβων, του ὑιου το πνευμα οὐκ ἀπεμερισεν, ἀλλ' ἀκολουθως μεν κατα την ταξιν, συνημμενως δε κατα την φυσιν των τριων κατα ταυτον συγκεκραμενην ἐν ἑαυτῳ την πιστιν ἀνετυπωσατο. Και ὁ

α) Virtus operandi et largiendi omnia dona atque adeo virtus divina in Spiritu Sancto est a Filio, non tamen ut a causa primordiali, quoniam in Filio eadem virtus est a Patre; Pater ergo est ingenita causa causae omnium; adeoque virtus in Spiritu Sancto est per Filium a Patre ut a principio sine principio.

β) Hinc Spiritus Sanctus quamvis virtute et natura divina unum cum Patre et Filio, attamen ut persona distincta *pendet a Filio*, et *tamquam a causa causae pendet a Patre,* a quo ideo *procedere* dicitur in Scripturis.

γ) Ex his deducitur, quinam sint personarum characteres distinguentes, hocque ipso aeternaliter insiti ac proprii singulis personis. Character personalis Spiritus Sancti non absolvitur eo, quod a Patre procedit; sed consideranda in eo est *duplex ratio*, quod *manifestatur* (γνωρίζεται) *post Filium et cum Filio,* et quod *subsistit a Patre.* Huic respondet *duplex itidem ratio* in charactere personali Filii, quod *per se ipsum et secum ipso manifestat* (γνωρίζει) *Spiritum Sanctum*, et quod *solus unigenite* (μονος μονογενως, seu ut alibi PP. dicunt μονος ἐκ μονου) *a Patre effulget.*

Iam vero character personalis realiter distinguens unam divinam personam ab alia non potest esse solum manifestatio et operatio *ad extra*, haec enim haeresis foret Sabelliana; sed necessario est immanens aeterna proprietas personalis, quamvis haec insita proprietas possit etiam considerari cum relatione *ad extra,* sicut Patres saepe docent, sapientiam genitam (Filium) et sanctitatem subsistentem (Spiritum Sanctum) aeternaliter procedere cum relatione

το πνευμα μονον εἰπων συμπεριελαβε τῃ ὁμολογιᾳ ταυτῃ και τον οὑ ἐστι το πνευμα, και ἐπειδη του Χριστου ἐστι το πνευμα, και ἐκ του θεου, καθως φησιν ὁ Παυλος, ὡσπερ ἐξ ἁλυσεως τοῦ ἑνος ἀκρου ἁψαμενος και το ἑτερον ἀκρον συνεπεσπασατο, ὁυτως ὁ το πνευμα ἑλκυσας, καθως φησιν ὁ προφητης, δἰ ἀυτου και τον ὑιον και τον πατερα συνεφειλκυσατο. και ἐι τον ὑιον ἀληθινως τις λαβοι, ἑξει ἀυτον ἑκατερωθεν, πη μεν τον ἑαυτου πατερα, πη δε το ἰδιον πνευμα συνεπαγομενον. Ὀυτε γαρ του πατρος ὁ ἀει ἐν τῷ πατρι ὤν ἀποτμηθηναι δυνησεται, ὀυτε του πνευματος ποτε διαζευχθησεται του ἰδιου ὁ παντα ἐν ἀυτῳ ἐνεργῶν... Ὀυ γαρ ἐστιν ἐπινοησαι τομην ἠ διαιρεσιν κατ' ὀυδενα τροπον, ὡς ἠ ὑιον χωρις πατρος νοηθηναι, ἠ το πνευμα του ὑιου διαζευχθηναι.

(rationis) ad opera creationis et ad dona sanctificationis; unde Spiritus Sanctus ex ipso modo procedendi, ut est ab aeterno amor *donabilis*, nomine hypostatico dicitur *donum*. Quando ergo Basilius docet, proprietatem personalem et distinguentem Spiritus Sancti esse, quod non modo a Patre subsistit, sed aeque etiam quod *post Filium et cum Filio manifestatur*, haec manifestatio seu hoc γνωριζεσθαι necessario intelligitur aeterna manifestatio ontologica *ad intra* ut notio et γνωρισμα distinguens Spiritum a Filio; manifestatio autem divinae personae *ad intra* nihil est aliud quam aeterna effulsio (ἐκλαμψις, ἐκφανσις ut Basilius tum ipsam generationem Filii tum processionem Spiritus appellat) seu processio personae. Effulget itaque Spiritus *post Filium*, si internus ordo processionum spectatur, quia Filius secunda persona praesupponitur, ut ab eo effulgeat persona tertia Spiritus Sanctus; at ne ibi successio temporis cogitetur, ideo sicut *ordine originis post Filium*, ita *aeternitate* sine ordine temporis *cum Filio* effulgere dicitur. Haec autem manifestatio ontologica *ad intra* seu productio Spiritus Sancti est etiam in relatione *ad extra* manifestatio pro nostra cognitione; sicut enim lumen Filius de lumine Patre, ita lumen tertium a Patre et Filio (verba sunt Epiphanii haeres. 74. n. 8.) Spiritus Sanctus effulget ut obiectum nostrae fidei in via et nostrae visionis in patria; ipsa ergo generatione Pater Filium, et ipsa spiratione Pater ac Filius Spiritum Sanctum *manifestatione ontologica et fundamentali* etiam nobis manifestat; atque ita SS. Trinitas quae essentialiter sibi est, voluit esse etiam nobis. Sic tandem intelleximus rationem intimam, cur et quomodo distinguentes characteres personarum a Basilio aliisque doctoribus dicantur *notiones* seu *manifestationes* (γνωρισματα); quia nimirum personae divinae iis characteribus tum in se velut sigillis insigniuntur et distinctae constituuntur (γνωριζονται καθ' ἑαυτας), tum iisdem sunt visioni et fidei cognoscibiles (γνωριζονται τῃ ἐπιγνωσει).

Neque vero Photiani excipere possunt, a Basilio Spiritum dici dumtaxat manifestari *post Filium*, minime autem *a Filio*. Imprimis enim Basilius docet, characterem distin-

guentem Spiritus Sancti esse eiusdem ordinem ad Filium, quod *post Filium* effulget; atqui inter personas divinas sine haeresi Ariana nullus alius ordo concipi potest *praeter ordinem originis* (ut a Basilio ipso eiusque fratre Gregorio Nysseno declaratum esse vidimus); in eo igitur ipso, quod ut character distinguens Spiritus Sancti proponitur esse ordine posteriorem Filio, iam continetur origo Spiritus a Filio (Th. XXXIII. n. I.). Sed nihil opus est argumentatione; Basilius enim verbis disertis docet, huic characteri Spiritus Sancti, *quod manifestatur* (γνωρίζεται) post Filium, respondere in Filio rationem principii, quod *ipse post se manifestat* (γνωρίζει) Spiritum Sanctum. Cum autem ex demonstratis haec manifestatio sit ontologica et *ad intra*, profecto Filius dicitur producere « lumen tertium, » et proinde Spiritus elucere ex Filio. Hinc Filii duae assignantur notiones, quarum unâ distinguitur a Patre, quod a luce ingenita ipse lux genita effulget; notione altera distinguitur a Spiritu Sancto, quod ipse *manifestat* seu *active effulgere facit* Spiritum. Quoniam ergo Filius effulget a Patre, et a Filio effulget Spiritus; inde reducimur ad illam doctrinam Basilii, qua locus quem versamus, egregie illustratur. « Quemadmodum, inquit, Filius ad Patrem se habet, ita Spiritus ad Filium; propterea Dei (Patris) quidem Verbum Filius est, Verbum autem Filii Spiritus. » Concedit, a catholicis sicut Filium Dei Patris imaginem et Dei Verbum, ita Spiritum praedicari imaginem Filii et Verbum Filii; nec tamen dici Filium Filii, quia Scriptura unum dumtaxat docet esse Filium. Nihilo tamen minus « Apostolus Spiritum ex Deo esse clare praedicavit, et *per Filium effulsisse* (και το δι' υιου πεφηνεναι) manifestum reddidit, *dum sicut Dei ita Filii Spiritum nominavit, et mentem Christi appellavit sicut et Dei Spiritum* » (cont. Eunom. V. p. 304-306.) (1).

δ) Cum his cohaerent omnia, quae in eodem loco Ba-

(1) Communem Graecorum et Latinorum sententiam, de genuinitate libri IV. et V. contra Eunom. vindicavit iterum et dubiis Garnerii respondit Maranus in vita Basilii c. 43. n. 7. cf. Fabricium Biblioth. Graec. T. IX. n. 7. (Migne PP. GG. T. XXXIX. p. CCLI.)

silius deinde ex similitudine catenae subiungit de ordine et communione divinarum personarum. Secundum naturam (ait) unum sunt, sed ut personae distinctae interno ordine una ex alia *consequuntur* (ἡ ἀκολουθια κατα την ταξιν). Est vero ordo huiusmodi, ut in Patre sit Filius, in Filio Spiritus Sanctus, adeo ut tamquam in catena Pater sit unum extremum, Spiritus extremum alterum, Filius autem medius hinc quidem sit in Patre ut in suo principio, inde vero ipsemet ut principium in se habeat suum proprium Spiritum. Hoc probatur ex Scripturis, in quibus appellatur *Spiritus Dei;* nomine autem *Dei* in relatione ad Spiritum intelligi *Patrem et Filium* ex iisdem Scripturis liquet, quoniam etiam distincte dicitur *Spiritus Patris* et *Spiritus Filii,* Paulus enim appellat sicut *Spiritum Christi* ita *Spiritum ex Deo.* Perinde nempe est Basilio dicere *Spiritum ex Deo* et *Spiritum Dei;* cuius igitur personae divinae Spiritus dicitur, *ex ea* procedere intelligitur (1).

Placuit hunc textum Basilii a Macario inductum paulo distinctius exponere, ut specimen aliquod habeatur, cuius indolis sint testimonia Patrum, quibus ex contextu abruptis et verba ipsa pervertendo Photiani dicunt contineri « disertam vel aequipollentem negationem processionis Spiritus Sancti a Filio. » In sequentibus tricas brevissime expediemus.

b) Locus alter Basilii velut negans eandem processionem citatur a Macario ex hom. 24. n. 6. contr. Sabell. et Arian. hisce verbis. « Cum Patre quidem Spiritum novi, et novi Spiritum non esse Patrem; et cum Filio Spiritum accepi, qui tamen Filius non dicitur; attamen mihi repraesento in ipso *cognationem* cum Patre, quia procedit a Patre, *et aliam* (cognationem) cum Filio, quia lego: si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius » (2). At impri-

(1) Hanc doctrinam et explicationem locorum Scripturae, ubi *Spiritus Dei, Spiritus Patris et Filii* dicitur, doctoribus graecis et latinis communem esse demonstravimus in thesi XXXII. n. II.

(2) Cependant je me réprésente en lui une parenté (sic) avec le Père, parce qu'il procède du Père, et une autre avec le Fils, parce

mis correctione indiget versio Macariana. Basilius non dicit, *aliam cognationem* Spiritus Sancti esse cum Filio, et *aliam* cum Patre; his enim verbis enuntiaretur illa ipsa haeresis, quam Basilius impugnat, negaretur scilicet trium personarum consubstantialitas. Nam ὀικειοτης προς τινα apud Basilium sicut frequentissime apud alios Patres significat in SS. Trinitate *unitatem naturae* simul cum derivatione seu origine unius personae ab altera; unde numquam dicitur nec dici potest ὀικειοτης του πατρος προς τον υἱον, του υἱου προς το πνευμα το ἁγιον, sed semper ordine inverso praedicatur ὀικειοτης του υἱου προς τον πατρα, του πνευματος προς τον πατερα και ὑιον, ἠγουν προς ἀμφοτερους (1). Iam si *alia* diceretur unitas naturae cum Patre, et *alia* cum Filio, eo ipso negaretur consubstantialitas Patris et Filii, et consequenter etiam unitas Spiritus Sancti non posset esse unitas naturae cum utroque. Basilius ad declarandam distinctionem personae et unitatem naturae Spiritus Sancti cum Patre et Filio, de qua sola directe ibi adversus Arianos et Pneumatomachos disserit, ita loquitur. « Ad Patrem unitatem (Spiritus Sancti) intelligo, siquidem (ex verbis Scripturae) a Patre procedit, *eam vero* (eandem unitatem) *ad Filium*, quoniam audio: si quis *Spiritum Christi* non habet, hic non est eius. Si enim unum cum Christo (eique proprius Spiritus) non est, quomodo unit (nos) cum Christo? Sed et audio dici *Spiritum veritatis*, veritas autem Dominus (Christus) est » (2).

Iam quis non videt, his non solum non excludi, sed manifestissime includi originem Spiritus per communica-

que je lis: si quelqu'un n'a point l'Esprit du Christ, il n'est point à lui.

(1) Οἰκειος sicut ἰδιος significat *proprium;* unde recte quidem dicitur ὀικειος, ἰδιος πατηρ του ὑιου, sed dici nequit ὁ πατηρ τῳ ὑιῳ ὀικειος, ἰδιος, cum contra dici debeat ὁ ὑιος τῳ πατρι ὀικειος ἠγουν ἰδιος. Eademque ratione praedicatur το πνευμα ἰδιον, ὀικειον τῳ ὑιῳ, του πνευματος ὀικειοτης προς τον ὑιον.

(2) Ἀλλα την μεν προς πατερα ὀικειοτητα νοω, ἐπειδη ἐκ πατρος ἐκπορευεται, την προς ὑιον δε, ἐπειδη ἀκουω, ἐι τις πνευμα Χριστου οὐκ ἐχει, ὀυτος ὀυκ ἐστιν ἀυτου. Ἐι γαρ μη ὀικειον Χριστου, πως ὀικειοι τῳ Χριστῳ; Ἀλλα και πνευμα ἀκουω της ἀληθειας, ἀληθεια δε ὁ κυριος.

tionem naturae a Filio sicut a Patre? Continetur ea tum in significatione unitatis *ad Filium*, tum consentientibus Basilio aliisque Patribus, in eo quod praedicatur *Spiritus Christi, Spiritus veritatis*, seu ut alibi a Basilio audivimus, « *Verbum et mens Christi sicut et Spiritus Dei,* » quoniam ex superius demonstratis Basilius ceterique Patres hanc locutionem Scripturae *Spiritus Dei, Spiritus Filii* semper accipiunt in significatione relativa originis (confer superius citata ex l. II. n. 34. cont. Eunom.).

2° Ex *Gregorio Nysseno* itidem duo testimonia Macarius adfert, quibus diserte negari dicit processionem Spiritus a Filio.

a) Priorem locum (l. advers. Graecos de communibus notionibus Migne T. XLV. p. 179.) ponit heic in quarta sua classe, qui tamen pertineret ad classem eius tertiam, cum in eo textu nihil prorsus contineatur aliud quam doctrina catholica, Patrem esse principium duarum aliarum personarum, Filii inquam et Spiritus Sancti, hasque esse a Patre ut a principio totius deitatis, quemadmodum PP. loquuntur et in ipsa Florentina definitione declaratum est. Neque vero gentilibus, quibus Gregorius scripsit, declarare opus erat, quomodo Spiritus Sanctus a Patre procedat. Hoc clarissime explicuit scribens adversus haereticos et catholicis exponens oeconomiam SS. Trinitatis in locis superius a nobis citatis. Quae si conferas cum hoc loco adversus gentiles scripto, videbis processionem Spiritus *a Patre per Filium* etiam hic indicatam. Ad explicandum, quomodo philosophicis notionibus non repugnet unum Deum dicere et tres personas, Gregorius utitur doctrina illa Platonica, secundum quam etiam alibi ab ipso expositam censet, Petrum, Paulum, Barnabam non recte sed abusione quadam dici *tres homines*, cum dici deberent *tres personae* et *unus homo*, quoniam una et non multiplex est humanitas (vide Tract. de Trin. Th. IX. Scholion). Verumtamen, ait, non deesse rationes, cur abusus ille vocabuli, quo *multi homines* dicuntur, reddatur necessarius, quia nempe homines inter se licet non natura, multis tamen accidentalibus distinguuntur ac differunt. At in Deo

horum accidentalium nihil est; adeoque tres personae unus Deus et nullo modo tres Dii dicendae sunt, quia una numero deitas ab una persona communicatur duabus aliis. Verba ad quae Macarius appellat, haec sunt. « Non omnes humanae personae esse habent *proxime* (κατα το προσεχες) ab una persona, sed aliae quidem ab hac, aliae ab illa, ita ut multae sint et differentes non solum illae quae ab aliis ut a causa, sed etiam quae causa sunt aliarum. In Sancta Trinitate vero non ita res habet. Una enim et eadem persona Patris est, ex qua Filius generatur et procedit Spiritus Sanctus. Propterea etiam proprie illum unum, qui causa est procedentium ab ipso ut a causa, unum Deum dicimus, cum etiam ipsis inexistat. » In tota hac comparatione plurium personarum humanarum quae inter se diversae non ex uno sed ex pluribus sunt principiis, cum personis divinis quae distinctae sed non diversae inter se ab uno sunt principio, verba in quibus Macarius vidit *disertam negationem* processionis Spiritus etiam ex Filio, non possunt esse alia nisi illa: « una enim et eadem persona Patris est, ex qua Filius generatur et procedit Spiritus Sanctus. » At haec veritas est catholica, quam qui negaret, necessario incideret in dytheismum vel tritheismum. Neque enim duae vel tres personae divinae, quarum una ab altera non procederet per communicationem unius numero naturae, concipi possent, quin simul cum personis inter se separatis absurde conciperentur totidem divinae naturae. Ideo non solum Gregorius sed Patres plerique ad asserendam *unitatem Dei* tam sollicite insistunt τῃ μοναρχιᾳ, unum nempe esse principium Patrem, ex quo processione *immanente* per communicationem unius deitatis procedunt Filius et Spiritus Sanctus. Haec *unitas principii* (ἡ μοναρχια) sufficit ad asserendam *unitatem deitatis* in tribus personis, nec ad hunc scopum necesse est explicite differentiam declarare, *quomodo* secunda et *quomodo* tertia persona procedat a prima, quamvis id implicite iam contineatur in necessario ontologico *ordine* personarum (vide Th. XXXIII). Hinc Gregorio adversus gentiles asserenti unitatem deitatis in distinctis personis divinis eamque unitatem longe aliam,

quam sit in diversis personis humanis, sufficiebat monere humanas personas non esse omnes *proxime* ab una persona ut principio, divinas personas Filium et Spiritum, ambas esse processione immanente ab una persona Patre ut a suo principio.

Quaeritur, utrum particula illa κατα το προσεχες, qua negat homines esse *proxime* ab uno principio, subintelligatur etiam in secundo inciso, ita ut ambae personae divinae dicantur esse *proxime* (κατα το προσεχες) ab uno Patre? Photiani id simpliciter affirmant; in eorum enim doctrina Spiritus est a solo Patre ad exclusionem Filii non minus quam Filius est a solo Patre (μονος ἐκ μονου), processiones ergo duae non sunt secundum ordinem consecutionis (κατα την ταξιν της ἀκολουθιας quam Basilius affirmat), sed sunt ambae velut parallelae ab uno Patre, atque adeo ambae eodem modo *proxime ex Patre* (προσεχως ἐκ του πατρος). Gregorius Nyssenus huic quaestioni non obiter sed prolixe et data opera respondet *negando;* imo ubi contra haereticos distinctius declarat fidem catholicam, in hoc ipso constituit oeconomiam Trinitatis et realem distinctionem personae tertiae a secunda, quod solus Flius est *proxime* ex prima persona (προσεχως ἐκ του πρωτου), Spiritus autem ex Patre est per illum qui est proxime ex Patre, nempe tertia persona per secundam ex prima (δια του προσεχως ἐκ του πρωτου). Unde *ex Patre esse* ut ex principio, hoc commune est Filio et Spiritui, suntque ambo ἀιτιατοι ἐκ του πρωτου ἀιτιου; sed distinguuntur inter se per modum alium et alium, quo sunt ex Patre: Filius proxime ex Patre *ipse solus ex solo* (μονος μονογενως); Spiritus *ex Patre per Filium.* Ideo Filius nullo alio modo distinguitur a Spiritu, nisi quod *ut principium Spiritus* ordine originis *prior est Spiritu Sancto* (του μονογενους ἐπινοιᾳ μονη κατα τον της ἀιτιας λογον προθεωρουμενου της του πνευματος ὑποστασως). Vide doctrinam Gregorii superius descriptam.

Testimonium itaque a Macario inductum si per se spectetur, nihil omnino continet de exclusione Filii in productione Spiritus Sancti, siquidem in eo illud solum consideratur, quod commune est Filio et Spiritui, quod ambo

sunt ex principio (ἀιτιατοι). Si vero testimonium idem conferatur cum aliis, in quibus Gregorius explicat distinctionem secundae personae a tertia, intelligitur etiam hoc ipso loco implicite comprehensa processio Spiritus ab uno principio, Patre Filioque.

b) Locus secundus quem ignorantiae lectorum suorum Macarius obtrudit velut disertam exclusionem Filii a ratione principii Spiritus Sancti, continet unam ex illis argumentationibus Gregorii, quibus explicite et evidenter affirmatur illud ipsum, quod schismatici dicunt negari. Desumptum est testimonium ex l. I. cont. Eunom. (Migne T. XLV. p. 336.) geminum iis, quae superius ex Basilio (ep. 38. n. 4. et cont. Eunom. l. V.) producta sunt. Enarrat ibi Nyssenus tum ea quae divinis personis sunt communia, tum ea quae singulis sunt propria, et quibus inter se distinguuntur. De Spiritu Sancto locus a Macario more suo non sine aliqua obtruncatione descriptus, ita habet. « Spiritus Sanctus qui commune habet cum Patre et Filio, quod est naturae increatae, rursum propriis notionibus (τοις ἰδιοις γνωρισμασιν) ab illis distinguitur. Notio enim eius est et sigillum maxime proprium, quod nihil est eorum, quae ut propria in Patre et Filio doctrina (in antecedentibus) consideravit. Quod enim neque ingenite (ut Pater) neque unigenite (ut Filius) subsistit, vere tamen subsistit, hoc exhibet eius proprietatem distinguentem ab iis, quae antea dicta sunt (a proprietatibus Patris et Filii). Cum Patre namque unum secundum increatam essentiam, rursus ab eo distinguitur, quod non est Pater, sicut ipse. Cum Filio unum quidem est identitate increatae naturae, et in eo quod causam suae substantiae ex Deo universorum habet (nempe commune est Filio et Spiritui esse ex Patre); attamen ab illo (Filio) *distinguitur proprietate* (attendant Photiani), *tum quod non unigenite a Patre subsistit, tum quod per ipsum Filium effulget* (1). Porro quoniam *crea-*

(1) Macarius hanc periodum, in qua Photiana haeresis excluditur, sua interpretatione pervertit: « mais il s'en distingue en ce qu'il procède autrement que le Fils unique (μητε μονογενως). et qu'il est manifesté par le Fils. » Totam periodum sequentem, in qua *effulsio per Filium*

tur*a per unigenitum existit*, ne cum hac aliquid commune Spiritus habere existimetur propterea, *quod per Filium effulget*, Spiritus a creatura secernitur immobilitate et immutabilitate, et quod non indiget aliunde habere suam bonitatem » (sed est ipsa in se bonitas essentialis) (1).

Vides evidenter assertam proprietatem Spiritus Sancti, qua a Filio distinguitur, quod non ut Filius a solo Patre (μονογενως) procedit, sed quod *a Patre per Filium effulget*. Intelligi vero effulsionem internam et aeternam, iam ex eo liquidum est, quod haec *effulsio per Filium* est proprietas personalis constituens Spiritum personam distinctam a Filio, et adhuc disertius explicatur ex comparatione cum creaturis. Verum est, inquit Nyssenus, quod Eunomiani affirmant, tum creata omnia habere existentiam per Filium, tum Spiritum Sanctum effulgere per eundem Filium. At creata per Filium producuntur in natura participata et mutabili, Spiritus per eundem producitur in natura immutabili et in perfectione essentiali. Non ergo eo differt Spiritus a creaturis, quod hae a Patre per Filium habeant existentiam, Spiritus autem a solo Patre; sed imo in hoc convenit, quod et ipse Spiritus existentiam habet a Patre per Filium ut ab uno principio; at infinita est differentia, quod Spiritus a Patre per Filium producitur communicatione unius essentiae et essentialis bonitatis, creaturae producuntur creatione naturae finitae. Cf. Bessarionem orat. dogm. c. 6. (Mansi T. XXXI. p. 923–927.).

3^{io} *Ex Epiphanio* quomodo proferri possit testimonium *diserte negans* processionem a Filio, sane mirabitur, quisquis legerit clarissimam et saepe repetitam doctrinam s. Patris, quam descripsimus. Inducit tamen Macarius fronte

manifesto declaratur ut aeterna productio Spiritus per Filium, Photianus caute silentio supprimit.

(1) *Το δε πνευμα... τη προς τον ὑιον κατα το ἀκτιστον συναφειᾳ, και ἐν τῳ την ἀιτιαν της ὑπαρξεως ἐκ του θεου των ὁλων ἐχειν ἑνουμενον, ἀφισταται παλιν ἐν τῳ ἰδιαζοντι· ἐν τῳ μητε μονογενως ἐκ του πατρος ὑποστῆναι και ἐν τῳ δι ἀυτου του ὑιου πεφηνεναι. Παλιν δε της κτισεως δια του μονογενους ὑποστασης, ὡς ἀν μη κοινοτητα τινα προς ταυτην ἐχειν νομισθῃ το πνευμα ἐκ του δια του ὑιου πεφηνεναι, ἐν τῳ ἀτρεπτῳ καὶ ἀναλλοιωτῳ και ἀπροσδεει της ἑτερωθεν ἀγαθοτητος διακρινεται το πνευμα ἀπο της κτισεως.*

erubescere nescia duos textus, in quibus aliqua forte inest obscuritas propter incertam lectionem; sed certissime in priori nihil omnino dicitur de processione Spiritus Sancti, in posteriori si conferatur cum aliis locis Epiphanii, affirmatur processio ab uno principio, quod est unus Deus Pater et Filius.

a) Ex Ancorato n. 2. adversarius haec citat: « Verus Deus unus est, *nam ab uno solo procedunt solus Filius unicus et solus Spiritus Sanctus* » (1). Si ita scripsisset Epiphanius, nihil aliud dixisset, quam quod in doctrina catholica indubitatum omnes profitemur, unum esse Deum non plures Deos, et ita etiam unum Patrem non plures, unum Filium et unum Spiritum Sanctum, hasque duas personas procedere a Patre, qui unus est. Ultro etiam concedimus, Epiphanium id, quod Scriptura, symbola, Patres omnesque catholici docent, haud raro affirmare, Patrem esse principium Filii et Spiritus Sancti, Filium et Spiritum Sanctum procedere a Patre. Non itaque (ut saepe iam monuimus) de hac affirmante doctrina cum Photianis est controversia, sed unice *de modo* quo Pater sit principium Spiritus Sancti, utrum Spiritus procedat a Patre, quatenus Pater sicut aliis omnibus attributis (exceptis proprietatibus constituentibus personas) ita etiam spiratione unum sit cum Filio, an vero Filius a Patre generetur destitutus virtute spiratrice. De hac autem quaestione in verbis quae Macarius inducit, si ea admitteremus, nihil prorsus dicitur.

Verum Epiphanius iis verbis a Photiano confictis nec hoc nec ullo alio in loco umquam usus est. Illo in contextu adversus Arianos explicat verba Salvatoris: « ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum » (Io. XVII. 3.). Dici autem, ait, unum solum verum Deum in oppositione ad deos fictitios; huncque unum verum Deum esse tres personas, tum omnes, tum unum solum Patrem, unum solum Filium unigenitum Patris, unum solum Spiritum Sanctum, de cuius processione sive a Patre sive a Filio hoc loco nihil quidem dicit, sed eam supponit et in

(1) Car d'un seul proviennent le seul Fils unique et le seul Esprit-Saint.

progressu libri, qualis illa sit, saepe explicat (Ancor. n. 7. 8. 67. 70. 71. 72. cf. Haeres. LXXIV. n. 7. 8. 10.). En verba genuina Epiphanii sine detorsione Macariana. « Cum dicit Christus *solum verum Deum*, ad unitatem Dei (εἰς μοναρχίαν) nos deducit, ne multitudo deorum apud nos sit.... *Et quem misisti Iesum Christum.* Quem Iesum Christum? Nempe verum Deum. Si autem, ut Ioannes de ipso dicit, *unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, Iesum Christum *Deum* misit. Ergo unus Deus *Pater, et solus verus Deus,* non ut dii fictitii quos aliqui gentilium deos putabant, cum dii non essent; sed *solus verus Deus unigenitus, siquidem solus ex solo est;* et *solus (verus Deus) est ille unicus Spiritus Sanctus:* Trinitas enim in unitate, et unus Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus » (1). Non ergo Epiphanius sed Macarius suis verbis dicit: « *ab uno solo procedunt* solus Filius unicus et solus Spiritus Sanctus. » S. doctor illud constans epitheton *solus ex solo Patre* (μονος ἐκ μονου), quo designatur proprietas Filium distinguens non modo a Patre sed etiam a Spiritu, tum hoc loco tum alibi (cf. Haeres. LXXIV. n. 10; Ancorat. n. 73.) Filio reservat, nec umquam transtulit aut transferre potuit ad Spiritum Sanctum. Hanc enim tertiam personam non a solo Patre sed a Patre et Filio procedere, Epiphanius ll. cc. disertissime docet, ut superius demonstratum est; ne quidquam dicam de manifesta contradictione in verbis a Macario obtrusis. Si enim diceretur Spiritus *solus ex solo Patre*, eo ipso negaretur, Filium esse *ex solo Patre* (2); sicut vicissim quia Filius *solus est ex solo Patre,* iam Spiritus non ex solo Patre procedit, sed (ut Epiphanius docet)

(1) Και ὁν ἀπεστειλας Ἰησουν Χριστον. Ἰησουν Χριστον τινα; ἀληθινον θεον. Εἰ δε θεον Χριστον Ἰησουν, ὡς λεγει περι ἀυτου ὁ Ἰωαννης, ὁ μονογενης ὁ ὠν εἰς τον κολπον του πατρος, ἀυτος ἐξηγησατο· εἱς θεος τοινυν ὁ πατηρ, και μονος ἀληθινος θεος, και ὀυ κατα τους ἐψευσμενους θεους....ἀλλα μονος ἀληθινος θεος, ἐπειδη μονος ἐκ μονου, ὁ μονογενης, και μονον (forte μονος) το μονον το ἁγιον πνευμα· τριας γαρ ἐν μοναδι, και εἱς θεος, πατηρ, ὑιος και ἁγιον πνευμα.

(2) Vides, quam nihili sit coniectura in editione Migne, ubi ad illud και μονον το μονον το ἁγιον πνευμα adiicitur nota: « Locus corruptus, forte μονον ἐκ μονου. »

« Filius quidem sapientia ex sapientia, vita ex vita, *Spiritus autem ab ambobus, Spiritus ex spiritu, spiritus enim est Deus* » (Haeres. LXXIV. n. 7.).

b) Alter locus *diserte negans* processionem a Filio repertus est Haeres. LXXVI. in confutatione capitis VIII. Aëtii Anomoei (ed. Petav. T. I. p. 944.). Macarius citat haec verba: « increatus Pater qui genuit Filium increatum, et increatus Spiritus Sanctus *procedens ab ipso* et pariter increatus » (1).

Eadem semper aberratur chorda; si haec essent verba Epiphanii, pertineret testimonium non ad *disertam negationem* doctrinae catholicae, sed ad defensionem mysterii SS. Trinitatis solemnem apud Patres, qui adversus Arianos affirmant, et ad demonstrandam divinitatem Spiritus Sancti etiam vehementius urgent eius processionem a Patre. At vel ipsa obvia inspectio verborum cuivis facile persuadebit, Epiphanium ita scribere non potuisse: « *increatus* Spiritus Sanctus est *increatus.* » Loco a Macario accuratissime indicato doctrina contra Anomoeum Aëtium haec est. Filius unigenitus vera generatione ex substantia Patris est, non autem eo modo quo multi sunt filii a Deo creati et adoptati. « Hi enim omnes cum nondum essent, ut essent, productionem adepti, sola nuncupatione (ψιλῇ λέξει), non secundum essentiam vero nomine sunt filii, sed nuncupative et per gratiam illius, qui non sola nuncupatione sed secundum veritatem Filius est, per gratiam nempe ab uno (Patre) per unum (Filium) *cum illo (Spiritu) qui ex ipso procedit, et ab ipso accipit* » (2). Secundum verba Scripturae nimirum Spiritus dicitur *procedere a Patre, et accipere a Filio*, quod alterum tum per se (Th. XXXII.) tum nominatim in doctrina Epiphanii nihil est aliud quam pro-

(1) « Et incréé est l'Esprit-Saint procédant de lui (et non pas d'eux) et pareillement incréé. »

(2) Οὑτοι γαρ παντες ψιλῃ λεξει, το της ἀναγωγης ἀπο του μη ἐιναι ἐις το ἐιναι προκεκοφοτες, οὐ κατ᾽ ὀυσιαν τῃ ἀληθινῃ ἱστανται ὀνομασιᾳ (ὑιο), ἀλλα ψιλως και κατα χαριν (του) ὀυτε ψιλῃ ὀνομασιᾳ ὀνομαζομενου ἀλλα κατα ἀληθειαν, ἀπο του ἑνος δια του ἑνος συν τῳ ἐξ ἀυτου ἐκπορευομενῳ, του ἀυτου λαμβανοντι.

cessio a Filio. « Christus ex Patre creditur Deus de Deo, et *Spiritus ex Christo, seu ab ambobus* (και το πνευμα ἐκ του Χριστου ἢ παρ' ἀμφοτερων), sicut Christus testatur: qui a Patre procedit; et *hic de meo accipiet* » (Ancorat. n. 67; Haeres. LXXIV. n. 4. cf. Ancorat. n. 73.).

4° *Ex Cyrillo Alexandrino* qui in omnibus fere suis scriptis explicat processionem ac spirationem a Patre et Filio, a Patre per Filium, modo quo superius indicatum et in nostris thesibus demonstratum est, Macarius reperit unum testimonium latine versum in Catena Corderii (in Luc. XI. 20. Antverpiae 1628. p. 324.), quo *diserte excludatur* processio a Filio. Illud ita habet. « Digitum Dei Spiritum Sanctum nominat (Filius); brachium siquidem ipse (Filius) Dei et Patris appellatur, quod *omnia (Pater) per ipsum operatur*, sicut et *Filius similiter operatur in Spiritu*. Quemadmodum igitur *digitus manui adhaeret* non tamquam diversus ab illa, sed ut *illi naturaliter insitus;* sic et Spiritus Sanctus tametsi *et* ex Deo Patre procedat, *consubstantialiter connexus est Filio, et per eum omnia Filius operatur* » (1).

Nihil extundas ex his verbis, quo *negetur* processio ex Filio; nam (ut saepe iam demonstravimus) affirmatio processionis ex Patre non solum non excludit processionem ex Filio, sed imo haec sine illa, et illa sine hac sensu ca-

(1) Macarius citat hoc modo: « unitus est Filio, *tametsi ex Deo Patre procedat*. Ainsi se lisent ces paroles de S. Cyrille in Catena graecor. PP. latine edita a Corderio, Antverpiae 1628. p. 324 » Macar. p. 383. Atqui non ita ibi leguntur, sed verba sunt illa a me in textu descripta; nec licuit Macario particulam *et* supprimere, si voluit *verba latina* ex illa Catena proferre. Videlicet ex tota Cyrilli doctrina tametsi Spiritus Sanctus *etiam* ex Deo Patre procedat, non tamen procedit *ex solo Patre*. Versio vero gallica tum totius textus Cyrilli in libro Macarii falsa est; tum in hoc inciso prorsus absurda: « il est uni au Fils *par coexistence.* » Textus graecus a Card. Mai editus ita habet. « *Δακτυλον δε θεου το άγιον πνευμα φησι· χειρ μεν γαρ άυτος (ό ύιος) ώνομασται και βραχιων του θεου και πατρος....'Ωσπερ όυν ό δακτυλος άπηρτηται* (dependet) *της χειρος, ούκ άλλοτριος ών άυτης, άλλ' έν άυτῃ φυσικως, όυτω και το πνευμα το άγιον τῳ της όμοουσιοτητος λογῳ συνήπται προς ένωσιν τῳ ύιῳ, κάν έκ του θεου και πατρος έκπορευηται· παντα γαρ, ώς έφην, ό ύιος έργαζεται δια του όμοουσιου πνευματος.* (Migne T. LXXII. p. 704.)

tholico intelligi nequit. Multa vero sunt in iis ipsis verbis Cyrilli, quae plene conspirant cum aliis eius locis, in quibus explicite et diserte declarat processionem Spiritus ex Patre et Filio. Potuisset Macarius, quoniam iam ad Catenam Corderii provocavit, hanc explicitam doctrinam Cyrilli legere in eadem illa pagina 324, quam citat. Describit ibi Corderius verba Cyrilli ex Thesauro (Opp. Cyrilli T. V. p. 339.); sed ne de versione tricemur, quae in Catena potius sensum reddit quam litteram, insistemus ipsi textui graeco, « Digitum Dei (Christus) Spiritum Sanctum appellat, qui modo quodam *ex divina essentia oritur et naturaliter ab ipsa dependet, sicut et digitus ex manu humana. Nam brachium et dexteram Dei Scripturae sacrae Filium nominant* (Ps. 97. 1; Is. 53. 1.)... Quemadmodum igitur brachium naturaliter coaptatum est toti corpori... ita Verbum quidem Dei ex ipso et in ipso (Patre) naturaliter coaptatum, ut ita dicam, et insitum (processione interna) existimemus, *et in Filio naturaliter ac essentialiter dimanantem a Patre Spiritum,* per quem omnia ungens sanctificat» (1). Quomodo quaeso Spiritus Sanctus dicitur *oriri et dependere ex divina essentia?* Cyrillus id declarat continuo ex comparatione biblica cum digito. Oritur ac dependet, inquit, ex divina essentia, *ut haec consideratur in Filio*, et quoniam Filius ipse habet essentiam unam numero communicatam a Patre, hoc ipso Spiritus non a Filio solum, sed ab una essentia, ut haec est incommunicata in Patre et communicata in Filio, originem habet: « in Filio a Patre naturaliter et essentialiter (non solum missione *ad extra,* sed naturae ac essentiae communicatione *ad intra*) dimanat.»

Hanc processionem ex essentia Filii atque ideo etiam ex essentia Patris iterum post pauca in eodem Thesauro

(1) Δακτυλον φησιν ἐνθαδε το πνευμα το ἁγιον, τροπον τινα της θειας ὀυσιας ἐκπεφυκος και φυσικως ἀυτης ἐκκρεμαμενον, ὡσπερ και ὁ δακτυλος ἐκ της ἀνθρωπειας χειρος· βραχιονα μεν γαρ και δεξιαν θεου τον υἱον ἀποκαλουσιν ἁι θειαι γραφαι...᾿Ουτω τον μεν του θεου (πατρος) λογον ἐξ ἀυτου και ἐν ἀυτῳ φυσικως ἡρμοσμενον, ἱν᾿ ὁυτως ἐιπω, και ἐμπεφυκοτα λογιζωμεθα, ἐν δε τῳ υἱῳ φυσικως τε και ὀυσιωδως διηκον παρα πατρος το πνευμα, δι᾿ οὑ τα παντα χριων ἁγιαζει.

p. 344. explicat. Haeretici eo, quod Christus dixit *Spiritum non loqui a semetipso sed accipere a Filio,* concludebant, Spiritum esse minorem et non consubstantialem Filio. Cyrillus respondet, ex his ipsis verbis Christi demonstrari, Spiritum ex essentia Filii procedere per communicationem eiusdem essentiae. « Iis ipsis, inquit, haeretici scandalum patiuntur, quibus mysterium Spiritus Sancti doceri debuissent, et intelligere, illum *fructum quemdam esse divinae essentiae, in ipsa manentem, et ex ipsa indivisibiliter et inseparabiliter* (processione immanente) *procedentem...* Neque enim Spiritum imperfectum esse indicans haec de illo Salvator dicit, sed imo ut persuadeat auditoribus, illum utpote qui ipsius sit essentiae (quoniam ab ipso accipit), non aliud locuturum quam ipse (Filius) velit. Etenim cum *mens sit ipsius* secundum beatum Paulum, qui de Spiritu dicit, *nos autem mentem Christi habemus,* illa omnino loquetur et disponet, quae *ipse cuius mens est.* Propterea affirmat, Spiritum nihil locuturum a semetipso; ac si diceret: ego sum rursus, qui loquor. Perinde ac si mens quae est in homine (sicut Filius est Verbum et mens Patris) diceret de procedente a se verbo (sicut Spiritus procedit a Filio): non loquetur quidquam a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur. Nec commune hoc et prolatitium hominis verbum quisquam imperfectum (in suo genere) dixerit propterea, quod prius *formetur in mente et ex illa accipiens procedat.* Ita fere de Spiritu Sancto sentiendum est. Cum enim sit *mens Christi,* omnia quae in ipso (Filio) sunt, discipulis loquitur, non in voluntate aliqua sibi peculiari loquens aut in voluntate aliena ab illo (Filio), *in quo et ex quo est, sed ut naturaliter procedens ex eius essentia, ac totam eius tum voluntatem habens tum virtutem* » (1).

(1) Δι' ὧν γαρ ἐχρην ἐκπαιδευεσθαι μαλλον το περι του ἁγιου πνευματος μυστηριον, και νοειν ὁτι δὴ καρπος τις ὡσπερ ἐστι της θειας ὀυσιας, ἐν ἀυτῃ τε ὀν και ἐξ ἀυτης ἀμεριστως τε και ἀχωριστως προερχομενον, και ἡνωμενον κατα την ταυτοτητα της φυσεως, δια τουτων ἀυτων σκανδαλιζονται .... και γαρ νους ὑπαρχων ἀυτου, ἐκεινα παντως λογιειται και διαταξει, ἁπερ ἀν και ἀυτος, ὀυ και ἐστι νους .... ὡσπερ ἀν ἐι και ὁ ἐν ἀνθρωπῳ νους λεγοι περι

Rursum paulo inferius (Thesaur. p. 350.) hanc *acceptionem a Filio* explicat ut processionem per communicationem divinae naturae, adversus haereticos ex his ipsis verbis Christi negantes divinitatem Spiritus. « Ut (Filius) ostenderet manifeste, illum *quia ipsius est Spiritus, verba ex ipso administraturum esse,* propterea dixit: non loquetur a semetipso, sed quaecumque audierit, loquetur, quia de meo accipiet. Perinde enim est, ac si mel de naturali sibi insita qualitate dicat: non ex semetipsa gustantium sensui quidquam immittet, sed de meo accipiet; *siquidem ex substantiis qualitas, ut ita dicam, naturaliter communicatur iis quae ex ipsis indivisibiliter procedunt*, quemadmodum, ut iam diximus, *ex melle dulcedo, ex igne calor, ex aqua frigus.* Non ergo Spiritus, ut isti (haeretici) docent, ex participatione sanctus est, sed imo naturaliter et essentialiter » (1) (per communicationem naturae et essentiae ex Filio).

§. VII. *De reliquis doctoribus graecis, qui inducuntur pro diserta negatione processionis a Filio.*

Praeter hactenus citatos Macarius in *quarta sua classe* de qua agimus, inter Patres diserte vel aequipollenter *negantes* processionem a Filio, adhuc inducit Gregorium Na-

του προκυπτοντος ἐξ ἀυτου λογου, ὀυ λαλησει ἐξ ἑαυτου ὀυδεν, ἀλλ' ὁσα ἀν ἀκουσῃ, λαλησει.... τοιαυτην, τινα διανοιαν δεχεσθαι χρη και περι του ἁγιου πνευματος. Νους γαρ ὑπαρχων Χριστου, παντα τα ἐν ἀυτῳ διαλεγεται τοις μαθηταις, ὀυκ ἐν ἰδιᾳ τινι θελησει, ὀυδε μην ἐν ἀλλοτριᾳ βουλησει του ἐν ᾧ και ἐξ ὀυ ἐστιν, ὁμιλουν, ἀλλ' ὡς ἐκ της ὀυσιας ἀυτου φυσικως προϊον, και ὁλην ἀυτου την βουλησιν ἐχον ὡσπερ και την ἐνεργειαν.

(1) Nimirum sicut ex substantia mellis, exempli gratia, immanenter procedit dulcedo et totam suam naturam seu qualitatem (την ποιοτητα) habet ex melle; ita Spiritus Sanctus immanenter procedit ex Filio suamque naturam communicatam habet ab ipso. Δεικνυς δε σαφως, ὁτι πνευμα ἀυτου ὑπαρχον τα ἐξ ἀυτου παλιν διακονησει ῥηματα, οὐ λαλησει, φησιν, ἀφ' ἑαυτου ...ὁτι ἐκ του ἐμου ληψεται. Ὁμοιον γαρ ὡς ἐι και το μελι περι της ἐνουσης ἀυτῳ φυσικης ποιοτητος λεγοι, ὀυκ ἐνθησει τι ἀφ' ἑαυτης τοις ἀπογευομενοις, ἀλλ ἐκ του ἐμου ληψεται, φυσικως διαβαινουσης της ἐκ των ὀυσιων, ἱν' οὑτως ἐιπω, ποιοτητος ἐπι τὰ ἐξ ἀυτων ἀμεριστως προερχομενα, ὁιον, καθαπερ ἠδη προειπομεν, ἐκ μελιτος ἡ γλυκυτης, ἐκ πυρος ἡ θερμοτης, ἐξ ὑδατος ἡ ψυξις. Οὐκ ὀυν μετοχικως ἁγιον το πνευμα, κατα τον ἐκεινων λογον, φυσικως δε μαλλον και ὀυσιωδως.

zianzenum et Anastasium Sinaitam, tum tres illos in hac causa notissimos Theodoretum, Maximum, Ioannem Damascenum.

1° *Ex Gregorio* quid tandem proferet? Nihil aliud, nisi quod s. Theologus adversus Arianos docet, non modo Filium sed et Spiritum Sanctum procedere ex Patre, et quod Patri in comparatione cum Filio sola ratio *causae* propria est, hacque sola a Filio distinguitur, cum alia omnia Patri Filioque sint communia. At haec professio omnibus catholicis communis minime *negat*, sed imo saltem implicite affirmat processionem a Patre per Filium, seu (quod perinde est) a Patre et Filio ut uno principio.

a) Prior locus a Macario citatur ex oratione XXV. n. 16 (in laudem Hieronis). « Commune est Patri et Filio et Spiritui Sancto esse increatum, et communis divinitas; Filio autem et Spiritui Sancto commune est, quod sunt ex Patre. Proprium vero Patris est esse ingenitum, propria Filii generatio, Spiritus Sancti emissio » (1). At haec verba quae tantummodo *affirmant*, Spiritum Sanctum haud secus ac Filium non esse personam sine principio sed procedere a Patre, quomodo quaeso *negant*, Spiritum procedere etiam a Filio? Profecto catholici omnes profitemur, quod hisce verbis dicitur, Patrem esse primam personam eoque ipso ingenitam, ex qua procedat tum secunda tum tertia persona; his ergo duabus personis hoc esse commune, quod sunt ex Patre, quamdiu sola processio et esse ex principio, nondum vero *modus processionis* spectatur, utrum Filius *solus ex solo* Patre, Spiritus autem procedat *ex Patre quatenus unum est cum Filio*. De *hoc modo processionis* Gregorius in isto testimonio saltem directe et explicite nihil quidem affirmat, sed multo minus processionem ex Patre ut unum est cum Filio aut hoc aut alio quovis loco negat, quae negatio sola Macario fuisset probanda.

Potius advertere debuissent Photiani, Gregorium Theologum qui aliis multis Patribus praebuit normam loquendi,

(1) Κοινον γαρ πατρι μεν και ὑιῳ και ἁγιῳ πνευματι το μη γεγονεναι, και ἡ θεοτης· ὑιῳ δε και ἁγιῳ πνευματι το ἐκ του πατρος. Ἰδιον δε πατρος μεν ἡ ἀγεννησια, ὑιῳ δε ἡ γεννησις, πνευματος δε ἡ ἐκπεμψις.

eodem hoc loco n. 16. nomine *emissionis* (ἐκπεμψεως) et antecedenti numero 15. verbis προερχεσθαι, προϊεναι significare aeternam processionem Spiritus Sancti ex Patre (1); adeoque desinant tandem aliquando sophistice tricari de discrimine conficto inter haec verba et inter *processionem* (ἐκπορευσιν), vel inter *emanationem* et *processionem* Spiritus Sancti, ut non ita pridem in conventiculo haereticorum Bonnensi factum esse audio; sed fateantur plurimis testimoniis, in quibus Patres per haec verba relationem Spiritus *ad Filium* significant, haeresim Photianam damnari.

b) Testimonium alterum adducitur ex oratione XXXIV. n. 10. (in Aegyptior. adventu). „Omnia quae habet Pater, sunt Filii, *praeter rationem causae;* omnia quae Filii, sunt etiam Spiritus Sancti, praeter filiationem, et praeter ea quae corporaliter de ipso praedicantur ob nostram humanitatem (assumptam)" (2). Iam, quaeso, *ratio causae* ut proprietas Patris quomodo intelligi potest? Intelligi nequit nisi duplici hoc modo. Si solus praesens textus et contextus spectetur, in primo inciso Pater comparatur cum solo Filio, sicut in altero inciso comparatio est solius Filii cum solo Spiritu Sancto. Unde dicitur: Filius ab ipso Patre habet omnia quae sunt Patris, excepta ratione causae in relatione ad Filium, h. e. *excepta paternitate*, qua sola Pater constituitur persona distincta a Filio genito. Adeoque habet Filius sicut Pater etiam virtutem spiratricem, qua Pater ad Filium non refertur; eoque ipso spiratione sicut aliis omnibus unum est cum Filio. Docet ergo Gregorius, quod theologi catholici omnes repetunt, proprie-

(1) Ἐν δε πνευμα ἁγιον προελθον ἐκ του πατρος, ἠ και προϊον.

(2) Παντα ὁσα ἐχει ὁ πατηρ, του ὑιου ἐστι, πλην της ἀιτιας· παντα δε ὁσα του ὑιου, και του πνευματος, πλην της ὑιοτητος, και των ὁσα σωματικως περι ἀυτου λεγεται δια τον ἐμον ἀνθρωπον. Pro eo quod dicitur πληνη της ἀιτιας codices non pauci habent πληνη της ἀγεννησιας. Macarius qui ubique Latinos fraudis accusat, si quando non omnes varias lectiones recitant, hanc diversitatem silentio premit, quia sive bona fide ignorantiae sive mala impostoris in isto inciso πληνη της ἀιτιας reperit suam haeresim expressam: „ainsi, selon s. Gregoire, le Fils ne peut être reconnu en aucun sens comme l'auteur ou la source du S. Esprit; cela appartient au Père seul exclusivement".

tates constituentes et distinguentes trium personarum esse *paternitatem, filiationem, processionem.*

Alter modus intelligendi, quem contextus permittit et doctrina tum aliorum Patrum tum Gregorii alibi expressa forte probabiliorem reddit, is est, ut ratio *causae* (της ἀιτιας) non solum in relatione ad Filium sed *universim* spectata dicatur personalis proprietas primae personae. Nimirum Graeci nomine της ἀιτιας intelligentes tum principium ad intra tum causam ad extra, in comparatione trium personarum quandoque solam primam personam, quae virtutem principii et causae non habet ab alia sed eam aliis communicat, dicunt την ἀιτιαν, vel το ἀιτιον, qua praedicatione sane non negatur aliam quoque personam esse principium vel causam, sed negatur esse principium et causam sine principio. Ita Gregorius in hac ipsa oratione XXXIV. n. 8: « Deus in tribus maximis subsistit, *in causa,* in opifice, in perfectore, in Patre inquam, et Filio et Spiritu Sancto » (1). Hic notae distinguentes trium personarum immediate et directe ex relationibus *ad extra* significantur. Quomodo ergo ratio *causae* dici potest nota distinguens Patris, cum ea communis omnino sit et una in Patre, Filio, Spiritu Sancto? Nimirum Pater est causa primordialis sine principio (ἡ προκαταρκτικη ἀιτια, ἡ πρωτη ἀιτια, ἡ ἀιτια της ἀιτιας ut a Basilio audivimus), et ideo hypostatice ac in comparatione cum aliis personis, quae ab ipso habent rationem causae, soli Patri ut personae primae reservatur haec praedicatio. Imo Gregorius noster cum aliis Patribus dicit, in comparatione cum Filio Patrem hypostatice praedicari *Deum,* Filium vero *Dominum,* ad demonstrandam unitatem principii. Gregor. or. 25. n. 15. (vide de Trin. Th. XI. n. I.). Unde quod in testimonio a Photianis objecto dicitur, omnia Patris esse Filio communia, praeter rationem *causae,* perinde est ac si dicatur, omnia Patris esse Filio communia, eo solo excepto, quod Filius non est sine principio sed a Patre, atque ideo principium ex principio, ut Deus de Deo.

(1) Θεος ἐν τρισι τοις μεγιστοις ἱσταται, ἀιτιῳ, δημιουργῳ και τελειοποιῳ, τῳ πατρι λεγω, και τῳ ὑιῳ και τῳ ἁγιῳ πνευματι.

Hinc, ubi directe spectantur relationes personarum ac intra, et character Patris exprimitur *negative*, quod ipse solus est *sine principio;* Nazianzenus ut characterem personalem Filii agnoscit, quod ipse est *principium* in relatione utique non ad Patrem, qui est ἄναρχος, sed ad Spiritum Sanctum, qui aeternaliter est cum Patre et Filio ut *principio sui*. « Qui est *sine principio*, et *principium* (Filius), et qui *cum principio* (1), unus est Deus.... Neque *principium* eo quod *principium* est, ab illo qui est *sine principio*, dirimitur... et qui est *cum experte principii et cum principio*, non aliud est quam illi. Nomen autem ei qui sine principio, *Pater;* principio, *Filius;* ei qui cum principio, *Spiritus Sanctus* » (2). Nazianz. or. 42. n. 15.

Postremo illud idem, quod Basilius dixit, « essentialem bonitatem a Patre per Filium in Spiritum Sanctum promanare » h. e. communicari, Nazianzenus iisdem paene verbis expressit. « Unus Deus, quia ex Patre per Filium in magnum Spiritum sistit divinitas perfecta in perfectis » (3) Carm. l. I. sect. 2. carm. 2. v. 688. (Migne T. XXXVII. p. 632.).

2° *Ex Anastasio* quem Sinaitam appellat Macarius, ad demonstrandam disertam negationem processionis a Filio nihil habet aliud, nisi quod oratione I. de Trinit. n. 10. 11. dicit, Filium et Spiritum Sanctum esse ex Patre; neque ideo quia Filius et de se dixit, *ego ex Patre exivi*, et de Spiritu Sancto, *qui a Patre procedit*, tolli differentiam processionis utriusque (Galland. T. XII.). Quae omnia nihil habent commune cum *negatione* processionis a Patre et Filio; hanc vero ab Anastasio isto Antiocheno in hac ipsa

(1) Spiritus Sanctus Filium habet *principium* ratione originis; sed est sine tempore *cum principio*, ratione aeternitatis. Hoc eodem sensu Basilius superius citatus dixit: Filius manifestat Spiritum *secum ipso et post se ipsum*.

(2) Ἄναρχον, καὶ ἀρχή, καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς, εἷς θεός... Οὔτε ἡ ἀρχὴ τῷ ἀρχὴ εἶναι, τοῦ ἀνάρχου διείργεται... καὶ τὸ μετὰ τοῦ ἀνάρχου καὶ τῆς ἀρχῆς, οὐκ ἄλλο τι, ἢ ὅπερ ἐκεῖνα. Ὄνομα δὲ τῷ μὲν ἀνάρχῳ, πατήρ· τῇ δὲ ἀρχῇ, υἱός· τῷ δὲ μετὰ τῆς ἀρχῆς, πνεῦμα ἅγιον.

(3) Εἷς θεός, ἐκ γενετῆρος δι' υἱέος ἐς μέγα πνεῦμα
Ἱσταμένης θεότητος ἐνὶ τελέοισι τελείης.

oratione luculenter doceri, constat ex superius (pag. 65. 66.) descriptis testimoniis.

3^{tio} Ex tota igitur farragine Macariana nihil restat praeter decantatum illum modum loquendi s. Maximi et s. Ioannis Damasceni, qui non sine aliquo fundamento in vetustioribus nonnullis Patribus per nomen *causae* et particulam *ex* in significatione maxime propria *causam primordialem* significari censuerunt; et ideo Spiritum Sanctum non *ex Filio ut causa*, sed *ex Patre per Filium* procedere dicendum esse. Praeter haec habent adhuc scripta Theodoreti adversus s. Cyrillum aliunde in V. synodo anathemate damnata, in quibus cum suo magistro Theodoro Mopsuesteno asserit, Spiritum Sanctum nec ex Filio nec per Filium existentiam (την ὕπαρξιν) habere.

Doctrinam catholicam Maximi et Damasceni demonstravimus in nostro Tractatu Th. XXXVI. Quod spectat Theodoretum, si Macario concedimus (ut plurimi catholici doctores concedunt, imo et contendunt), illum de negata processione Spiritus Sancti esse intelligendum, consequenter eadem significatione interpretemur oportet symbolum Theodori a Nestorianis adoptatum, cum ex illo Theodoretus suam non modo sententiam sed ipsa verba derivaverit. Quoniam igitur Macarius hunc esse Theodoreti sensum omnino propugnat, dabimus ei, primam originem doctrinae Photianae non in Photio ipso, sed in auctore Nestorianismi Theodoro huiusque discipulis Nestorio et Theodoreto reperiri. Verumtamen quoniam non argumentatio *contra hominem* sed sola et integra veritas nobis cordi est, indicavimus in Th. XXXIII. n. II. rationes probabiles, quibus Theodorus eiusque discipulus Theodoretus ab hac haeresi excusari queant.

Macarius p. 357. probat, verba istius symboli Nestoriani, « Spiritum Sanctum neque Filium esse *neque per Filium existentiam accepisse,* non agere de processione Spiritus Sancti, sed negare dumtaxat contra Macedonianos creationem Spiritus per Filium; tum vero p. 359. 360. 383. verba eadem apud Theodoretum patronum Nestorii adversus Cyrillum, « Spiritum Sanctum *ex Filio aut per Filium*

existentiam habere, ut blasphemum reiicimus, » acriter contendit intelligenda esse non iam de creatione Spiritus contra Macedonianos sed de aeterna processione ex Filio aut per Filium. Scopus hominis, qui numquam spectat, quid veritas habeat, sed solum quid suae causae servire videatur, est manifestus. Vellet nimirum a sua haeresi amovere accusationem originis Nestorianae, si ea *primum* in symbolo Nestoriano totidem verbis enuntiata reperiretur; nam ante hoc symbolum *negatio* haec, Spiritum *non esse per Filium,* etiam Photianis oculis in nullo prorsus documento detecta hactenus est, nec post tanta molimina eam detegendi spes affulget. Ex altera vero parte auctoritatem Theodoreti putat se facile venditare posse ut irrefragabilem, ad quem finem caute dissimulat, Theodoreti illam sententiam numquam occurrere nisi in scriptis, quibus doctrinam catholicam in anathematismis Cyrilli expressam oppugnat pro defensione Nestorii, atque adeo in scriptis ab universa Ecclesia damnatis. Quamvis itaque existimemus, sine contradictione negari non posse, eundem esse sensum apud Theodorum ac apud discipulum Theodoretum, et quamvis ex rationibus suo loco inductis probabile putemus, apud utrumque dumtaxat contra Macedonianam doctrinam, quam pari calumnia ac monophysitismum Theodoretus s. Cyrillo imposuit, de creatione non autem de processione Spiritus Sancti per Filium sermonem esse; pro dogmate tamen nihil, pro historia haereseos non magni interest. Sive enim Theodorus sive Theodoretus sive uterque auctor fuerit *negationis Photianae,* incunabula erunt Nestoriana, quoniam non solum Theodori sed etiam Theodoreti scripta, in quibus negatio illa supponitur, ad Nestorianismum spectant et anathemate infamata sunt.

§. VIII. *De Patribus occidentalibus, qui velut diserti vindices doctrinae Photianae citantur.*

Ex Patribus occidentalibus pro diserta vel aequipollente *negatione* processionis a Filio audet adversarius traducere Augustinum, Vigilium Tapsensem, Fulgentium qui in locis licet magnam partem per truncationem et praeposteram

versionem ab ipso corruptis, nihil aliud quam communem doctrinam *Spiritum procedere a Patre,* adversus Arianos defendunt. De hac hominis impudentia diximus in Th. XXXV. n. II. Illis addit Mansuetum Mediolanensem, quem mira quadam sua argumentatione obvolvit. Audi fabulam Photianam.

In epistola quam anno 679. Damianus Ticinensis postea Episcopus nomine Mansueti et synodi Mediolanensis scripsit ad Constantinum Pogonatum, expositio fidei inserta est contra Monotheletas. In prima parte huius expositionis adversus Arianos insistitur unitati divinae essentiae in tribus distinctis personis, quarum nomina non diversam naturam significant, ut Ariani « excellentiorem, minorem, et inferiorem » dicebant; sed personarum consubstantialium relationes ad invicem designant, atque ideo sicut Pater ad Filium, Filius ad Patrem refertur, ita et *Spiritus* nomen relativum est, adeoque quod Ariani et Semiariani pneumatomachi negabant, *spiratum a Patre* significat. « Nam cum dicimus omnipotentem Patrem, appellatio huius paterni nominis ad Filii personam intenditur, et cum dicimus aeternum Filium, ad aeterni Patris personam refertur; et cum nominamus *Spiritum Sanctum, ab aeterni Patris persona eum procedere monstramus* » (Mansi Concil. T. XI. p. 206; Migne PP. Latin. T. LXXXVII. p. 1265.). Quomodo iam in hac professione catholica Macarius reperit *negationem* Photianam? « Si Spiritus Sanctus, ait ille, a persona seu hypostasi aeterni Patris procedit, et si hypostasis Patris est omnino distincta et *separata* (sic) ab hypostasi Filii, licet essentia unum sint (1); Spiritus non procedit a Filio, secus hypostases confunderentur » Macar. p. 387.

Nihil potest esse accommodatius quam huiusmodi argu-

(1) « Mais si... l'hypostase du Père soit tout à fait distincte et *séparée* de celle du Fils, bien qu'ils ne soient qu'un par essence. » Hypostases divinae discernuntur quidem inter se, idque non solum distinctione rationis ut attributa absoluta, sed *distinctione reali,* atque ideo dicendae sunt et in eadem professione Episcoporum Mediolanensium dicuntur « personae *distinctae atque discretae;* » sed nemo nisi tritheita potest dicere personas licet unum sint essentia, esse inter se *omnino separatas.*

mentationes, quae saepe apud Photianos recurrunt, ut intelligatur, quomodo in doctrina de SS. Trinitate articuli singuli intime cohaereant, et vel una particula negata totum mysterium principale christianae fidei pervertatur. Si hypostases Patris et Filii sunt inter se *omnino separatae,* eoque ipso essentiae omniumque attributorum unitas non sit *numerica* seu *singularitatis,* sed sicut inter duos angelos aut homines sit unitas essentiae tantummodo specifica; in hac hypothesi tritheitarum et in hac *sola* hypothesi verissimum est, ex eo quod Spiritus procedit a persona Patris, nullatenus consequi eum aeque procedere a persona Filii. Imo sicut in illa tritheitarum doctrina operatio ad extra e. g. creatio nequiret concipi ut operatio trium personarum *una numero*, et personae non possent esse *unum numero* principium creationis, sed essent tres creatores; ita etiam in ista doctrina absurda concipi non possent Pater et Filius ut unus spirator seu unum principium spirationis in relatione ad tertiam personam. At si persona Patris et persona Filii, ut fides docet catholica et Photiani quoque fatentur, ubi necesse non habent suam haeresim defendere, sola formali ratione *paternitatis* et *filiationis* constituuntur inter se distinctae, in reliquis autem omnibus omnino sunt *unum numero;* in hac fundamentali catholica doctrina sane qui confitetur personam Patris esse principium Spiritus Sancti, hoc ipso confitetur aeque personam Filii una numero spiratione esse principium eiusdem Spiritus, quia *spiratione* prima et secunda persona nec constituuntur nec inter se distinguuntur, eo prorsus modo, quo confitens personam Patris Deum omnipotentem, aeque confitetur Deum omnipotentem personam Filii et Spiritus Sancti una numero divinitate et omnipotentia, quia divinitas et omnipotentia non est nota distinguens sed communis trium personarum (1).

Consideremus vero argumentationem Photianam reciso

(1) Hoc exemplum subditur in ipsa hac professione Mansueti. « Cum autem dicimus *Deum* Patrem *omnipotentem*, non potest huius nominis evacuari sacramentum, quia cum dicimus Patrem, Filium demonstramus et cum dicimus Filium, Patrem declaramus ».

illo fundamento tritheitico *separationis* personarum, et videamus, quid in illa legitime esset inferendum. Si, inquit Macarius, Spiritus procedit a persona Patris, et persona haec est distincta a persona Filii; Spiritus non procedit a Filio, secus Pater et Filius non essent personae distinctae (1). Nimirum concludendum ita foret: si Spiritus procedit a persona Patris, formaliter *ut Pater est*, Spiritus generatur et est Filius; cum autem Pater *in formali ratione Patris* ad unum tantum Filium referatur, Filius et Spiritus non sunt personae distinctae, sed est una persona genita a Patre, quae duplici nomine modo Filius modo Spiritus nominatur. Si vero Spiritus non generatur, eo ipso non procedit a prima persona, *ut haec formaliter Pater est* in relatione ad Filium; atqui hac sola relatione et formali ratione Patris, prima persona Pater distinguitur a secunda persona Filio; ergo Spiritus tertia persona non procedit a prima persona, quatenus haec distinguitur a secunda persona, sed omnino quatenus Pater et Filius unum sunt spiratione, qua non ad se invicem, sed ut unum principium ad tertiam personam Spiritum Sanctum referuntur.

Quod ergo aiunt Photiani: « si Spiritus sicut a persona Patris ita et a persona Filii procederet, personae Patris et Filii non essent distinctae, » continet tum fraudulentam dissimulationem ac detorsionem doctrinae catholicae, tum puerilem nugationem contra disciplinam logicam. Primum enim supponunt, a catholicis dici Spiritum procedere a Patre et Filio sub formali ratione, qua duae personae inter se distinguuntur, cum contra profiteamur Spiritum procedere sub formali ratione spirationis, qua Pater et Filius inter se unum sunt, et ut unum principium a persona tertia procedente distinguuntur. Nugatio vero evidens et nova haeresis in eo est, quod dicunt, et pro Photiano dogmate coguntur dicere: si personae Patris et Filii inter se non distinguuntur spiratione, nullo modo distinguuntur.

Quamvis virtus operatrix ad extra ut attributum ab-

(1) Si c'est de la personne ou de l'hypostase du Père éternel que procède le S. Esprit... l'Esprit ne procède donc pas du Fils; autrement les hypostases du Père et du Fils seraient confondues.

solutum, ac virtus spiratrix relativa ad tertiam personam utique aliter se habeant, quoad unitatem tamen illius in tribus, et huius in duabus personis eadem est ratio, ut s. Augustinus iam monuit (Trin. l. V. n. 14. 15.). Hinc eiusdem valoris est syllogismus Macarianus ac Socinianus. Sociniani dicunt: persona Patris est realiter distincta a persona Filii; atqui a persona Patris creatus est mundus; ergo non est creatus a persona Filii. Macarius argumentatur: persona Patris est realiter distincta a persona Filii; atqui a persona Patris procedit Spiritus Sanctus, ut tradit Mansuetus, imo debuit dicere, ut docet fides catholica; ergo Spiritus Sanctus non procedit a persona Filii. In utroque syllogismo par est petitio principii; supponitur enim velut principium concessum demonstrationis illud ipsum, quod a nobis negatur ut haeresis, et adversariis esset demonstrandum. Sicut nimirum Socinianus virtutem creatricem, ita Photianus virtutem spiratricem assumit ut propriam soli personae Patris, qua ergo duae personae distinguantur. At sicut tres personae per virtutem creatricem ad se invicem non referuntur, et ideo illa in tribus una est communis, ita persona Patris et Filii non referuntur una ad alteram per virtutem actumque spirationis, hocque ipso spiratio una est communis Patri Filioque in relatione reali ad Spiritum Sanctum. Ad utrumque ergo syllogismum prorsus eadem valet responsio. *Distinguo maiorem:* personae Patris et Filii realiter distinguuntur relatione paternitatis et filiationis, qua referuntur ad invicem ut generans et genitus c. M.; distinguuntur virtute creatrice aut spiratrice n. M. Pariter *distinguo minorem:* mundus creatus est a persona Patris, ut Pater est cum Filio unus *creator* virtute omnipotenti, quae incommunicata in Patre una eademque est communicata in Filio; et Spiritus Sanctus procedit a persona Patris, ut Pater est cum Filio unus *spirator* virtute spiratrice, quae una est in ipso incommunicata et in Filio communicata ab ipso *c. m.;* mundus creatus est vel Spiritus Sanctus procedit a persona Patris, sub formali ratione qua Pater est generans Filium, et qua sola a Filio realiter distinguitur *n. m.* Ergo (concludendum est) sicut

Photianis quoque fatentibus eo ipso quod persona Patris dicitur creator omnipotens, intelligitur Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus creator omnipotens; eadem prorsus necessaria consecutione intelligitur Pater et Filius unus *spirator* in relatione ad Spiritum Sanctum, quoties non solum Mansuetus, sed Scripturae, symbola, Patres, omnesque catholici doctores praedicant Spiritum Sanctum procedere a persona Patris.

Quinam iam remanent Macario ex Patribus occidentalibus *quartae suae classis,* quos ausus est calumniari velut assertores Photianae haereseos? Nominat adhuc Rusticum diaconum schismaticum Ecclesiae Romanae, et Anastasium Bibliothecarium Photio synchronum atque amicitia devinctum. Si res dogmatice spectetur, possemus sane cum pluribus theologis catholicis sine dispendio concedere, utrumque hunc scriptorem doctrinam catholicam non habuisse satis perspectam, cum Rusticus trium capitulorum defensor dicta saltem ambigua sui clientis Theodoreti respiceret, Anastasius forte excusationem aliquam Photii sibi amici tentaret. Quomodo vero Rusticus circa modum dumtaxat subtilioris intelligentiae anceps haesisse, Anastasius eadem ac s. Maximus de processione Spiritus *a Patre per Filium* dixisse censendi sint, exposui in Th. XXXVI. n. II; et Th. XXXVIII. n. II.

SECTIO III.

DE PROFESSIONE PROCESSIONIS A PATRE FILIOQUE EXPRESSA IN SYMBOLO.

Quamvis sensum genuinum decreti Ephesini contra symbolum Nestorianorum editi, in nostro Tractatu Thesi XLI. satis dèmonstraverimus, postulat tamen scopus praesentis lucubrationis examen argumentorum, quibus post Adamum Zoernikaw et Theophanem Prokopowicz Macarius in sua « Introductione ad Theologiam » (1) p. 579. sqq. aggressus est vindicare Marci Ephesini aliorumque veterum schismaticorum absurdam interpretationem, secundum quam etiam supposita huius articuli veritate, eius tamen insertio in symbolum praedamnata foret.

Concilium Ephesinum illo decreto absolute prohibuisse quamvis additionem in symbolo Constantinopolitano etiam verae ac revelatae doctrinae, ac propterea per ipsam particulae *Filioque* insertionem in eo symbolo Ecclesiam latinam desiisse esse veram Ecclesiam (2), Macarius probat

(1) Introduction à la Theologie orthodoxe de Macaire Evêque de Vinnitza etc.

(2) Si paulo diligentius inspicias et inter se compares, quae Macarius in ista « Introductione ad theologiam orthodoxam » disputat de *notis* verae Ecclesiae, videbis *notas* de quibus impostor maxime sollicitum se ostendit, revocari tandem ad duas negationes. Pertingit ipse ad suum scopum per tres veluti gradus. Primo ut unicam *notam* verae Ecclesiae statuit cum Protestantibus *veritatem doctrinae:* « l'Eglise orthodoxe est celle qui conserve vraiment, invariablement la doctrine infaillible de l'ancienne Eglise œcuménique. » Nemo certe qui admittat revelationem catholicam obiective absolutam esse per Christum et per Spiritum Sanctum in Apostolis, huius principii negat veritatem; sed etiam nemo sana mente potest illud habere velut *notam,* qua vera Ecclesia Christi ab unoquoque distingui possit inter Ecclesias commentitias quae omnes glorientur, se hac proprietate insignitas esse; imo hoc ipsum est, quod per *notas* quaeritur, quaenam sit Ecclesia nunc conservans totam infallibilem doctrinam et omnia instituta Ecclesiae antiquitus fundata a Christo et per Apostolos propagatae.

Vidit haec Macarius, ac propterea gradu secundo hanc suam *notam*

ex epistola Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, ex Concilio Chalcedonensi in quo eadem epistola fuit approbata, ex professione fidei imperatoris Iustiniani, ex epistola Agathonis Romani Pontificis ad imperatorem Constantinum

ulterius explicat. Ecclesia vera est illa, inquit, quae symbolum Constantinopolitanum et definitiones Conciliorum oecumenicorum in omnibus articulis fundamentalibus sine diminutione et *sine additione* conservat, et iure merito omnia sua dogmata confirmat unanimi doctrina ss. Patrum. «Il est notoire que l'Eglise œcuménique a fait entendre sa voix infaillible sur tous les articles capitaux de la foi, dans les Conciles œcuméniques, en particulier dans le symbole de Nicée et de Constantinople, et d'autres décrets sur certains dogmes... De là *le premier principe partiel:* le nom d'Eglise orthodoxe doit appartenir exclusivement à celle des Eglises existantes, qui a conservée intègre, sans y rien ajouter ni en rien retrancher, cette règle infiniment sacrée... *Le second principe partiel:* celle d'entre toutes les Eglises existantes, qui peut appuyer et appuie à juste titre tous les dogmes professés par elle sur la croyance unanime des ss. Pères ou de toute l'ancienne chrétienté, celle-là seule est veritablement l'Eglise orthodoxe. »

At evidenter hoc secundum nequit censeri *nota* Ecclesiae, cum per *notas* quaeratur vera Ecclesia, ex cuius deinde auctoritate certi reddamur de antiquitate et veritate totius doctrinae; non autem per examen totius doctrinae, quod deberet esse examen independens ab auctoritate Ecclesiae nondum cognitae, singuli pervenire possunt ad cognoscendam veram Ecclesiam. De priori autem *principio partiali*, noli quaerere quomodo Ecclesia vera non amiserit istam *notam* iam in ipso Concilio II., ubi plura *addidit* symbolo, quod eo usque in usu fuerat; quomodo non perierit *additione* definitionum in omnibus Conciliis subsequentibus; quomodo *additio* definitionum doctrinae sancte fieri potuerit et facta sit usque ad Concilium VII, saeculo octavo, deinceps vero *additio* definitionis dogmatum revelatorum destrueret *notam* verae Ecclesiae; quomodo certi reddamur, septem illa Concilia esse omnia oecumenica, ex posterioribus nullum esse oecumenicum, cum tamen in his omnes characteres Concilii universalis multo illustrius resplendeant, quam in quibusdam prioribus e. g. in Constantinopolitano I.? Haec inquam et his gemina noli quaerere; Macarius enim haec duo *principia partialia,* nomine *notarum* Ecclesiae, putat sibi necessaria esse et sufficere ad ostendendum Ecclesiam unam, sanctam, catholicam, apostolicam Romanam non esse Ecclesiam veram. Ne autem cuipiam suorum alumnorum in mentem veniat secundum haec principia instituere examen definitionum Conciliorum et unanimis doctrinae veterum Patrum non ex libris schismaticorum sed ex genuinis fontibus; ipse praeoccupat huiusmodi molimina, quae detectis imposturis facile deducerent ad Ecclesiam catholicam. « Supposer qu'il puisse y avoir dans l'Eglise orthodoxe (h. e. imperiali Russica) des dogmes, qui

Pogonatum, ex epistola Alcuini ad fratres Lugdunenses, ex Concilio Foroiuliensi sub Paulino, ex tractatione Pontificis Leonis III. cum legatis Caroli Magni, et ex synodo anni 867., quae (inquit) celebrata praesentibus et suffra-

ne s'accorderaient pas avec l'ancienne doctrine des ss. Pères, c'est une chose egalement impossible, quand il est notoire que cette Eglise reste *seule aujourd'hui fidèle aux anciens Conciles œcuméniques* » p. 594. Quoniam vero nemo mortalium intellexerit, quomodo si quis profiteatur dogmata definita in septem Conciliis, eo ipso teneat *totam doctrinam* ss. Patrum, cum in hac PP. doctrina possint esse et sint articuli, de quibus in Conciliis actum non est, e. g. de septem sacramentis et de aliis multis; ad hanc difficultatem mentibus schismaticorum occultandam Macarius iam praestruxerat systema Protestantium *de articulis fundamentalibus* (les articles capitaux). Sed si articuli fundamentales et necessarii sunt illi soli, qui reperiuntur definiti in septem Conciliis, eritne ergo liberum Russis negare omnia ea, quae e. g. de septem sacramentis, de libris canonicis, de visione beatifica, de aeternitate poenarum, de aliis multis illic nec tractata nec definita sunt? Porro quomodo quaeso, *notorium* cupiam videri possit, Ecclesiam schismaticam solam persistere *fidelem antiquis Conciliis*, cum non de verbis materialibus sed de sensu Conciliorum agatur, et sane non *notorium* sed imo hoc ipsum sit in quaestione, utrum e. g. in professione Concilii Constantinopolitani I. verus sensus sit, Spiritum Sanctum procedere a Patre ut Pater spiratione unum est cum Filio, an potius negetur processio a Filio? Hoc Russos quaerere vetat Macarius, quoniam sola spectat *verba materialia*, « credo in Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit, » ut sine explicatione in eorum symbolo retinentur, quemadmodum universim schismatici cum synagoga Iudaica in rebus fidei ac morum non tam de spiritu et virtute quam de carne et littera sunt solliciti. Hoc autem ipso Photianus viam sibi parat ad *tertium gradum* pro statuenda sua *nota verae Ecclesiae*. Etenim postquam *nota Ecclesiae* reducta est *ad fidelem retentionem veterum (septem) Conciliorum*, cuiusmodi *notam* veritatis proinde ante Concilium Nicaenum Ecclesia nullam, postea ex succedentibus Conciliis aliam atque aliam habuit, oritur nunc quaestio, quomodo haec fidelis retentio veterum Conciliorum ut *nota* veritatis non competat Ecclesiae catholicae? Ex suo illo principio Iudaico quo summa rei in verbis materialibus non autem in verborum explicatione et sensu constituitur, Macarius per multas ambages tandem *tertio gradu* descendit ad ultimam expressionem, ad quam tota machina instructa erat. Fidelitas in retentione symboli, definitionum synodalium, unanimis doctrinae Patrum ita comparata sit oportet, ut negetur processio Spiritus Sancti ex Filio, et primatus Romani Pontificis. Ultimatim ergo *nota verae Ecclesiae*, quatenus opponitur Ecclesiae catholicae, quam fere solam (more omnium haereticorum) Macarius impugnat, continetur hac

gantibus legatis Romanis diu in oriente auctoritatem habuit velut octava oecumenica.

De synodo Foroiuliensi, quae in regno Caroli M. celebrata est potissimum ad tuendam insertionem particulae *Filioque* in symbolo, prout ea per ecclesias regnorum Caroli iam pridem invaluerat, et de sententia Leonis III. nihil opus est dicere, cum in citata Thesi XLI., et ad Pontificem Leonem quod spectat, etiam superius in hac opella fraudes Photianorum satis detectae fuerint ac confutatae.

duplici negatione: *Ecclesia orthodoxa est illa, quae negat processionem Spiritus Sancti a Filio, et primatum Romani Pontificis.*

Iam coniicias quaeso, quantis fraudibus necessario agendum sit homini, qui cum duplici illa negatione simul haec tria explicite profitetur. *a)* Concedit et concedere cogitur, saltem usque ad saeculum IX. labens Romanam Ecclesiam fuisse veram Ecclesiam; cui propterea adscribenda est eadem illa duplex negatio, velut proprius character verae Ecclesiae. *b)* Profitetur, Ecclesiam veram esse infallibilem in docendo et credendo; unde necesse est demonstrare totam Ecclesiam occidentis et orientis usque ad saeculum IX. explicite docuisse et credidisse utrumque illud dogma Photianae negationis; agitur enim dé dogmate characteristico verae Ecclesiae, adeoque quavis aetate *explicite* credendo et docendo, consequenter reperiendum est, omnes eos qui usque ad IX. saeculum docuerint vel processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque vel primatum Romani Pontificis, habitos fuisse ut extorres ab Ecclesia et manifestos haereticos. *c)* Protestatur Macarius, traditionem non minus quam Scripturam esse thesaurum, in quo depositum fidei integrum contineatur. Hinc opus ei est ostendere, in documentis traditionis usque ad saeculum IX. affirmationem utriusque illius dogmatis non contineri, sed in consensu documentorum contineri utriusque negationem. Re etiam vera haec omnia cuivis homini, qui umquam documenta antiquitatis et historiam ecclesiasticam vel primo intuitu inspexerit, evidenter absurda Macarius suis Russis demonstranda suscipit. Quis ergo miretur, huic impostori sicut reliquis Photianis in perversione, truncatione, occultatione, abnegatione documentorum ac textuum opus fuisse fallaciis maioribus, quam ipsis Protestantibus, qui auctoritatem Ecclesiae et traditionis simpliciter inficiantur? Has fallacias quoad doctrinam de processione Spiritus Sancti in nostro Tractatu et in praesenti opusculo satis demonstravimus; de dogmate autem primatus, contra quod ille, si fieri potest, adhuc impudentius mentitur, nunc nobis dicendi locus non est. Confer cl. P. Ioannis Gagarin dissertationem « De l'enseignement de la théologie dans l'Église russe (Études par les PP. Daniel et Gagarin. T. I. p. 1. sqq), et alteram « Les starovères, l'Église russe et le Pape » (ibid. T. II. p. 3. sqq.).

Superest ergo, ut examinemus monumenta reliqua a Macario producta.

CAPUT I.

DE MONUMENTIS CATHOLICIS A MACARIO INDUCTIS.

1° Ex Cyrilli epistola XXXIV. ad Ioannem Antiochenum pro sua thesi probanda haec recitat. « Nullo autem modo patimur, ut ab aliquo *concutiatur fides definita sive fidei symbolum*, quod a ss. Patribus nostris *Nicaeae* congregatis olim editum est. Neque enim nobis ipsis aut aliis permittimus *vel unam vocem mutare ex iis, quae ibi continentur, aut unam transgredi syllabam* (1), memores eius qui dixit: ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt patres tui » Cyrill. T. V. p. 108.

Si iam placuit Macario sophistice agere, potuit ex Cyrillo aliquid reperire accommodatius, e. g. in ep. XXXV. p. 113. ad Acacium Melitensem; nam ex verbis ab ipso citatis, etiamsi nulla habita ratione contextus ac scopi spectentur abrupta, nemo vel simulacrum argumenti extundat.

Non negabit adversarius, *voces* et *syllabas* in loco allegato intelligi debere secundum sensum qui eis subest, siquidem ipsemet symbolum in liturgia *vocibus* et *syllabis* non graecis sed slavicis recitat. Atqui hoc posito Cyrillus nihil aliud dicit, nisi quod omnes catholici tenent, et quod tandem coincidit cum ipsa infallibilitate definitionum Ecclesiae. Eo nimirum ipso, quod definitiones dogmatum sunt infallibiles, sunt quoque *irreformabiles*, adeo ut nec nobis nec aliis nec toti Ecclesiae fas sit *sensum definitionum in vocibus et syllabis* comprehensum transmutare in alium repugnantem vel diversum, ita ut sensus prioris definitionis improbari ac eliminari videretur. (Vide s. oecumenicum

(1) Κατ' οὐδενα δε τροπον σαλευεσθαι προς τινων ἀνεχομεθα την ὁρισθεισαν πιστιν, ἡτοι το της πιστεως συμβολον παρα των ἁγιων ἡμων πατερων των ἐν Νικαιᾳ συνελθοντων κατα καιρους, οὐτε μην ἐπιτρεπομεν ἑαυτοις ἠ ἑτεροις ἠ λεξιν ἀμειψαι των ἐγκειμενων ἐκεισε, ἠ μιαν παραβηναι συλλαβην.

Concilium Vaticanum sess. 3. cap. 4. can. 3. de Fide et Ratione). Haec autem *irreformabilis* perennitas veritatis ex ipsa rei natura sicut *in vocibus ac syllabis* symboli, de quibus Cyrillus loquitur, aeque valet in omnibus aliis definitionibus doctrinae ab Ecclesia authentice propositis.

Verum ut distinctius intelligatur genuina sententia in illis verbis Cyrilli, considerandus est scopus et contextus. Agebatur de pace componenda cum Ioanne Antiocheno et ceteris Episcopis orientalibus, qui in Concilio Ephesino Nestorii fautores scissionem induxerant. In hac pacis tractatione orientales absurde primum postulabant, ut ad unitatem conciliandam dimissis definitionibus Ephesinis nihil aliud exigeretur quam professio *symboli Nicaeni;* hoc enim contra omnes haereses sufficere aiebant. Cyrillum vero, conquerebantur, in suis epistolis et anathematismis contra Nestorium tradidisse Apollinaris, Arii et Eunomii haereses, ac proinde ipsum ipsique consentientem synodum Ephesinam pervertisse definitionem Nicaenam in symbolo expressam. Hisce calumniis Cyrillus in suis epistolis 33. 39. 40. 48. 55. 69. 70. (ed. Migne PP. GG. T. LXXVII.) semper in eandem sententiam respondet: se omnino tenere integrum fidei symbolum in sensu genuino a Patribus declarato, et si hoc sensu explicetur, illud utique adversus haereses sufficere; verum a Nestorio ipsum hunc sensum perverti; ideo adversus eundem haereticum Ephesinos Patres iterum confirmasse symbolum Nicaenum; « non enim est adiicere super illud, nec est auferre ab eo, » prout nempe adiecit et abstulit Nestorius; propterea etiam ad communionem orientalibus concedendam nequaquam satis esse, si illi symbolum Nicaenum retineant, sed insuper opus esse, ut consentiant etiam Ephesi definitis. Omnia igitur quae Cyrillus habet de symbolo Nicaeno, revocantur ad apologiam contra calumniam, qua ipse accusabatur perversionis symboli in sensum haereticum, et ad accusationem Nestorii qui huiusmodi haereticae perversionis reus erat; ad quem utrumque scopum pendente hac lite cum orientalibus etiam scripsit et ad imperatorem Theodosium misit prolixam expositionem symboli Nicaeni, quae est inter epistolas (55ª ed. Mi-

gne, 47' ed. Auberti). Hoc ergo unum s. praesul Alexandrinus contendit ac probat, nemini fas esse fidem Nicaenam seu sensum dogmatum, quae in symbolo sive explicite sive implicite continentur, additione vel subtractione vel falsa interpretatione transmutare ac pervertere (1). Maca-

(1) Iam Ephesi ipse Nestorius voluit unicum scopum Concilii esse, « communi decreto firmare fidem ss. Patrum, qui Nicaeam congregati sunt, nam multae post illam synodi factae nihil innovare praesumpserunt contra eam, sed in ea permanendum esse sanxerunt » (Mansi V. p. 768.). Conciliabulum deinde Ioannis Antiocheni Ephesi schismatice actum contra Concilium oecumenicum, damnavit capitula Cyrilli ut infecta haeresi Apollinaris, sine alia definitione quam fidei Nicaenae, « illorum namque paucorum verborum rectae fidei confessio, inquiunt schismatici, sufficit et omnem haereticum errorem convincere et veritatem volentes imbuere » (ib. p. 783). Aiunt schismatici isti, imperatores iussisse, « ut illa quae in Nicaea exposita est a sanctissimis PP. nostris, essemus fide contenti, abiectis utique his, quae nuper (per Cyrillum) orta sunt scandalis; unde et persuadere tentavimus illos Episcopos, qui ea quae sunt Aegyptii (Cyrilli), non renuunt, et expositis ab eo capitulis haereticis subscripserunt, ut auferrent illa quae orthodoxae fidei aperte contrariantur, contenti vero essent expositione quae in Nicaea facta est, secundum piissimorum principum sanctionem. Persuadere vero illos minime praevalentes..., compulsi sumus nos, qui sanae fidei permanemus et nihil ei peregrinum (capitula nempe Cyrilli) subintroduci permittimus, hanc in scripto exponere... Sufficit enim expositio horum verborum, quae pauca sunt, et integritatem pietatis edocere ac semitam veritatis ostendere et errorem vesaniae haereticae confutare. » Tum adscripta integra formula symboli Nicaeni, « in hac nos fidei expositione, aiunt, universi persistere confitemur... Haeretica vero capitula quae a Cyrillo sunt nuper exposita, quibus et anathematismos superfluos subiecit ac vanos, quaeque etiam vario decreto ac subscriptione Episcoporum (Concilii Ephesini) roborare tentavit, haec itaque alienat ab orthodoxa fide sancta synodus (synagoga schismatica), quae in Epheso congregata est » (ib. p. 790.). Eadem de solo symbolo Nicaeno retinendo et contra doctrinam Cyrilli ac veri Concilii Ephesini repetunt isti Nestorii patrocinatores in omnibus suis epistolis inter se invicem, ad comitem Irenaeum, ad imperatorem scriptis. « Impossibile est, inquiunt, ut alteram faciamus expositionem fidei, nisi quae in Nicaea facta est a beatissimis Patribus » (ibi p. 795. cf. p. 794. 798. 799. 803. 805. 814. 824. et passim). Hoc fidei symbolum a Cyrillo et PP. Ephesinis ei consentientibus corruptum fuisse conqueruntur. « Qui deposuerunt eum (Nestorium), in ipsis gestis haereticis *capitula haeretica, sicut nostis, Patrum (Nicaenorum) fidei coniunxerunt*, et per hoc semetipsos haereticos denotantes et a fide alienos orthodoxa » (ibi p. 796.). Cuiusmodi sit ista haeresis Cyrilli et PP. Ephesinorum, per-

rius vero, qui Cyrillo sensum absurdum affingit, ac si absolute nefas esse dixisset etiam salvo sensu dogmatum et ad explicationem veritatis revelatae vocem aut syllabam addere symbolo, evidenter se ipsum omnesque Photianos

scribunt imperatori Theodosio. « Corpus Ecclesiae exscindetur, *si superinductus fidei(Nicaenae) a Cyrillo et confirmatus ab aliis haereticis sensus obtineat*... Necessarium fore credimus hinc docere imperium vestrum, *quia ea quae sunt Apollinarii et Arii et Eunomii,* docent hi in Ecclesiis, qui eis (haeresiarchis) impermixti sunt » (ibi p. 809.).

Post Concilium cum imperator conaretur schisma abolere, illi initio perstiterunt in eadem pervicacia. Facta enim synodo Antiochiae has ad Cyrillum perscripserunt pacis conditiones. « Permanemus in fide ss. Patrum qui in Nicaea convenerunt... Quae vero nuper *superintroducta sunt* dogmata vel per capitula, tamquam quae sunt commune turbantia, excutimus, contenti antiqua Patrum legislatione, et sequentes eum qui dixit: ne transferas terminos aeternos, quos posuerunt patres tui » (ibi p. 829.).

Cyrillus in sua ad has orientalium propositiones responsione (quae est ep. 33. in ed. Migne, et apud Mansi l. c. p. 831), atque in aliis omnibus epistolis, quas indicavi, declarat ea, quorum summam in textu descripsi. Verba eius in ep. 33. haec sunt. « Quoniam vere dicit (Ioannes Antiochenus cum suis), quia oportet soli symbolo consentire vel certe expositioni fidei trecentorum decem et octo, et ego ad haec dico, quia intentio fuit una sanctae et universali synodo quae congregata est in Ephesina metropoli, ut symbolum confirmaret, *quatenus et omnes ita confiterentur et crederent ac docerent,* neque adiecto quolibet neque detracto; neque enim est adiicere super illud, nec est auferre ab eo (in confitendo, credendo et docendo; nempe non de formula materialiter spectata, sed universim de professione et doctrina fidei Cyrillus erat sollicitus). *Propter hoc enim et contra Nestorium decrevit, sicut qui non suaserit illud, quin potius removerit atque obliteraverit et secundum nullum quidem modum secutus sit illud* (qui tamen Ephesi omni vi contendit, in symbolo Nicaeno materialiter nempe spectato simpliciter esse permanendum), *altera vero quaedam et dogmatibus Ecclesiae peregrina insane auribus insonuerit populorum.* Actum est igitur in Epheso super hoc proprium commentum gestorum (contra illa peregrina dogmatibus Ecclesiae), confirmante synodo expositam fidem a trecentis decem et octo Patribus nostris, qui circa suum tempus in Nicaea congregati sunt.... Adiecimus vero (in Concilio Ephesino) et sanctorum beatorumque Patrum testimonia, ut sciant adeuntes, quomodo intellexerint illi fidei symbolum, qui et nos ipsos mysteriis imbuerant (quippe non de verbis agitur, quae et Nestorius retinenda esse dixit, sed de sensu dogmatum)... eo vero simpliciter quidem alienantium et inconsideratorum contra se evomant verba, ea quae sunt Apollinarii vel Arii sive Eunomii me

subiicit anathematibus Cyrilli. Hic enim ubicumque prohibet « vel unam vocem aut syllabam symboli mutare vel transgredi, » semper loquitur de formula Nicaena, quam integram describit ac interpretatur in commemorato commentario (ep. 47. al. 55.). Atqui Macarius et Photiani reliqui dum adoptant formulam Constantinopolitanam, non vocem tantum ac syllabam sed integras sententias atque inter has illam, *qui a Patre procedit*, inserunt et alias detrahunt symbolo illi, cui Cyrillus (auctore Macario) vel *unam vocem aut syllabam addere vel detrahere* nemini Christiano fas esse dixisset.

Neque vero reponat Macarius, has additiones et subtractiones a Concilio oecumenico, et ideo legitime factas esse eo tempore, quo prohibitio Ephesina nondum exstitit. Nam *a*) Photiani contendunt, etiam toti Ecclesiae et Conciliis oecumenicis fas non esse quidquam licet verissimum addere symbolo, eo modo quo additiones ad Scripturam inspiratam nefariae essent interpolationes, ut schismaticorum verbis prolatis in Thesi XLI. n. 3. demonstravi.

b) Cyrillus certissime sibi et aliis quicumque illi fuerint, etiam Concilio oecumenico negat facultatem ad inducendas eas *mutationes vocum et syllabarum*, de quibus ipse unice loquitur. Nempe sicut postea Monophysitae Leonem Pontificem et Concilium Chalcedonense accusabant violati symboli (vide Thesim citatam n. 2.); ita orientales Nestorio faventes, quibuscum Cyrillo erat controversia, conquerebantur ab Ephesino Concilio mutatum esse symbolum Nicaenum, non utique additionibus in ipsa formula, sed definitionibus symbolo contrariis, atque ideo postulabant, ut ad pacis conciliationem unica tessera retineretur fides Ni-

sapere diffamantes, sicut in Epheso (in suo Conciliabulo schismatico) conscripserunt... Eorum quae scripsimus nos Nestorii dogmata impugnantes, nihil est omnino, *quod dissonet vel sanctis Scripturis vel certe fidei definitioni, quae exposita est a Patribus, dico autem illis qui in Nicaea suo tempore congregati sunt*. Nostra igitur intentio ad pacem se habet, *non impetere quae sunt definita*, ita videlicet si Nestorii depositioni consentire voluerint et anathematizare dogmata eius... Eis vero qui dicunt, quia oportet eiici ea, quae contra polluta Nestorii dogmata scripsimus, nullus acquiescet. »

caena abolitis capitulis seu anathematismis Cyrilli et definitionibus Ephesinis. Contra has itaque criminationes in omnibus epistolis citatis Cyrillus respondet, Concilium oecumenicum Ephesinum seque ipsum optime novisse, huiusmodi mutationes, contrarias inquam, vel *in una voce aut syllaba* nemini esse permissas; imo Ephesinos Patres, quia ita senserunt, ideo proscripsisse expositionem fidei Nestorianam (symbolum a Charisio denuntiatum) contrariam veritati definitionis Nicaenae, et eodem sensu prohibuisse aliam fidem conscribi, qua videlicet Nicaena fides perverteretur.

c) Hinc evidens est, quod paulo ante dixi, Cyrillum non agere de vi decreti Ephesini in sensu disciplinari; sed *dogmatice* ex ipsa insita incommutabilitate fidei Nicaenae quae fides est catholica, contendere omnibus Christianis et omni tempore, adeoque etiam Patribus sicut Ephesinis ita Constantinopolitanis nefas fuisse et semper fore *vel unam syllabam transgredi* in symbolo Nicaeno, sive additione sive subtractione sive interpretatione *contraria* fidei semel definitae.

d) Unde dum Macarius ea omnia, quae Cyrillus disputat de mutationibus *contrariis,* transfert ad explicationes etiam veras symbolo insertas, consequitur ex sententia quam ipse Cyrillo affingit, sicut quamvis aliam ita Constantinopolitanam formulam, in qua comparata cum symbolo Nicaeno reperiuntur additiones et subtractiones, censeri debere condemnatam, sive iam inter illas multas additiones una sit illa simplicior contra Macedonianos, *qui a Patre procedit;* sive haec explicatior, *qui a Patre Filioque procedit,* quarum neutra exstat in Nicaeno istud unum profitente: (credimus) « et in Spiritum Sanctum. » Haec si Macarius ipsemet sentit esse absurda, sentiet absurdam suam interpretationem doctrinae Cyrillianae et Ephesinae.

2° His iam etiam responsum est argumento, quod Macarius extundere conatur ex Concilio Chalcedonensi, quod (ut ait) confirmando epistolas Cyrilli, eius explicationem de sensu decreti Ephesini ratam habuit. Omnino sicut Ephesi Ioannes Antiochenus cum suis orientalibus et Nestorius

ipsemet, ita Chalcedone Dioscorus ceterique defensores Eutychetis Nicaenum symbolum sensu Photiano materialiter spectabant, hocque sensu ad declinandam suae haereseos damnationem quasvis additiones per Ephesinum decretum vetitas esse conclamabant, atque istud unum symbolum tamquam tesseram orthodoxae fidei sufficere. Unde Chalcedonensibus Patribus necessitas orta est contra has haereticorum tergiversationes ipsum decretum Ephesinum declarandi. « Dolose (Dioscorus) proposuit synodum ss. Patrum (Ephesinam); accepit enim (symbolum Nicaenum) additamenta propter perversum intellectum haereticorum. » Non dogmatum explicatiorem professionem esse prohibitam, sed proscriptos contrarios haereticorum errores. « Omnis enim lex iniustos a delictis cohibet, non iudices a potestate disiungit; quia et nunc licet, ut ambiguitate quaestionis exorta Patrum interpretationibus nostram confessionem coaptemus. » Vide haec distinctius demonstrata in citata nostra Thesi XLI. n. 2.

Duplex itaque in ipso iam Ephesino et in Chalcedonensi Concilio prolata est sententia de incommutabilitate symboli Nicaeni. Erant qui contenderent, *ipsam formulam* materialiter spectatam esse incommutabiliter retinendam sine ulla additione sive vera sive falsa. Id omni ope obtinere conabantur ipsemet Nestorius, Ioannes Antiochenus ceterique orientales schismatici, Eutyches dein et Dioscorus cum suis haeresis monophysiticae patrocinatoribus. Patres vero tum Ephesini (ut manifestissimum est nominatim ex Cyrilli declarationibus) tum Chalcedonenses contra istos haereticos spectabant *ipsum sensum* symboli, huncque sensum declarabant perpetuo manere incommutabilem; verbum enim Domini manet in aeternum. Ideo ex una parte proscribebant sive additiones sive interpretationes ipsum definitorum dogmatum sensum pervertentes, ex parte altera adversus novos ingruentes errores novas veri sensus explicationes sive in symbolo (ut Constantinopoli factum est) sive per definitiones aequipollentes symbolo (ut factum est Ephesi et Chalcedone) non solum permissas, sed pro munere Ecclesiae custodis fidei etiam necessarias esse decla-

rabant. Hanc eandem sententiam, cum ipsa fidei et Ecclesiae indole et cum Conciliorum theoria ac praxi congruam, defendimus catholici contra Photianos; illam alteram (saltem quod spectat explicationes in symbolo ipso) Photiani adversus catholicam Ecclesiam mutuati sunt ab antiquis haereticis et schismaticis, nobisque occinunt illud Eutychetis et Dioscori: « universalis synodus cuius praesul fuit Cyrillus (ut aiebant illi haeretici) definitionem protulit, eum qui praeter istam fidem (symbolum Nicaenum) *addiderit aliquid,* damnationibus quae tunc scriptae sunt, esse obnoxium » (1).

(1) Fiat quaeso iudicium de turgidis et sane ridiculis Photii declamationibus, quibus in sua Mystagogia de Spiritu Sancto Romanos Pontifices Damasum, Coelestinum, Leonem I, Vigilium, Agathonem suae haereseos patronos iactat non alia ratione, nisi quod synodos II–VI ipsi confirmarunt, in quibus nimirum symbolum sine particula *Filioque* receptum est, et ab Ephesina ac sequentibus prohibitum « aliam fidem » conscribere. Pari absurditate haeresiarcha provocat ad Gregorium M. et Zachariam Pontifices, quorum ille scripsit, hic in graecum vertit libros dialogorum, ubi l. II. c. 38. (sicut saepius in locis aliis) Gregorius explicite profitetur: « quia Paracletus Spiritus *a Patre semper procedit et Filio;* » sed Graeci nimirum versionem Zachariae perverterunt sin minus ad sensum haereticum Photii, ut ipse vellet, certe tamen ad sententiam minus disertam: « quia Paracletus Spiritus a Patre procedit et in Filio manet » (*ότι το παρακλητον πνευμα ἐκ του πατρος προερχεται και ἐν τῳ ὑιῳ διαμενει*). Quam corruptelam iam Ioannes diaconus (Vita b. Gregorii l. IV. c. 75) et deinceps Hugo Etherianus (l. III. c. 21) Graecis exprobrarunt. At graeca etiam verba, ut ea Photius legit, nullum praebent fundamentum declamationi, qua ipse Gregorium et Zachariam, ac consequenter (ut ait) omnes Pontifices intermedios, suae sententiae assertores iactat. Eadem valent de Leone (III. vel IV.), Benedicto III, Ioanne VIII, Hadriano III; de quibus nihil aliud profert nec proferre potuit, nisi quod et ipsi credebant processionem Spiritus a Patre, necdum eorum aetate professio explicita processionis a Filio in Ecclesia Romana fuerat symbolo Constantinopolitano inserta. Mirum enim vero, quod Macarius (p.317) adhuc nunc audet commemorare absurdam illam epistolam ad Photium Ioanni VIII. suppositam, in qua Pontifex ad impetrandam gratiam « sanctissimi et catholici » Photii peierat, se « collocare cum Iuda » omnes qui particulam *Filioque* symbolo addere ausi fuerint, doctrinam hanc ipsam (quam cum suis antecessoribus Ioannes in sua consecratione professus fuerat) esse « blasphemiam; » simul vero protestatur, « se neminem per vim cogere ad additamentum illud dimittendum. » Hoc

3[tio] Difficile dictu est, quid sibi velit Macarius pro sua illa absoluta immutabilitate formulae Nicaenae appellando ad professionem fidei Iustiniani imperatoris. Primum ait imperator, necessarium se putasse « *rectae fidei confessionem* (την της ὀρθης πιστεως ὁμολογιαν) quae in sancta Dei Ecclesia praedicatur, praesenti edicto facere manifestam.» Tum sequitur expositio fidei de SS. Trinitate et prolixissime de incarnatione, prolatis Conciliorum definitionibus ac Patrum Athanasii, utriusque Gregorii Nazianzeni et Nysseni, Cyrilli sententiis. Tertio monet, hanc confessionem fidei non esse aliam quam traditam a Christo, praedicatam ab Apostolis, adversus Arium definitam a PP. Nicaenis in symbolo, adversus Pneumatomachos explanatam a Concilio Constantinopolitano, et a Patribus Ephesinis ac Chalcedonensibus adversus Nestorium et Eutychetem secundum idem symbolum vindicatam. Fides enim quovis tempore una est et incommutabilis. « Haec (quae in sua confessione rectae fidei praemiserat) ita cum universali Dei Ecclesia confitentes, scire volumus omnes Christianos, quod sicut unum Deum et Dominum habemus, ita et unam fidem. *Una enim definitio fidei est, confiteri et recte glorificare Patrem, et Christum Filium Dei, et Spiritum Sanctum.* Hanc confessionem custodimus in quam et baptizati sumus, donatam quidem a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis suis discipulis et Apostolis, ab eis autem praedicatam in toto mundo; trecenti autem decem et octo ss. Patres collecti in Nicaea adversus Arium, illo cum sua impietate condemnato, *eandem confessionem sive symbolum et doctrinam fidei* (την αὐτην ὁμολογιαν ἠ συμβολον και μαθημα της πιστεως) tradiderunt sanctae Dei Ecclesiae; et post illos ss. PP. Constantinopoli.... secuti per omnia idem sanctum symbolum traditum a trecentis decem

figmentum epistolae (apud Mansi XVII. p. 523) nondum erat procusum vel certe ex conscientia fraudis ab ipso Photio occultabatur, quo tempore ille suam Mystagogiam scribebat, aliquamdiu post obitum Ioannis et etiam successoris eius Hadriani III. (Vide Mystagogiam Photii n. 78-89 cum notis cl. Hergenroether editoris, et eiusdem insignem Historiam Photii T. II. p. 541. sqq.).

et octo ss. Patribus. Insuper autem qui in Epheso prius et qui in Chalcedone convenerunt... secuti per omnia praedictum sanctum symbolum condemnaverunt haereticos cum eorum impietate. »

Quaero iam, haec una eademque *confessio rectae fidei, una definitio fidei, unum symbolum et mathema fidei*, ut dicitur contineri in praedicatione Christi et Apostolorum, in symbolo Nicaeno, in explanatione Constantinopolitana, in definitionibus Ephesinis et Chalcedonensibus adversus Nestorianos et Monophysitas, in ipsa prolixissima confessione Iustiniani, de cuius identitate cum eodem symbolo imperator potissimum agit, intelligiturne secundum sensum rectae fidei, an materialiter secundum verba? Puto, ne ipse quidem Macarius negabit, unice spectari omnium istorum documentorum congruentiam quoad ipsam rectam fidem ac doctrinam, hocque sensu in omnibus esse *unam fidei definitionem*, ut Iustinianus loquitur. Atqui si ita est, *alia definitio fidei sive aliud symbolum et doctrina alia fidei*, quam Ephesinos Patres proscripsisse Iustinianus refert in oppositione *ad unam illam fidei definitionem* immediate antea ab ipso declaratam, necessario intelligitur *definitio seu symbolum contrarium*, quo sensus doctrinae Christi, Apostolorum, Conciliorum antecedentium, totius Ecclesiae immutaretur.

Relatio ergo istius decreti Ephesini, quam Iustinianus post superiora continuo subiicit, et cui Macarius ad suum figmentum persuadendum innititur, intelligitur penes Iustinianum in sensu illo genuino, quo ipsum decretum contra Nestorianos errores « symbolo falsato » insertos Ephesi conditum est, de doctrinis inquam contrariis non inserendis, nequaquam autem sensu Photiano de ipsis sinceris explanationibus rectae fidei. Post expositam nimirum *unitatem definitionis fidei* in doctrina Christi, Apostolorum, quatuor synodorum antecedentium, suaeque ipsius confessionis, ita Iustinianus prosequitur. « Et super haec anathematizaverunt eos, qui *aliam* definitionem fidei sive symbolum et doctrinam tradunt accedentibus ad sanctum baptisma, vel ex quacumque haeresi conversis, praeter traditam, sicut

dictum est, a trecentis decem et octo ss. Patribus, et explanatam a centum quinquaginta ss. Patribus. »

Imperator nimirum in contextu spectat partem dogmaticam decreti, quod numquam licet edere professionem, quae sit *alia* praeter illam unam fidem et definitionem in tota doctrina revelata a Christo et proposita ab Ecclesia Dei. Partem vero disciplinarem, quod mutatio etiam materialis in symbolo solemni ac universali legitime fieri non potest nisi auctoritate suprema super totam Ecclesiam, Iustinianus non attingit nisi forte indirecte, eo quod explicite loquitur de usu symboli solemniori in collatione baptismi et abiuratione haereseos.

Teneat itaque Macarius et diligenter meditetur verba Iustiniani, quibus suam confessionem concludit. « Si quis post eiusmodi rectam confessionem et haereticorum condemnationem salvo manente pio intellectu, de nominibus vel syllabis vel dictionibus contendens, separat se a sancta Dei Ecclesia, tamquam non in rebus sed in nominibus solis et dictionibus posita nobis pietate; talis utpote dissensionibus gaudens, rationem pro semetipso et pro deceptis et decipiendis ab eo reddet magno Deo et Salvatori nostro Iesu Christo in die iudicii » (Mansi T. IX. p. 538. sqq.).

4° Praeter orientales de quibus hactenus diximus, habet praeclarus noster interpres etiam doctores occidentales, qui symbolum in ipsis singulis verbis declaraverint absolute incommutabile.

Primum in epistola Agathonis Pontificis ad imperatores quae lecta et suscepta est in Concilio VI, reperit aliquid dictum *de verbis illibate conservandis;* nec iam quidquam sollicitus de scopo illius epistolae Pontificis, de verborum sensu, de principiis illic propositis, quibus sicut haereses omnes excluduntur ita Photianum schisma clarissime praedamnatum est, continuo suis sectatoribus quos novit ipsa documenta nunquam lecturos esse, persuadet. Agathonem damnasse additionem particulae *Filioque,* quae utique et ipsa aliquod *verbum* est. Locus quem ex illis litteris recitat, ita habet. « *Quae regulariter* (κανονικῶς) *a sanctis apostolicis praedecessoribus* (Romanis Pontificibus, quoru

nempe definitiones aeque sunt ex promissis Christi infallibiles et irreformabiles ac oecumenicorum Conciliorum, ut Pontifex paulo post demonstrat) *et a venerabilibus quinque Conciliis definita sunt;* cum simplicitate cordis et sine ambiguitate a Patribus traditae fidei conservamus, unum et praecipuum bonum habere semper optantes atque studentes, ut nihil de eis quae singulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, *sed eadem et verbis et sententiis illibata* custodiantur » (1). Haec suo modo recitat et in his exsultat Macarius. Pontifex vero hisce verbis declarat mandata, quae dederat suis legatis ad Concilium VI. oecumenicum litterarum istarum portitoribus. « Quibus portitoribus, inquit, et testimonia aliquorum ss. Patrum, quos haec Apostolica Christi Ecclesia (Romana) suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut.... ex his dumtaxat satisfacere studeant, dum imperialis mansuetudo praeceperit, quid haec

(1) *Ἵνα μηδεν παρα τα κανονικως ὁρισθεντα μειωθῃ, μηδεν ἀλλαγῃ ἠ προστεθῃ, ἀλλα ταυτα και ῥημασι και νοημασιν ἀπαρατρωτα φιλαχθωσιν.* Nimirum mandat Pontifex, ut definitiones fidei antecedentium Pontificum (sine dubio respicit potissimum illas Leonis I. et Martini I. in causa monophysitica et monotheletica) et oecumenicorum Conciliorum maneant *incorruptae, sine vulnere* (hoc enim significat *ἀπαρατρωτον*), cuiusmodi vulnus etiam unius vocis aut syllabae additione aut subtractione infligi potest, ut e. g. monotheletae praedicabant *unam personalem* operationem et voluntatem Christi; Ecthesis Heraclii et Typus Constantis vetabant dici sive *unam* sive *duas* voluntates; monophysitae subtrahebant in definitione Chalcedonensi particulam, Christum esse *in* duabus naturis, substituentes alteram *ex* duabus naturis. Propter quam corruptionem ac vulnerationem fidei definitae Agatho in hac ipsa epistola ponit explicitam professionem, atque in ea credendas esse dicit duas Christi naturas, *ex quibus et in quibus* (*ἐξ ὧν και ἐν αἱς*) etiam post unitionem subsistit, atque *duas naturales* voluntates et operationes.

Macarius vero nihil cogitans de definitionibus generatim, de quibus Pontifex loquitur, sed soli symbolo Constantinopolitano, et particulae *Filioque* ubique impingens, ut hominibus stupidis fucum faciat, verba citata ita vertit: « Qu'on ne change ne retranche et n'ajoute rien à tout ce qui a été regulierement statué; qu'au contraire tout soit conservé inviolable *dans les mêmes termes* et dans le même sens » (l. c. p. 582). Sed Pontifex non ait nec sine manifesta contradictione potuit statuere, ut omnia maneant *in iisdem verbis;* sed dicit ut omnia dogmata a suis praedecessoribus vel a quinque Conciliis definita maneant sibi identica et nec verbis nec sententiis *corrumpantur.*

spiritualis mater eorum (Constantini Pogonati et filiorum) ac a Deo propagati imperii, apostolica Christi Ecclesia credat et praedicet... Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus, apud tranquillissimum vestrum imperium, dum iusserit eius clementia, simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat iniunctum est, *ut nihil profecto praesumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem huius apostolicae Sedis, ut a praedecessoribus apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare* » (1). (Mansi T. XI. p. 235).

Pontifex generatim loquitur de fide ab Apostolis tradita ac speciatim, quatenus ea erroribus monotheletarum opponitur. Nullo autem facto discrimine inter documenta, quibus nobis conservata est, declarat fidem apostolicam sive in symbolis, sive in definitionibus Conciliorum, sive in decretis Romanorum Pontificum, sive generatim in traditione Romanae Ecclesiae comprehensam debere servari illibatam tum verbis tum sententiis. Quae sane non excludunt fidei ulteriores declarationes, cuiusmodi ipse s. Agatho in his litteris et Concilium VI. cui litterae Pontificis destinatae erant, et Pontifices ac Concilia quovis tempore dederunt; sed simpliciter arcetur fidei traditae *corruptio*, sive haeresis singulis quibusdam *verbis* subdole inducatur, ut nominatim a monophysitis et monotheletis tentatum est, sive manifestis sententiis palam proponatur. De discrimine autem inter *verba et sententias* in symbolo et in aliis definitionibus non solum nulla est mentio; sed illud tum ex ipsa rei natura, quoniam de fidei *corruptione* agitur, tum claris verbis Pontificis omnino excluditur.

5° Alter testis ex Ecclesia occidentali ad quem Macarius pro damnatione insertionis particulae *Filioque* appellare non veretur, est Alcuinus, cuius verba profert ex epistola ad Fratres Lugdunenses. « Novas Hispanici erroris sectas tota vobis cavete intentione; sanctorum Patrum in

(1) *Ἀλλα την παραδοσιν τουτου του ἀποστολικου θρονου, καθως ὡρισθη ἀπο των προηγησαμενων ἀποστολικων προεδρων, εἰλικρινως ἐξηγησασθαι.* Utinam haec meditaretur, et sicut suscepta sunt a Patribus Concilii VI, susciperet Macarius; iam enim schismaticus non esset.

fide sequimini vestigia, et universali Ecclesiae sanctissima vos adiungite unanimitate. Scriptum est: terminos Patrum tuorum ne transgrediaris. Et symbolo catholicae fidei nova (1) nolite inserere, et in ecclesiasticis officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere » Alcuin ep. 90. (ed. Migne T. C. p. 288.).

Haec omnia Macarius refert ad damnationem particulae *Filioque,* « quando (inquit) in occidente disputatio excitata est de eius additione, quae ad symbolum iam facta erat in Ecclesia Hispanica » (p. 582.).

Alcuinus itaque totam Ecclesiam Hispaniae velut *novam sectam* damnasset, primo quidem propter ipsam doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque, quae sit contraria fidei ac traditioni ss. Patrum; tum vero ob huius erroris insertionem in symbolo, quae *a novis sectis* Hispanicis adeoque nuper tempore Alcuini facta sit. Atqui haec non solum falsa sunt, sed ita evidenter absurda, ut nulli homini sanae mentis et omnium minime Alcuino tribui possint.

Quis enim anno 798. quo epistola scripta est, doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque potuisset dicere *errorem novarum sectarum,* cum ea (ut in Tractatu de Trin. satis demonstravimus) fuerit communis fides totius Ecclesiae ac nominatim totius Ecclesiae occidentalis? Quis dicere potuisset insertionem in symbolo factam esse *a nova secta* Hispanica, cum illa additio decreta fuerit ante tria saecula in Concilio Toletano II. (anno 447.) et inde ab anno 589. ex decreto Concilii Toletani III. in liturgia Ecclesiarum Hispaniae cantari consueverit? In regno autem Francorum inter theologos familiares Carolo M. quomodo quispiam alius, et maxime quomodo Alcuinus haec tanta monstra parturire potuisset, cum in sacello palatino Caroli aliisque Ecclesiis regnorum eius symbolum inserta eadem

(1) Editores sub parenthesi hic addunt vocem *(nomina),* quae quidem sive additio sive explicatio necessaria ex contextu non apparet, optime tamen congruit modo loquendi Alcuini, qui saepe Adoptianis *nova nomina* exprobrat ab ipsis invecta *filii adoptivi* et *Dei nuncupativi.*

additione iam adoptatum (1), et Alcuini ceterorumque praecipuum studium positum fuerit in asserenda et illustranda hac ipsa doctrina fidei, adeo ut ipsam formulam Graecorum qua dicitur processio *a Patre per Filium,* suspectam habentes omnino Spiritum Sanctum *a Patre et Filio* procedere profitendum esse defenderent? Quod quidem suo loco demonstravimus ex libris Carolinis, quibus (scriptis anno 790 octennio ante epistolam ad Lugdunenses) etiam Alcuinum suam operam praestitisse satis constat (cf. Hefele Hist. Conc. T. III. p. 654. sqq.). Certe Alcuinus data opera ad demonstrandam processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio scripsit et Carolo M. dicavit librum integrum (Migne CI. p. 64. sqq.), qui ut in ipsa inscriptione indicatur, totus est contextus ex testimoniis Scripturae et Patrum, « in quibus aperte ostenditur, quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, et quod certe Spiritus Sanctus Patris et Filii vocatur Spiritus. » In aliis quoque suis operibus passim Spiritum Sanctum docet a Patre et Filio procedentem ea ratione, ut manifestum sit hanc professionem fuisse extra controversiam penes catholicos generatim et maxime penes theologos Caroli M., nominatim vero ab Alcuino non modo non habitam ut « errorem novarum sectarum, » sed omnino defensam ut articulum antiquae fidei catholicae. Vide Alcuinum Comment. l. IV. c. 17. in Io. VII. 23; l. VI. c. 27. in Io. XV. 26; de Fide Trinitatis l. I. c. 13. 14; l. II. c. 19. 20; in symbolo l. III. ad finem; in confessione fidei (edita a Chiffletio et etiam a Mabillonio asserta Alcuino) P. I. n. 12. 15. 16. 18. 22. 23. 26; P. III. n. 1. 2. 6. 10. 22. 24.

Quas « novas Hispanici erroris sectas » Lugdunensibus tota cavendas intentione dixerit Alcuinus, nemo dubitare

(1) Quod Henricus Canisius censuit (Veter. lect. T. II. p. 397), hunc usum ex suasione Leonis III fuisse in regnis Caroli intermissum, atque ideo quae Alcuinus in nostra epistola ad Lugdunenses scribit de novis nominibus symbolo non inserendis, referri ad istam suasionem Leonis, non solum falsum sed etiam absurdum est. Consilium enim illud a Leone datum est legatis Caroli post synodum Aquisgranensem anni 809 (vide nostram Thesim XLI.), Alcuinus scripserat epistolam ad Lugdunenses anno 798, et vita functus est anno 804. sexennio ante illam collocutionem Leonis cum legatis habitam anno 810.

potest, qui historiam illius temporis et scripta ipsius Alcuini expenderit. Monet Frobenius Forster Alcuini operum editor, « primum et praecipuum negotium quod beatum Alcuinum a Carolo M. ex Anglia in Franciam evocatum occupavit, fuisse oppugnationem novae, quae tunc in Hispania exorta in Franciam quoque grassari coepit, sectae Adoptianorum.» Contra hanc sectam scripsit suos libros, primo unum deinde septem adversus Felicem Urgellitanum, quatuor alios adversus Elipandum Toletanum, pluresque epistolas. In hisce scriptis de Adoptianorum « nova secta, » de « novis nominibus, » de « Hispanico errore, » de doctrina contraria « catholico universalis Ecclesiae symbolo » iisdem paene verbis loquitur, quae ex epistola ad Lugdunenses a Macario citantur. In epistola ad Laidradum episcopum Lugdunensem, quem etiam in illa ad Lugdunenses a Macario citata nominat, mittens quatuor libros contra Elipandum suam pro fide meridionalis Galliae sollicitudinem explicat. « Maxime vestrae sanctissimae dilectioni in hac gratia meum sudare ingenium,... ratum arbitror, *ne vicina pestis Hispanici erroris aliquorum inter vos mentes maculare valeat* » (Migne T. CI. p. 231.). In libris contra Elipandum declarat, per doctrinam de Filio Dei adoptivo contrarium aliquid addi vel minui in symbolo Ecclesiae. « Qui negat, unigenitum Dei Filium pro mundi salute crucifixum esse sub Pontio Pilato, passum et sepultum, et tertia die resurrexisse, *omnino contrarius est catholico universalis Ecclesiae symbolo,* in quo *verissime decantatur* (1), haec omnia in unigenito Dei Filio facta esse » (cont. Elipand. l. IV. n. 4.). « Procul dubio alius spiritus per te praedicat Christum adoptivum filium et nuncupativum Deum, alius vero

(1) Ex his *a*) discimus, sicut in Hispania, ita et in regnis Caroli ante annum 800, quando Alcuinus haec scripsit, iam *decantari* consuevisse symbolum, in quo constat fuisse particulam *Filioque; b*) pariter ex his ad symbolum appellationibus contra Adoptianos intelligimus, quod narrat Walafridus Strabo (de rebus eccl. c. 22. Migne T. CXIV. p. 947): « apud Gallos et Germanos post deiectionem Felicis haeretici sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati (post Concilium igitur Francofurthiense anni 794), idem symbolum latius et crebrius in Missarum coepit officiis iterari. »

per Apostolos Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, Deum verum et proprium Dei Filium, quorum praedicationi nos toto corde consentimus, *nil omnino eorum addentes vel minuentes* sacratissimae doctrinae, *vel universali symbolo, vel ecclesiasticae consuetudini, sed nosmet ipsos intra terminos paternae traditionis et catholicae fidei veritatem firmiter statuentes* » (ibid. n. 14.). Monet Elipandum: « nec *nova quaelibet nomina* permittas paternis inseri traditionibus... *nec novum adoptionis nomen in Christo,* et ab initio apostolicae praedicationis mundo inauditum permittas sonari vel legi vel praedicari christianis auribus » (ep. ad Elipand. n. 1. Migne CI. p. 236.). Conqueritur, Adoptianos « in ultimo tempore mundi *nova quaedam nomina,* inaudita priscis temporibus, fingere de Christi Domini humanitate, vel divinitate (quam nempe dicebant *nuncupativam*) illius, qui ex Virgine natus est » cont. Felicem l. I. n. 4; cont. Elipand. l. IV. n. 14. Appellat eos « *novam et antiquis temporibus inauditam sectam* » cont. Felic. l. I. n. 7; l. II. n. 10; ep. ad Laidradum; cont. Elipand. l.I. n. 16; l. IV. n. 5.

Sine ullo itaque dubio, quae Alcuinus in epistola ad Lugdunenses scribit de « nova secta Hispanici erroris, » et de « novis symbolo non inserendis, » referuntur omnia ad errorem eundem, quo Christum hominem dicebant Filium Dei non naturalem sed adoptivum, atque ita sicut in Christo duas personas, ita in symbolo professionem quatuor personarum invehebant, qua de corruptione symboli iam antiqui Patres adversus Nestorium conquesti sunt (vide Tract. de Incarnat. Th. XVII.). Quod vero Alcuinus in proxime sequentibus agit contra adoptianismi haeresim, id non solum non obest sed magis confirmat, quae diximus. Primum enim universim monet cavendas sectas Hispanici erroris; tum distincte licet brevissime confutat eundem adoptionis errorem ex auctoritate synodi Francofurthiensis et ex dogmate catholico de una persona, Christo Deo et homine.

Illud quod Alcuinus in sua epistola addit, « et in ecclesiasticis officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere, » Frobenius Forster editor refert ad sale

in sacrificio Missae non adhibendum et ad trinam immersionem in baptismo, de quibus in altera parte epistolae agitur. Mihi tamen ob intimam cum antecedentibus connexionem haec quoque contra Adoptianorum argumentationes dicta esse videntur. Illi enim iam in sua epistola ad Carolum M. n. 11. scripta ante Concilium Francofurthiense (Migne T. XCVI. p. 874.) et postea in epistola ad Alcuinum n. 8. (ib. T. CI. p. 1324.) appellaverant pro sua haeresi ad « testimonia sanctorum Patrum venerabilium Toleto deservientium *in Missarum oraculis* edita, » ad testimonia scilicet liturgiae mozarabicae. Patres Francofurthienses cum contextum ipsum istorum testimoniorum examinare aut nollent aut nequirent, supposito sensu quem Adoptiani obtrudebant, in epistola synodica ad Episcopos Hispaniae n. 7. (Migne CI. p. 1333) anno 794. precum huiusmodi liturgicarum auctoritatem admittere recusabant, quoniam illae in eo nimirum sensu acceptae repugnarent liturgiae Romanae (1). Alcuinus vero postea circa annum 800. cont. Elipand. lib. II. n. 7-9. (ib. p. 264.) partim affirmavit, « iuniores quoslibet huius novae infidelitatis catenis colligatos ad perditionem sui ipsorum dicta sanctorum corrupisse doctorum, et suorum pessima pertinacia maculasse nomen parentum, » partim ostendit textus prolatos non de Christi sed de nostra adoptione interpretandos esse, et quomodo demum cumque intelligantur, eis itidem sicut factum est a Patribus Francofurthiensibus opposuit liturgiam s. Gregorii Magni.

Has igitur « a iunioribus corruptas » et « priscis temporibus inauditas traditiones » anno 798. monuit « in ecclesiasticis officiis non esse diligendas; » totaque intentione cavendum esse, ne Hispanici erroris nova dogmata sym-

(1) « Melius est testimonio Dei Patris credere de Filio suo, quam Ildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis et sancta Dei non habet Ecclesia; nec vos in illis exaudiri putamus. Et si Ildefonsus vester in orationibus suis Christum *adoptivum* nominavit, noster vero Gregorius Pontifex Romanae Sedis et clarissimus toto orbe doctor in suis orationibus semper eum *unigenitum* nominare non dubitavit » PP. Francofurthienses l. c.

bolo inserantur, quo nempe errore fides in Iesum Christum Filium Dei unigenitum pervertitur ad haeresim de Iesu Christo filio Dei adoptivo. Undequaque vero absurdum est haec transferre ad professionem de Spiritu Sancto procedente a Patre et Filio, quam Alcuinus semper retinuit et data opera defendit ut antiquam fidem catholicam in Scripturis expressam et a Patribus traditam.

CAPUT II.

DE MACARII ARGUMENTATIONE EX STATUTIS SYNODI PHOTIANAE.

Unum adhuc reliquum est in citationibus Macarii documentum insigne graecae perfidiae. Concilium, inquit, integrum sub Basilio imperatore et patriarcha Photio celebratum Constantinopoli anno 867, cui praeter magnum numerum Episcoporum omnes oecumenici (sic) patriarchae ipseque Pontifex Romanus in suis legatis interfuerant, quodque totam repraesentans Ecclesiam in oriente diu numeratum est octavum oecumenicum, expresse et velut data opera contra Latinos repetiit prohibitionem Ephesinam statuitque incommutabilitatem symboli. Ac citatis deinde verbis huius tam magni Concilii anni 867. non immerito habendi ut oecumenici, repetit synodo interfuisse legatos Pontificis Ioannis VIII, « qui ad exemplum omnium aliorum praesentium dederunt et ipsi sequens suffragium: iustum hoc est, ne componatur amplius alia regula fidei » (1).

(1) Tout un Concile de pasteurs, qui s'assembla à Constantinople du temps de l'empereur Basile et du patriarche Photius (an 867), et qui passa longtemps en Orient pour le huitième œcuménique: il représentait en effet toute l'Eglise œcuménique; car outre un grand nombre d'évêques qui y assistaient en personne, tous les patriarches œcuméniques et le pape lui-même y étaient présents dans la personne de leurs Vicaires. Eh bien! là encore une fois à la face du monde entier, et comme tout exprès contre les Latins, qui déjà avaient admis le *Filioque*, l'Eglise œcuménique répéta en toute précision la défense du Concile d'Ephèse quant à l'invariabilité du symbole.... A ce Concile, rédisons-le, assistaient aussi les délégués du Pape Jean VIII; Jean lui-

Apparet hic iterum, Macarium nulla habita ratione historiae et documentorum suis alumnis, confisum eorum ignorantia, propinare quidquid mendaciorum in libris polemicis suae sectae (e. g. Nili Rhodii, vide Mansi XVII. p. 371.) scriptum reperit. Operae pretium non putavit nec pro suis lectoribus necessarium quaerere de modo et forma et de fide auctorum in isto « Concilio repraesentante totam Ecclesiam oecumenicam; » quid in mandatis habuerint, et quid in eo egerint legati Pontificis? quid Pontifex de Concilio ipso et de suis legatis iudicaverit? quomodo Concilio anni 867. adesse potuerint legati Ioannis VIII, qui Pontifex creatus est die 14. Decembris 872? De his dicam paulo prolixius, quam praesens locus postularet, ut ex fraudibus et corruptelis inauditis Photii et Photianorum, quae constituunt ipsa incunabula totius schismatis, clarius perspiciatur, quo iure Photiani de Latinorum interpolationibus tragoedias excitent in sequenti sectione a nobis examinandas.

1° Tria congregavit Photius latrocinia, quae omnia a suis aliquando dicta sunt « Concilia oecumenica. » Primum anno 861. et alterum anno 867. habuit in sua prima invasione sedis Constantinopolitanae, tertium anno 879-880. in usurpatione secunda. Anno 861. ut consentientem habere videretur Sedem Apostolicam, praesentibus legatis a latere Rhadoaldo Portuensi et Zacharia Anagnino Episcopis, quos s. Nicolaus I miserat cum mandatis examinandi tantummodo et ad Pontificem referendi causam Photii invasoris et Ignatii patriarchae, ille congregavit 318 Episcopos, atque in hac sua synodo corruptis legatis et nefarie truncatis ac interpolatis litteris Pontificis, s. Ignatium multis cruciatibus affectum e sede patriarchali expulit suamque

même en parle et les désigne par leur nom, et dans cette occasion solennelle à l'exemple de tous les autres assistants ils donnèrent leur voix comme suit: cela est juste; que l'on ne compose plus une autre règle de foi. Macarius l. c. p. 584. 585.

Verba Conciliabuli legi possunt in textu graeco apud Mansium T. XVII. p. 516. Macarius in sua versione, ut solet, ea pro lubitu transmutat, sed haec versionis vitia demonstrare non est operae pretium; sine dubio enim Photius quoad rei summam id voluit, quod ait eius dignissimus discipulus.

intrusionem confirmavit. Nicolaus vero compertis hisce facinoribus, Photium declaravit « omni sacerdotali honore et nomine alienum et omni clericatus officio prorsus exutum,» ac porro nisi obtemperaverit Pontificiae sententiae, « anathematis vinculis innodatum una cum communicatoribus suis; » rescidit acta omnia « latrocinalis illius Concilii, in quo Ignatius deponi putatus est; » legatos suos praevaricatores « depositionis et excommunicationis sententia » damnavit. Distincte expositam habemus totam historiam in epistolis s. Nicolai I in causa Photii scriptis, quas Pontifex ipsemet simul collectas « ad universos catholicos » misit (Mansi T. XV. p. 159. sqq. epp. 1-16.).

Postquam Photius omnibus fraudibus confirmationem sui episcopatus a Pontifice Nicolao obtinere non potuit et se suosque complices condemnatos vidit, coegit vel magnam saltem partem finxit anno 867 Conciliabulum alterum, in quo egregius historicus noster Macarius affirmat damnatam esse additionem particulae *Filioque* in symbolo. Quae gesta et conficta fuerint in hac pseudosynodo anni 867, novimus ex iis, quae referuntur in Vita s. Nicolai I, in Vita s. Ignatii auctore Niceta Paphlagone, in Concilio Romano anni 869. sub Hadriano II Nicolai (defuncti 13 Novembris 867) successore, et maxime in Concilio VIII. vere oecumenico, quod hoc ipso anno 869. celebratum est (Mansi XV. 157; XVI. 123-129. 136-138. 155. 156. 163. 174. 184. 198. 255. sqq. 418.). In latrocinio isto anni 867 Photius fingendo plurimas subscriptiones, et homines quosdam de trivio assumens velut vicarios patriarchatuum orientalium, ausus est sententiam excommunicationis et depositionis dicere contra Romanum Pontificem (1). Acta a Photio pro lubitu conscripta tum Romae in synodo Hadriani II, tum in Concilio oecumeni-

(1) Legati Pontificis Romani huic latrocinio nulli interfuerant. Donatus Episcopus Ostiensis, Leo presbyter et Marinus diaconus Ecclesiae Romanae missi quidem erant a s. Nicolao ad exsequendas sententias contra Photium invasorem; sed cum per Bulgariam ad fines imperii Byzantini pervenissent, proposita eis est professio fidei cum omnibus calumniis contra Ecclesiam catholicam, ut continebantur in Photii encyclica paulo ante missa ad orientales, et sponsio communi-

co VIII. damnata et igni tradita sunt. In eodem Concilio VIII. sententiae Nicolai I. contra Photium eiusque sectatores et pro restitutione s. Ignatii adoptatae sunt; sed propter facinus contra Romanum Pontificem patratum nova addita est sententia damnationis et excommunicationis. « Quoniam quidem apparuit Photius post prolatam contra se iustissimam sententiam et damnationem a sanctissimo Papa Nicolao propter nequissimam invasionem Constantinopolitanorum Ecclesiae, cum aliis malis operibus suis etiam quosdam nequam et adulatores de plateis et vicis invenisse, et vicarios hos sanctissimarum trium patriarchalium sedium orientis nominasse ac proposuisse, atque cum his ecclesiam malignantium et concilium vanitatis colligens depositorias accusationes et crimina contra beatissimum Papam Nicolaum commovisse, et anathema procaciter et audacter contra eum et cunctos communicantes ei saepe promulgasse, quorum quasi monumentorum libros nos quoque vidimus ab ipso maligno opere ac fallaci dictatione consutos, qui etiam synodice ab igne consumpti sunt: huius rei gratia pro cautela ecclesiastici ordinis anathematizamus quidem primitus praedictum Photium etiam propter huiusmodi causam (1), deinde vero omnem qui amodo in calliditate frau-

cationis cum Photio subscribenda. Hanc professionem et sponsionem iudicibus a reo propositam cum illi utique recusarent, coacti sunt rebus infectis Romam reverti, postquam per quadraginta dies frustra expectaverant mutationem consiliorum imperatoris Michaelis Ebriosi (τοῦ μεθυστοῦ).

(1) In synodo Romana quae inserta est Actioni VII. Concilii VIII. Hadrianus II Pontifex hanc tulit sententiam cap. 2. « Photium, licet sit a decessore meo et a nobis pro criminibus ante patratis iure damnatus et anathematizatus, nunc tamen quia recentioribus excessibus priores iniquitates valde transcendit, et ponens in coelo os suum adversus veneranda Sedis Apostolicae privilegia novâ temeritate prorupit, dum scilicet ordinationi supremae in beati Petri Apostoli principatu dispositae resistere minime formidavit... apostolicae auctoritatis censura iterato damnamus, et pro his specialiter anathematis nexibus innodamus, hunc scilicet cum Dioscoro, cuius (in latrocinio Ephesino damnare ausi Leonem Pontificem) in hoc imitator exstitit, merito sociantes et sanctae magnae Chalcedonensi synodo, in tam pernicioso puniendo praesumptore, per omnia concordantes » (Mansi XVI. p. 129).

dulenter egerit, et verbum veritatis adulteraverit, et falsos vicarios simulaverit, vel libros dictatus mendacis finxerit » etc. canon. 6. Conc. VIII. (Mansi XVI. p. 163.) Confer can. 21, in compendio graeco can. 13. et « terminum (τὸν ὅρον definitionem nempe) sanctae universalis synodi » (ibid. p. 174. 184. 405.).

2° Re tamen vera « Concilium pastorum repraesentans totam Ecclesiam oecumenicam, » ad quod Macarius appellat, non aliud est quam latrocinium tertium anni 879-880. in fraudibus graecis et in praevaricatione legatorum Pontificis simillimum primo Conciliabulo anni 861.

Photius ab oecumenico Concilio VIII. condemnatus et ab imperatore Basilio Macedone relegatus in monasterium, posthac sibi reconciliaverat animum imperatoris dolo malo, quidquid sit de modo doli, quem narrat Nicetas in Vita Ignatii (Mansi XVI. p. 283.). Certe vivo adhuc patriarcha s. Ignatio revocatus ab exilio cum suis sectatoribus multas dissensiones ac turbas concitavit; Ignatio autem (23. Octobris 878. vel 877.) defuncto, Photius ab imperatore iterum intrusus est in sedem patriarchalem. Continuo tam imperator quam Photius legatos et epistolas mendaciis refertas miserunt ad Ioannem VIII. successorem Hadriani II, postulantes confirmationem restitutionis Photii. Ioannes suos legatos destinavit Paulum Anconitanum et Eugenium Ostiensem Episcopos, qui in causa Bulgariae missi ad Ignatium iam versabantur Constantinopoli, iisque addidit Petrum presbyterum Ecclesiae Romanae, instructum sex documentis, quinque nimirum epistolis ad imperatores, ad Clerum Constantinopolitanum, ad Photium, ad Episcopos et patritios Ignatii partibus addictos, ad suos legatos Paulum Anconitanum et Eugenium Ostiensem, quibus sexto accedit « commonitorium » seu instructio pro ipsis tribus legatis. Ex hisce documentis non modo discimus, quae fuerit sententia Pontificis; sed etiam certi reddimur de impudentibus fraudibus Photii in suo Conciliabulo patratis. Conservavit nempe divina providentia ipsum textum latinum originalem epistolarum Pontificis; unde versionem graecam a Photio adornatam et lectam in Conciliabulo videmus corruptam et omnino in alium, saepe

contrarium sensum confictam in iis omnibus partibus, quae ipsam summam rei et sententiam Pontificis continent (1).

In epistolis ad imperatores et ad Photium, quae sunt longe praecipuae, potissima quae Pontifex constituit, in textu originali genuino ita habent. *a*) Docet clarissime divinam originem et auctoritatem primatus Romani Pontificis. « Romanae Sedis cuncta subiicitis auctoritati, ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum omnium principem, Domino loquente praeceptum est: pasce oves meas. *Quam esse vere omnium Ecclesiarum Dei caput,* et beatorum Patrum praecipuae regulae et orthodoxorum principum statuta declarant, et pietatis vestrae (imperatorum) reverendissimi apices attestantur » (Mansi XVII. p. 137.). Photius in sua paraphrasi haec omnia transvertit, ita ut de Romana Sede hoc unum dicat: « Sanctam Romanam Ecclesiam per vestros apocrisiarios et per divinas vestras litteras adiistis; » reliqua vero referat non ad Sedem Romanam, sed ad solum s. Petrum, « quem caput omnium Ecclesiarum Dominus constituit » (ibid. p. 396.).

b) Pontifex ait, precibus imperatoris permotum et propter temporum necessitatem se in animum induxisse nunc post obitum patriarchae Ignatii Photio licet usurpatori veniam dare, eumque pro suprema in s. Petro sibi concessa potestate a censuris cum suis sectatoribus absolvere et in sedem Constantinopolitatam admittere. « Nos itaque serenitatis vestrae preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piae memoriae patriarcham de praesenti vita iam migrasse cognoscimus, *temporis ratione perspecta,* hoc modo decernimus *ad veniam pertinere,* quod nuper de ipso Photio, licet ipse *absque consultu Sedis nostrae officium sibi inter-*

(1) Quod Mansius aliquando coniectavit, Ioannem VIII. epistolam ad imperatores quae est in eius regestis, commutasse in aliam, ut ea a Photio recitata est in Conciliabulo (Mansi XVII. p. 527), id vir doctissimus ipsemet postmodum retractavit (in Nota ad Nat. Alexandri Hist. Eccles. sec. IX. dissert. 4. §. 27), et ab aliis confutatum est (Hefele Hist. Conc. T. IV. p. 438; Hergenroether Hist. Photii T. II. p. 414. 415); reque vera absurdum esse facile intelliget, quisquis indolem schismaticam commutationum in paraphrasi Photiana consideraverit.

dictum usurpaverit, gestum constat fuisse (dum scilicet imperator eum triduo post obitum Ignatii in sedem patriarchalem intrusit.)... Et nos quibus secundum Apostolum omnium Ecclesiarum Dei sollicitudo incumbit, controversiam aliquam in Ecclesia Dei amplius remanere nolentes, hunc ipsum patriarcham cum omnibus sive Episcopis sive presbyteris sive ceteris clericis et omnibus laicis, *in quos iudicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticae sanctionis vinculo absolvimus,* sanctaeque Constantinopolitanae Ecclesiae iudicamus recipere sedem dominicique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti quam Ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso Apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem Salvatore beatum Petrum Apostolum prae ceteris specialiter delegante: tibi dabo claves regni coelorum... et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis » (ibid. p. 137. 138). Haec omnia Photius in sua versione transfert ad alium plane sensum. Illic Pontifex inducitur attestans, se iam pridem tempus opportunum quaesivisse ad restituendum Photium in suam propriam sedem, impudentibus laudibus cumulatis in usurpatorem. « Nec enim fas esse duximus (ibi dicitur) talem ac tantum virum inertem et otiosum permanere; sed in sublimi vestra Ecclesia rursum impositum ac refulgentem consueta sibi et Deo accepta erga sacerdotes et Episcopos opera perficere.» De patriarcha Ignatio defuncto, de venia, de censuris, de absolutione nullus est sermo, imo audet impostor absolutionem referre ad Episcopos catholicos, qui in Concilio VIII. subscripserant Photii condemnationi. « Scripsisti nobis (ait ibi Pontifex imperatori), ut apostolica plenaque humanitatis viscera aperientes, omnes e vestra Ecclesia, quotquot aut propria manu subscribentes transgressi sunt, aut quacumque alia ratione canonis obnoxii poenis fuerunt, susciperemus curamque gereremus pacis et concordiae.» Quod Pontifex dixit de usurpatione officii interdicti, Photius ita interpretatur: « tametsi vestra (imperatoris) pietas viro vim prius attulit, restituendo eum ante nos, hoc est antequam nostri legati illuc advenirent; nos tamen hoc sanamus, non ex nostra

auctoritate, quamvis hoc faciendi potestatem habemus, sed ex apostolicis constitutionibus et Patrum decretis documenta sumentes » (ibid. p. 397. 401.).

c) Pontifex in sua genuina epistola receptionem Photii excusat exemplis Donatistarum et Bonosianorum, qui redeuntes ad Ecclesiam in suis honoribus recepti sunt, quando conservatio pacis ecclesiasticae id postulare videbatur (ib. p. 137.). Photius in sua interpretatione longe aliter argumentantem inducit Pontificem. Si (inquit) qui a Donatistis et a Bonoso ordinationem receperant, admissi sunt: « multo magis viros orthodoxa fide conspicuos (Photium cum suis), morum severitate et accurato vitae instituto celebratissimos, ac tantum non usque adeo ut et poenitentiae opera peragant (h. e. ut vitam agant fere monasticam), non oportet contemnere velut reos poenitentiae iugo gravatos, sed in priorem eos restituere dignitatem » (ib. p. 400.).

d) Pontifex in utraque epistola ad imperatores et ad Photium in sententia a Concilio VIII. contra Photium lata *dispensat* quidem ex plenitudine potestatis; sed ipsam «venerabilem synodum» omnino recipit ut legitimam. « Veniam pro pace Constantinopolitanae Ecclesiae tibi concedimus, communionem quoque et gradum... ita tamen, ut deinceps de laicis in eadem Ecclesia Episcopus contra ss. Patrum statuta nullatenus ordinetur, et omnis illa mala consuetudo abinde penitus amputetur, iuxta capitulum quod super hac re *in venerabili synodo, tempore scilicet decessoris nostri Hadriani iunioris Papae Constantinopoli habita*, est congruentissime promulgatum » (ibid. p. 149.). Photius non solum hunc locum pervertit ea, quae Ioannes dixerat de Hadriano II. atque de approbatione venerabilis synodi (nempe Concilii VIII.), transferendo ad Hadrianum I. et ad rem omnino aliam; sed ausus est in epistolas Pontificis et in Commonitorium pro legatis inserere damnationem synodi VIII. oecumenicae, synodi Romanae sub Hadriano II. et sententiarum Nicolai adversus Photium, adeo ut Pontifex Ioannes VIII. qui in gradu archidiaconi subscripserat damnationi Photii (Mansi XVI. p. 131. 447.), contra se ipsum anathema dixisset. « Suscipite virum sine aliqua

excusatione. Nemo praetexat eas quae contra ipsum factae sunt, *iniustas synodos;* nemo, ut plerisque videtur imperitis ac rudibus, decessorum nostrorum beatorum Pontificum Nicolai et Hadriani decreta in causam adducat (κιτιχάσθω); neque enim ab ipsis suscepta sunt (!), quaecumque fuerunt contra sanctissimum Photium agitata » (ep. ad imper. p. 401.). « Hoc autem rogamus, ut fraternitas tua nobiscum decernat, ne posthac e laicis quisquam repente ad summam Pontificatus sedem evehatur... hoc autem dicimus iuxta canonem editum a synodo temporibus Hadriani sanctissimi Papae et Tarasii felicis recordationis patriarchae Constantinopolitani (1). *Synodum vero quae contra tuam reverentiam ibidem est habita, rescidimus, damnavimus omnino, et abiecimus,* tum ob alias causas, tum quod decessor noster beatus Papa Hadrianus in ea non subscripsit » (ep. ad Photium ibid. p. 416.). Ex his quae Photius suo marte intrusit in epistolas Ioannis VIII, manifesto eiusdem imposturae convincuntur ea, quae confinxit in Commonitorio a Pontifice suis legatis dato, licet illud nobis non supersit nisi ex fraudulenta interpretatione Photii. Eadem enim quae in epistolis interpolatis, et si fieri potest, adhuc impudentius ficta ibi repetuntur: « Volumus coram praesente synodo promulgari, *ut synodus quae facta est contra praedictum patriarcham Photium sub Hadriano sanctissimo Papa in urbe Roma* (cui Ioannes ipsemet subscripserat) *et Constantinopoli, ex nunc sit damnata* (ἐξωστρακισμένη), *irrita et sine robore, neque connumeretur cum alia sancta synodo.* » Post haec figmenta Photiana coram Conciliabulo lecta velut Ioannis Pontificis mandata, sequuntur ibi totius latrocinii conclamationes plenae infinitis contumeliis et anathematibus contra synodum VIII. oecumenicam et contra eos omnes, qui illam non condemnaverint (ib. p. 472.).

e) In epistolis genuinis Pontifex ubique habet Photium ut episcopum hactenus minime legitimum, eique veniam et

(1) Quae nempe Ioannes dixerat de « venerabili synodo VIII. sub Hadriano iuniore, » Photius transfert ad aliam sub Hadriano I. temporibus Tarasii; et approbationi synodi VIII. substituit eiusdem condemnationem.

absolutionem ac concessionem sedis patriarchalis *misericorditer* promittit *sub conditione*, si Photius ipsemet coram Concilio congregando « misericordiam postulet, » « misericordiam quaerat, » « satisfaciens coram synodo misericordiam secundum consuetudinem postulaverit, ac evidenti correctione utatur » (ib. 137. 147. 149.). Contra vero in Photii versione haec omnia longe diversa sunt. Gaudet ibi Pontifex de *restitutione* Photii in sedem patriarchalem, *qua fuerat privatus, et quae eius erat propria* (1); de satisfactione et de postulanda misericordia nullus est sermo, sed huic conditioni a Pontifice positae substituitur omnino aliud: « fraternitatem tuam rogamus.... *ne dedigneris in synodo praedicare Dei erga te misericordiam et opem, atque sanctissimae Romanae Ecclesiae protectionem et laborem,* quem pro tenero suo in te affectu et amore sustinuit, persuadens omnibus concordiam erga te et erga nostram approbationem » (ib. p. 413. 416.).

Iam vero si homo iste ipsas Pontificis epistolas praesentibus legatis, qui graecam linguam non intelligebant, et coram Conciliabulo tam impudenter corrumpere ausus est, multo facilius in dictis et actis Conciliabuli ipse confinxit, quae voluit. Unde sicut certum est et iuridice probatum, a Photio acta suae synodi anni 867. fuisse pro lubitu conficta, ita dubium manet in Conciliabulo hoc altero anni 879. 880, quaenam et quanta servili animo abiectaeque adulationi Photianorum, aut corruptelis ac fictioni Photii ipsius tribuenda sint. Hoc dubium tum quoad priores quinque actiones movetur, tum non minus obtinet quoad actiones duas ultimas (2), quibus damnatio professionis ca-

(1) Ὁτι ἡ ἁγιωτατη του θεου Κωνσταντινοπολιτων ἐκκλησια ἐν σοι συνεφωνησε και συνηλθε σοι, και ὁτι τον θρονον, ὁν ἐστηρηθης, ἀπελαβες, ὁς ἡν ἰδιος σου, ὑπερ τουτων, λεγω δη της ἐκκλησιας και της ἀποκαταστασεως, ἡν εἰς τον ἰδιον θρονον κατεστης, θεῳ την εὐχαριστιαν ἐξ ὁλης ψυχης και δυναμεως ἀνεπεμψαμεν.

(2) Plures viri docti quamvis admittant quoad rerum summam quinque priores actiones vere celebratas, censent tamen has duas ultimas omnino a Photio confictas, inter quos est graecus scholiastes apud Mansi XVII. p. 511. (vide Hergenroether « Photius » T. II. p. 535.)

tholicae in symbolo et assertio primatus Photii « super mundum universum ad exemplar summi pastoris Christi » verbis vere blasphemis, horumque sacrilegiorum approbatio per legatos Romani Pontificis infarta reperitur.

3[io] Postquam nimirum Conciliabulum in actione quinta subscriptionibus omnium Episcoporum conclusum erat, superadditae habentur duae aliae actiones; sexta dicitur habita in palatio « praesidentibus imperatoribus, et cum illis considentibus Photio sanctissimo patriarcha, » legatis Romanis, tribus vicariis patriarcharum orientalium, et octodecim metropolitis. Imperator Basilius ut praesidens huic oecumenico Concilio viginti quinque sacerdotum proposuit fieri « definitionem aliquam ecclesiastici sensus. » Tum lecta est, et viginti quinque istorum hominum acclamationibus approbata, a nemine tamen subscripta (1) condemnatio additionis vel diminutionis « in formula Nicaeni Concilii, quam et ceterae sanctae atque oecumenicae synodi confirmarunt, et super quam aedificarunt. »

In ipsa forma damnationis distingui debet id quod expresse dicitur, et quod Photius animo suo intendit. Verba per se spectata sine dubio admittunt sensum orthodoxum

(1) Imperator Basilius in hac sexta actione rogatus, ut sua subscriptione « confirmaret » (βεβαιῶσαι) omnia in synodo gesta, subscripsit « consentiens quantum ad confirmandam et stabiliendam sanctam et oecumenicam septimam synodum, et ad confirmandam et ratam habendam promotionem Photii... et ad abolitionem omnium quae contra ipsum scripta vel dicta fuerunt. » Eodem modo subscripserunt duo filii imperatores, Leo (qui postea Photium expulit) et Alexander, ac filius tertius Stephanus subdiaconus (qui deinceps a Leone fratre substitutus est Photio in sede patriarchali). De symbolo in his ipsis imperialibus « confirmationibus » nulla est mentio.

Legatos Ioannis VIII. symbolo sine particula *Filioque* subscripsisse, Photius postea affirmabat quidem in Mystagogia n. 89. et in epistola ad Archiepiscopum Aquileiensem n. 25. (Migne CII. p. 819). Sed cum secundum Acta legati ceterique Episcopi subscriptione sua finem imposuerint Conciliabulo in actione V[a]; in VI[a] vero solos imperatores subscripsisse appareat, videtur Photius valorem subscriptionis prioris extendisse etiam ad has actiones VI. et VII. superadditas, in quibus solis de dogmate sermo erat, et ideo contineri dicitur « definitio ecclesiastici sensus » (ὅρος του ἐκκλησιαστικου φρονηματος) Mansi l. c. p. 518. 520.

eundem, quem vidimus in proscriptione symboli Theodori Mopsuesteni a PP. Ephesinis et in aliis documentis catholicis expressum, ut tantummodo prohibeatur mutatio illegitima symboli vel omnino depravatio per additiones erroneas. Imo videri posset in Photiana ista definitione satis indicari, sicut ad formulam Nicaenam canonice facta est additio in Concilio II, ita semper esse licitas additiones per legitimam potestatem, quoties nova haeresis reddat necessariam explicitam professionem alicuius articuli fidei catholicae. Ita enim habet Photianum istud decretum. «Iam olim a Patribus et usque ad nos derivatam sincerissimam fidei christianae definitionem mente et lingua complectimur, et omnibus clara voce annuntiamus, nihil detrahentes, nihil addentes, nihil mutantes, nihil adulterantes. Detractio enim et additio, *quando nulla per maligni artes excitata est haeresis*, condemnationem infert minime damnabilium, et contumeliam Patrum inexcusabilem; *adulterinis autem vocibus* immutare definitiones Patrum longe illo priori adhuc gravius est» (Mansi l. c. p. 516.) (1). Verba haec in suo obvio sensu dicunt, mutationes symboli a Patribus constituti, etiam quae per se nihil pravi contineant, esse temerarias, et continere damnationem formulae iam statutae velut insufficientis, ac iniuriam Patrum velut minus intelligentium, *quando mutationes huiusmodi fiunt sine magna ratione et sine necessitate oppositionis contra novas haereses;* mutationes vero inducentes sensum adulterinum, ut per se patet, numquam posse fieri sine gravi scelere. Unde consequitur, additiones prioris generis licite et sine iniuria formulae antiquae aut eius auctorum fieri posse per legitimam auctoritatem, *quando nova haeresis per maligni artes excitata* reddit additionem et explicitam professionem alicuius articuli necessariam vel opportunam. Certe haec est doctrina omnino catholica, cui legati Romani et omnes ca-

(1) Ἡ *μεν γαρ ἀφαιρεσις και ἡ προσθεσις, μηδεμιας ὑπο των του πονηρου τεχνασματων ἀν κινουμενης ἁιρεσεως, καταγνωσιν ἐισαγει των ἀκαταγνωστων, και ὑβριν των πατερων ἀναπολογητον· το δε κιβδηλοις ἀμειβειν ῥημασιν ὁρους πατερων πολυ του προτερου χαλεπωτερον.*. **Versio latina penes Mansium h. l. nullum vel certum falsum sensum praesefert.**

tholici consentire poterant, et qua in antecessum vindicata est additio particulae *Filioque*, tum temporis in Ecclesia Romana nondum quidem facta, sed cuius necessitatem posthac induxit ipsa « per maligni artes excitata haeresis » Photiana (1).

4° Haec vera quidem sunt, si verba per se spectentur; sed sine dubio alius scopus erat haeresiarchae. Valet enim etiam hic, quod Patres saepe conqueruntur de Arianis, ipsos in suis formulis subdolis aliud dixisse verbis, et aliud mente intellexisse. Postquam propter invasionem sedis Constantinopolitanae a s. Nicolao I. condemnatus fuerat, homo superbissimus velut furiis actus anno 867. scripsit epistolam encyclicam ad patriarchas orientales, qua eis proposuit synodum contra Nicolaum habendam. In his litteris primum ausus est occidentalem Ecclesiam accusare quinque haereseon (2), quarum nulla adhuc ei in mentem venerat, quamdiu fraudibus ac mendaciis approbationem suae invasionis a Nicolao extorquere se posse sperabat. Quatuor capita, ieiunium Sabbathi, usum lacticiniorum in prima hebdomada Quadragesimae (i. e. post Dominicam Quinquagesimam), legem coelibatus clericalis, reiectionem chrismationis per presbyteros (Photianos et chrismate a Photio consecrato) in Bulgaria (pertinente ad patriarchatum occidentalem), verbis atrocibus sed paucis exprobrat; verum in describenda, falsis suppositis et sophisticis argutiis refutanda, ac omnibus diris devovenda haeresi quinta nullum modum tenet. Nempe « sacrosanctum symbolum sententiis

(1) Confer scholiastem graecum apud Mansi XVII. p. 512.

(2) In epistola ad Michaelem regem Bulgariae eodem tempore scripta Photius hisce quinque addit quatuor alia crimina partim commentitia partim ridicula, quibus rudem gentem Bulgarorum commoveri et a Romana Ecclesia averti posse putabat. Apud latinos nempe aiebat, chrisma confici ex aqua fluminis, agnum in paschate more Iudaeorum super altari pariter cum dominico corpore benedici et offerri, diaconos non suscepto presbyteratus officio ordinari Episcopos; haeresis denique illa ingens accedit a Graecis deinceps saepe in crimen adducta, « quia clerici barbas radere suas non abnuunt » (Nicolaus I. ep. 70. apud Mansi XV. p. 555. vide Hergenroether Histor. Photii T. III p. 820. sqq.).

spuriis et verbis adscititiis per summam audaciam adulterare aggressi sunt, novo dogmate comminiscentes, Spiritum Sanctum non a solo Patre sed etiam a Filio procedere. » Per hanc doctrinam (inquit) statuitur « duplex causa Spiritus Sancti; » « unitas Dei dissolvitur in duplicitatem; » « non minus quam in mythologia gentilium discerpitur theologia Christianorum; » « per istorum hominum fabulam Macedonii facinus contra Spiritum Sanctum inducitur; » « verbum est blasphemum, » « fastigium blasphemiae contra omnes sanctos prophetas, Apostolos, sacerdotes, martyres, et contra ipsas Domini voces, Deoque bellum indicens; » « hac sententia Deo inimica inducuntur non tres, sed quatuor seu potius infinitae hypostases; » « assertores istius doctrinae duces sunt non modo impiorum sed etiam furiosorum; » « doctrina demonstratur impia, amens, athea millenis argumentis, quae latius exponenda reservantur pro Concilio; » « si alia deessent, haec ad fastigium perveniens blasphemia contra Spiritum, seu potius contra totam Trinitatem etiam sola sufficeret ad eos mille anathematibus subiiciendos » (Migne T. CII. ep. 13. n. 4-33.). Sine dubio etiam in actis « oecumenici Concilii » nempe latrocinii anni 867. diras istas Photius repetiisse putandus est.

Iam vero idem Photius post secundam sedis usurpationem anno 879. sollicite quaerit communionem et approbationem istorum occidentalium, quos paulo ante damnaverat ut haereticos, hocque ipso eos in tota sua priori doctrina utique persistentes agnoscit plane orthodoxos sine ulla amplius mentione haereseos. Satis homo pollebat ingenio, ut ipsemet perspiceret manifestam contradictionem in tota sua agendi ratione, qua non de fide orthodoxa sed unice de sua ambitione explenda sese sollicitum demonstravit. Hinc ut saltem in appendicibus istis actionibus VI. et VII. Conciliabuli anno 879. 880. aliquod perfugium sibi pararet, inseruit damnationem additionis in symbolo verbis ambiguis (1), quae accipi possent sensu catholico, et quibus

(1) Hanc mentem Photii iam Ioannes Beccus demonstravit. « Cum pervideret Photius, omnium se reprehensionem incursurum, quod totam Ecclesiam Romanam, quamdiu Nicolaus Papa eum non admisit, ut iniu-

tamen ipse sensum alium substitueret ad assertionem suae haereseos et ad damnationem doctrinae catholicae de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio (1).

Porro quae die 3ª Martii 880. in ista congregatione viginti

riam in Deum et impiam et ad extremum usque praevaricatricem dixit; quando vero Ioannes Papa eius exaltationi in thronum patriarchalem consensit, eandem Ecclesiam praedicavit sanctam et pietatis magistram: propterea velut apologiam pacis cum Ioanne Papa initae obtendit, illum suscepisse symbolum fidei per suos vicarios, atque mente et lingua et sacris manibus istorum illustrium et admirandorum virorum illud subscripsisse ac obsignasse » Graec. orthod. II. p. 139. 140. Haec verba postrema desumpsit Beccus ex Photii Mystagogia n. 89.

(1) Ad eundem etiam finem conciliandi contradictionem in gestis Photii ab ipso vel ab aliquo eius sectatore postmodum conficta est illa epistola Ioannis VIII, cuius superius meminimus, quasi Pontifex eiurata sua et decessorum suorum doctrina catholica de processione Spiritu Sancti, tandem haeresim Photianam amplexus esset.

In « libro diurno Romanorum Pontificum » continentur tres formula professionis fidei, quam Pontifices in sua consecratione edere solebant. Tam in secunda quam in tertia formula, quarum illa fere sexagint annis, haec fere integro saeculo ante Ioannis VIII Pontificatum induct erat, profitebantur Pontifices explicite, articulum de processione Spiritu Sancti, prouti iam diu antea a s. Gregorio I. in sua consecratione factum erat (supra p. 106.). In tertia (edita inter annum 681 et 685) habetur « Credimus in unum Deum..... Spiritum vero Sanctum nec genitum ne ingenitum, sed de Patre Filioque procedentem. » In formula secund (edita probabiliter anno 714) post commemoratum Concilium Nicaenum et Constantinopolitanum I. Pontifices declarabant: « Per haec duo sacr Concilia sanctam et inseparabilem Trinitatem, unum Deum unamque Trinitatis substantiam esse cognoscimus..... dum de Patre Filius aeternaliter nascitur, Spiritus Sanctus de Patre procedere confirmatur, eum dem Dei Filius de suo accipere perhibet, et in nomine suo mitti a Patre Spiritum Sanctum manifestat, et insufflando discipulis, *accipite Spiritum Sanctum,* utpote de se procedentem (cf. supra p. 63 sqq.) adnuntiat. Concluditur vero tota professio hisce verbis: « Unde et districti anathematis interdictioni subiicimus, si quis umquam, seu nos, sive est alius qui novum aliquid praesumat contra huiusmodi evangelicam traditionem et orthodoxae fidei christianaeque religionis integritatem, vel quidquam contrarium immutare, sive subtrahere de integritate fidei nostrae tentaverit, vel ausu sacrilego, hoc praesumentibus consentire.... Praesentem nostrae professionis paginam per Ill. (i. e. N.) notarium scriptam, cum nostrae manus subscriptione, coram omnibus relectam in confessione beati Petri Apostolorum principis deposuimus » etc. (Migne T. CV p. 47-57).

quinque praevaricatorum, quam actionem sextam Concilii appellarunt, acta referuntur, eadem exhibentur lecta die 13. Martii in templo s. Sophiae coram conventu alio Episcoporum, quorum numerus tacetur. Haec dicitur actio VII. Concilii, in qua approbationibus omnium gestorum in actione VI. et insulsis adulationibus erga Photium, ac denique proclâmatione primatus Constantinopolitani « in mundum universum » tota fabula confecta est (1) (Mansi XVII. p. 511. sqq.).

(1) Non ignoramus quidem, quam servum pecus sit homo Byzantinus, vix tamen quisquam sibi persuaserit, in conventu qui speciem Concilii praeferebat, Photianos mitratos eo usque blasphemae adulationis progredi potuisse, ut in hac VII. actione exhibetur; nullo autem modo credibile fit, legatos Romanos, quantumvis ineptissimos supponas, ea dixisse et approbasse, quae ibi referuntur. Cur ad celebrandam sapientiam et sanctitatem Photii nominatim inducantur « Italia et Gallia, » non ex solo studio commendandi Byzantinum « primatum in mundum universum, » sed fortasse inde quoque explicationem habet, quod tum in Italia a Pontificibus Nicolao I. et Hadriano II. tum hortatu Nicolai in synodis Galliae et Germaniae ac editis etiam libris (Ratramni, Aeneae Parisiensis) Photii sanctitas damnata fuerat, et eius sapientia confutata.

Utrum verum dixerim negans, legatos Pontificis ea fari et facere potuisse, quae ibi finguntur, iudicet lector ex ipsa Divi Photii apotheosi, quae ita habet. « Sanctissimi legati antiquae Romae dixerunt: benedictus Deus, quod optima fama sanctissimi Photii patriarchae non solum in nostram regionem (in qua nempe hactenus non aliud quam anathema contra ipsum fuerat auditum), sed etiam in universum orbem pervenit, et non tam in verbis fundamentum habet, quam ex factis eius (ut erant bina invasio sedis, atrox persecutio contra s. Ignatium, interpolatio epistolarum Nicolai et actorum synodalium, corruptio legatorum eiusdem Pontificis, celebratio latrocinalium synodorum et sententia damnationis et depositionis contra ipsum Pontificem, ac demum pervicax rebellio contra Concilium VIII) penetravit fines terrae; nec solum in Galliam et Italiam pervasit, sed et in omnem terram, quae sub sole est; hocque testantur non solum, qui linguam graecam profitentur, sed ipsum etiam barbarum et ferocissimum genus, non esse similem ei sapientia et scientia, neque largitione et commiseratione, neque benignitate et humilitate (sic), et quod semper facta eius sunt plura, quam verbis dici possit. » Nunc sequitur, quid haec fabula doceat. « Procopius Archiepiscopus Caesareae Cappadociae dixit: talem decebat esse in veritate, *qui totius mundi sortitus est primatum* (τον του συμπαντος κοσμου την ἐπιστασιν λαχοντα), ad normam summi pastoris Christi Dei nostri. Id quod etiam *praevertens* beatus Paulus

5° Sicut Nicolaus latrocinium anni 861. suosque legatos praevaricatores Zachariam et Rhadoaldum (Rodoaldum), et Hadrianus II. Conciliabulum alterum anni 867. damnaverant anathemate; ita Ioannes VIII. eandem sententiam tulit contra hoc tertium Concilium malignantium, et contra suos legatos, de quibus tamen difficile dictu est, quantum ipsorum culpae, aut ignorantiae linguae ac morum Graeculorum, et quantum interpolationi ac fictioni monumentorum a Photio patratae tribuendum sit; certum tamen videtur haec tria simul concurrisse.

Ioannes VIII. partim pervidens partim suspicans suis mandatis non fuisse satisfactum, iam statim post reditum legatorum in epistolis (250. 251. Mansi XVII. p. 185. 187.) datis die 13. Augusti 880. solam *misericordem* restitutionem Photii in sede Constantinopolitana admisit; si quae vero contra suam praeceptionem in synodo acta fuerint, nullius roboris fore diserte declaravit. « Ea quae pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchae synodali decreto

descripsit dicens: *habemus ergo pontificem magnum, qui penetravit coelos* (nempe de Photio prophetice προλαβων Paulus hoc scripsit); audebit enim oratio mea eo usque progredi (occidentales dixerant, Photium sua gloria replesse fines terrae; id orientali non sufficit, sed omnino suum heroa coelos penetrasse probat ex verbis Pauli), quandoquidem novit Scriptura deos dicere, qui secundum gratiam vivunt. » Ad hunc primatum mundi et ad hanc ascensionem gloriosam in coelum quid tandem respondisse putas legatos Pontificis? Responderunt: « verum est, quod dixisti; etiam nos qui fines terrae ultimos incolimus (τα ἐσχατα της γης κατοικουντες sic!), haec audivimus. » Photio nullus hominum similis sanctitate et sapientia; ipse primatum tenet totius mundi; verba dicta de magno sacerdote Christo, prophetice dicta sunt de Photio: sed nondum satis expressa est aequalitas cum Christo. « Procopius Caesareensis dixit: hoc scientes excelsi et magni imperatores nostri ardentem fidem et amorem habent in Pontificem nostrum (διαπυρον πιστιν και ποθον ἐις τον ἀρχιερεα ἡμων); nec ipsi solum, sed et omnis Episcopus et sacerdos, et monachi et in laicali ordine positi, sectatores eius sumus et discipuli; *de plenitudine eius nos omnes accepimus, sicut gloriosissimi Apostoli a Domino nostro Iesu Christo.* » Ad has blasphemias legati respondent: « si quis ipsum non habet patriarcham sanctum (πατριαρχην ἁγιον), et communionem eius non amplectitur, sit pars eius cum Iuda, et omnino non adnumeretur cum Christianis. Sancta synodus exclamavit: omnes hoc idem sentimus et praedicamus! »

Constantinopoli *misericorditer* acta sunt, recepimus; *et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam praeceptionem egerint, nec nos recipimus, nec iudicamus alicuius existere firmitatis.* »

Iam vero cum in ea synodo prorsus omnia acta fuerint contra apostolicam praeceptionem, consequens erat, ut quam primum rerum gestarum veritas Pontifici patefacta est, explicite damnaretur totum Conciliabulum, quod iam in verbis citatis utriusque epistolae implicite declaratum fuerat nullius firmitatis existere. Revera Marinum qui praesederat Concilio VIII., ad rerum inquisitionem Constantinopolim misit; sed cum vir imperterriti et incorrupti pectoris a Basilio imperatore Photii fautore per triginta dies in vinculis detentus, ac tandem dimissus Romam rediisset (quae novimus ex epistola Stephani VI. ad imperatorem Basilium Mansi XVI. p. 423. 475.), Ioannes VIII. de omnibus fraudibus iam certior factus « accepto Evangelio ambonem conscendit, cunctisque audientibus dixit: quicumque Photium non iusto Dei iudicio condemnatum iudicat, quemadmodum nempe illum hi qui me praecesserunt, Nicolaus et Hadrianus sanctissimi Papae damnatum reliquerunt, anathema sit. » Legati etiam Eugenius et Paulus Episcopi, Petrus presbyter, qui tam indigne suo munere functi erant, « Romam reversi a Ioanne Papa in ambone publicitus sunt damnati et exauctorati » (Mansi XVI. p. 450. 451.). De hac sententia Ioannis VIII. consona decretis Nicolai I. et Hadriani II. constat praeterea ex epistola Ioannis IX. ad Stylianum (circa annum 900. cf. Hergenroether « Photius » T. II. p. 707.), in qua hic Ioannes IX. confirmat contra Photium iudicium « Nicolai, *Ioannis* (nempe VIII.), et sexti Stephani et universae Rom. Ecclesiae » (Mansi XVI. p. 458; XVIII. p. 201.). Eandem damnationis sententiam protulerunt Pontifices inter Ioannem VIII. defunctum 882. et Ioannem IX. electum 898, Marinus qui praesederat Concilio VIII. et a Ioanne VIII. contra Photium eiusque Conciliabulum missus fuerat Constantinopolim, Hadrianus III., Stephanus VI., Formosus (Mansi XVI. p. 423. 435. 439. 451. 458.) (1).

(1) Qui post mortem Formosi 896. usque ad Ioannem IX. 898. secuti

Ex his Romanorum Pontificum condemnationibus sicut in occidentali ita etiam in orientali Ecclesia de illegitimo episcopatu Photii et de nequitia Conciliabulorum eius nullum erat dubium, saltem inde a secunda expulsione eius anno 886. per Leonem VI (Sapientem seu Philosophum) Basilii Macedonis filium et successorem, usque ad tempora quibus schisma a Photio initiatum confirmationem accepit et coagmentationem in synagogam Photianam. Sub patriarchis qui sedem adepti sunt post Photium, Stephano (Leonis VI. fratre), s. Antonio Caulea, Nicolao Mystico (defuncto 925.), Euthymio, plenus erat consensus cum Romanis Pontificibus in damnatione ipsius Photii invasoris eiusque Conciliabulorum ac nominatim istius pseudosynodi anni 879. 880, ut manifesto constat ex tractatibus imperatorum et patriarcharum cum Sede Apostolica hoc tempore habitis ad obtinendas dispensationes pro Episcopis et Clericis ab usurpatore ordinatis. Non ante annum 995. vel 996. sub patriarcha Nicolao Chrysoberge aut huius successore Sisinio, cum in dies magis ad schisma tendebatur, Photius simul cum s. Ignatio contradictione manifesta a Byzantinis coepit iterum recenseri inter legitimos patriarchas. Hoc primum tempore increbuisse videtur (Hergenroether T. III. p. 725. 726.) illud absurdum effatum, quod post schismatis sub Cerulario anno 1054 completionem saepe a Photianis est repetitum, et ut Marcus Ephesius dixit (Concil. Florentin. sess. VI.), in Constantinopolitana ecclesia hucusque celebrari solet: « omnia prolata aut scripta *contra Ignatium et Photium sanctissimos patriarchas* anathema sint » (1).

sunt, Bonifacius VI., Stephanus VII, Romanus, Theodorus II. brevissimo tempore sui Pontificatus in causa orientali nihil egerunt, quod nobis constet.

(1) Hoc effato subiiciuntur anathemati *a*) omnia dicta et facta in Conciliabulo anni 861, in quo multis obiectis criminibus Ignatius damnatus est velut patriarcha numquam legitimus vel saltem ut iuste (in particulari Conciliabulo Photii anno 858) exauctoratus. Sed si anathema est, quicumque dixerit Ignatium illegitimum aut iuste depositum patriarcham, eo ipso Photius declaratur invasor sedis et tyrannicus persecutor s. Ignatii, proindeque probantur iustissima omnia in epistolis Nicolai I, in Concilio Romano sub Hadriano II, in oecumenica Synodo VIII. contra Photium

Quae cum ita habeant, Macarius cum suis schismaticis poterit quidem appellare ad hanc latrocinalem synodum anni 880, ut probet Photium suam haeresim de processione Spiritus Sancti, quam anno 867 in epistola encyclica proclamaverat, adhucdum animo ritinuisse, eamque cum palam iam proferre non auderet, verbis ambiguis in isto decreto viginti quinque suorum adulatorum abscondisse; sed profecto catholicis opponere non possunt Conciliabulum in tota sua forma et in omnibus suis actis nefarium atque Romanorum Pontificum anathemate inde a Ioanne VIII. toties proscriptum, nisi eo iure quo Dioscoriani suum obtendunt Concilium II. Ephesinum (1).

invasorem ac persecutorem decreta et acta. *b*) Eodem effato et uno hiatu anathema simul dicitur omnibus epistolis Nicolai contra Photium, Concilio Hadriani et oecumenico VIII; hocque ipso, ut in Conciliabulo anni 879, Photius declaratur legitimus patriarcha inde a suo primo ingressu anno 857, Ignatius vero illegitimus invasor sedis vel inde a suo exordio anno 846. vel saltem inde a sua restitutione anno 869. Unde *c*) praeclaram istam tesseram pacis, quam Marcus Ephesius ait hucusque in Constantinopolitana ecclesia celebrari, nemo potest pronuntiare, quin bellum indicat Photio per approbationem Ignatii, Ignatio per approbationem Photii, sibique ipsi dicat anathema, quippe qui non unum dumtaxat vel alterum sed utrumque damnet tam Ignatium quam Photium, et « prolata ac scripta omnia contra sanctissimos duos patriarchas » damnando simul approbet velut iustissima decreta contra illegitimos duos invasores. Vere dicunt bonum malum, et malum bonum, idemque simul bonum et malum. Hoc est, quod Graecus anonymus rectissime monuit in adnotatione ad istam pseudosynodum a Photio coactam praesentibus legatis Ioannis VIII: « Neque vero locum habet, quod Marcus Ephesius dicit in Constantinopolitana ecclesia legi consuevisse: omnia contra sanctos patriarchas Ignatium et Photium scripta ac prolata anathema sint. Si enim Ignatius legitimus et sanctus patriarcha proclamatur, propter quod utique omnia contra ipsum acta iuste damnata sunt et reprobata, omni modo necesse est decreta contra Photium firma permanere ac rata, quandoquidem Photius omnia egit ad calumniam et condemnationem Ignatii eiusque electionis » (Mansi XVI. p. 477.).

(1) Macarius (Introduction etc p. 585) audet exigere, ut catholici aliquam auctoritatem agnoscant in isto Conciliabulo anni 880, quod ipse (ut vidimus) confundit cum altero latrocinio anni 867. Postquam semel ac iterum inculcavit, Concilio interfuisse legatos Ioannis VIII Pontificis, inde in nota subiecta concludit: « les écrivains romains ne s'expriment donc pas d'une manière tres-exacte, quand ils disent, que nous n'avons à leur opposer ici que le decret du Concile d'Ephèse. »

SECTIO IV.

DE CRIMINATIONIBUS MACARII CONTRA THEOLOGOS CATHOLICOS.

Reliquum adhuc est dicere de argumentationibus Photianis a Macario in sua « Theologia orthodoxa » (p. 415. seqq.) contra theologos catholicos inductis seu potius ex antiqua crambe recoctis, et de crimine falsi ac interpolationis documentorum, quod post Adamum Zoernikawium et Theophanem Prohopowicz homo (ut iam novimus) tam candidae fidei contra Latinos intentat. Quoniam vero fallacia ex sese tam manifesta est, ut per eam ne hyperboreae quidem ignorantiae imponi posse existimem, et ceteroquin de utroque capite tum in Tractatu de SS. Trinitate tum in hac appendice iam multa diximus, quae ad specimen imposturae Photianae exhibendum sufficiant; hic brevissime utrumque expediemus.

CAPUT I.

DE ARGUMENTIS THEOLOGICIS MACARII CONTRA THEOLOGIAM CATHOLICAM.

1°. Tres sunt veritates theologicae, quarum nulla sine perversione totius mysterii SS. Trinitatis negari potest. *a*) Deus unus simplicissimus seu una non multiplicabilis divina essentia habet tum rationem *absoluti* tum rationem *relativi* (Conc. Laterans. IV.) Relationes vero reales in Deo non sunt aliae quam *relationes originis*, h. e. *principii* et *procedentis a principio* (ut saepe explicatum vidimus a Gregorio Nysseno aliisque Patribus). *b*) His *solis* relationibus originis, quatenus nempe unus procedit ab altero atque ita unus refertur ad alterum, seu *relationibus ad invicem* realiter inter se distinguuntur divinae personae; in reliquis omnibus formalibus rationibus perfectionum, virtutis, operationis, sub quibus nos cum fundamento in re unam simplicissimam essentiam concipimus, personae inter se non distinguuntur sed omnino unum sunt (Gregorius Nazian-

zenus, Augustinus, et PP. universi). *c*) Ratione originis est *internus necessarius ordo* divinarum personarum ita, ut sit *prima* persona a se et absque principio sui; *secunda* persona generatione procedens ex principio per communicationem essentiae et proinde omnium perfectionum et formalium rationum quae sunt in prima, excepta sola relatione, secundum quam, ut principium et procedens a principio, ad se invicem referuntur et inter se realiter distinguuntur; persona denique *tertia* ex principio, quod sola prioritate originis praevertit, procedat item per communicationem essentiae et omnium perfectionum, excepta formali ratione principii, seu (quod perinde est) excepta virtute relativa productrice alterius personae (Basilius, Gregorius Nyssenus et alii).

In his tribus veritatibus revelatis continetur implicite, *solam secundam* personam procedere *ex sola prima* (μονος ἐκ μονου); *tertiam* vero procedere *ex prima et secunda ut ab uno principio* (ἐκ του πρωτου δια του προσεχως ἐκ του πρωτου), quatenus nempe illae sola generatione inter se distinctae, virtute et formali ratione spirationis inter se unum sunt, ac per unam spirationem referuntur ut principium ad personam tertiam, hac vero relatione spiratoris et spirati persona tertia realiter distinguitur a prima et secunda. Porro quod sola prima persona est ingenita, ab ea autem generatur secunda persona per communicationem sicut omnium perfectionum ita etiam virtutis spiratricis, prima persona manet principium primordiale SS. Trinitatis (ἡ πρωτη αἰτια, προκαταρκτικη αἰτια, το αἰτιον), in quo continetur ea, quae a PP. μοναρχια appellatur.

Demonstrationem trium veritatum praemissarum a nobis pridem iam confectam hic repetere opus non est; in illis autem comprehendi implicite, atque adeo ex iis certissimam deduci veritatem, de qua agimus, tum per se clarum est, tum a nobis saepe comprobatum. Haec demonstratio comprehensionis unius veritatis in alia est illa, quae dici solet *ratio theologica*. Macarius (p. 418.) commemorat quidem ex Henrico Klee aliquas rationes theologicas veritatis catholicae, quibus universis non aliam reperit responsionem

praeter insigne illud mendacium, antiquam Ecclesiam docuisse processionem Spiritus *a solo Patre,* Filium vero distingui a Spiritu non ut principium a procedente, sed eo dumtaxat quod Filius a Patre generetur, Spiritus ab eodem *solo Patre* procedat. Atqui hanc processionem *a solo Patre* inscripsit quidem Macarius singulis paragraphis suae farraginis testimoniorum; sed quid veri subsit, iam novimus. In iis nimirum omnibus, si fortasse excipias unum aut alterum documentum aliunde haereticum et anathemate damnatum, nullum est vestigium istius negationis Photianae; in plerisque (si in fonte ipso et contextu inspiciantur) reperitur clara professio doctrinae catholicae. Ceterum ad oppugnandam nostram *deductionem* veritatis ex principiis revelatis, oporteret vel unam ex tribus veritatibus praemissis falsam demonstrare, vel illegitimam ostendere consequentiam. Atqui illud prius fieri non potest, quoniam tres illas veritates pertinere ad ipsam internam oeconomiam SS. Trinitatis, ex diserta professione veteris Ecclesiae suis locis demonstravimus; consequentia autem cuique evidens est, qui rationis adhuc lumine utatur.

2°. Iam inspiciamus rationes theologicas Macarii pro sua haeresi, quas quinque recenset.

a) Spiratio in Patre non est attributum essentiae, secus ea esset communis etiam Spiritui Sancto; ergo est proprietas personalis. Atqui personalis proprietas Patris non potest competere nisi soli Patri, quia persona Patris distinguitur a Filio et Spiritu Sancto. Ergo spiratio propria est soli Patri.

Distinguo maiorem: si nomine proprietatis personalis intelligitur relatio interna, quae eo ipso quod est realis relatio, non est communis omnibus tribus personis, spiratio est proprietas personalis et non attributum absolutum essentiae; *concedo maiorem.* Si proprietas personalis sumitur stricto sensu ut relatio constituens personam et ideo propria uni tantum personae; *nego maiorem.* Pariter *distinguo minorem* quoad primam partem: proprietas Patris constituens personam in formali ratione Patris non potest competere nisi soli Patri, *concedo minorem;* relatio Patris, quae

non refertur ad Filium, et qua idcirco a Filio non distinguitur, non potest competere nisi soli Patri, *nego minorem.* Tum *distinguo* secundam partem: persona Patris distinguitur a Filio per generationem, nullo autem modo per spirationem, *concedo minorem;* distinguitur a Filio per spirationem, *nego minorem.*

Si adversarius spirationem dicit proprietatem constituentem, inducit quatuor personas; si concedit per eam Patrem non constitui personam, nihilo tamen minus asserit spirationem propriam soli Patri, assumit ut principium demonstrationis illud ipsum, quod ex eo intendit demonstrare; sunt enim haec duo prorsus synonyma, *spirationem esse propriam soli Patri,* quod assumit velut principium, et *Spiritum procedere a solo Patre,* quod fingit velut consequens ex eo principio, cum utrumque prorsus idem significet, et a nobis ut repugnans Scripturae et traditioni aeque negetur.

b) In SS. Trinitate secundum doctrinam christianam (ait ille) unum dumtaxat est principium (μοναρχια); catholici dicunt principium personam Patris et personam Filii. Atqui Pater et Filius sunt duae personae realiter distinctae. Ergo contra doctrinam christianam admittunt duo principia realiter distincta. Si vero dicunt Patrem et Filium unum principium, id quo personae divinae unum sunt, est divina essentia; essentia vero non duabus dumtaxat sed omnibus tribus personis una communis est; unde non solum Pater et Filius, sed ipse quoque Spiritus Sanctus esset principium sui ipsius.

Distinguo maiorem quoad primam partem: in SS. Trinitate est unum principium, nempe una prima persona ingenita, principium sine principio, a qua omnis perfectio (exceptis solis relationibus mutuis, quibus personae inter se distinguuntur) communicatur, ita ut a Patre sit Filio esse *ad intra* unum cum Patre principium Spiritus Sancti, et a Patre per Filium sit Spiritui Sancto esse *ad extra* unum principium cum utroque (το ἀναρχον, και ἡ ἀρχη, και το μετα της ἀρχης) (1); *concedo maiorem.* Pater est

(1) « Intelligat, sicut *habet Pater in semet ipso,* ut de illo proce-

unum principium ita, ut tollatur unitas Patris cum Filio in omnibus, ubi non intercedit relationis oppositio, *nego maiorem*. Quoad secundam partem *maioris:* catholici dicunt personam Patris et personam Filii principium Spiritus Sancti *per spirationem unam*, qua non ad se invicem sed ad personam tertiam procedentem referuntur, *concedo maiorem;* dicunt personam Patris et Filii principium Spiritus Sancti per relationes diversas, quibus ad se invicem relatae inter se realiter distinguantur; *nego maiorem*. Eodem modo *distinguo minorem:* Pater et Filius sunt duae personae distinctae per generationem activam et passivam, qua Filius procedit a Patre, *concedo minorem;* sunt distinctae per spi-

dat Spiritus Sanctus, *sic dedisse Filio*, ut de illo procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum, Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, *quod etiam procedat de Filio, de Patre esse Filio.* Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; *de Patre habet utique, ut et de illo procedat Spiritus Sanctus*.... Pater solus non est de alio.... Filius autem de Patre natus est, *et Spiritus Sanctus de Patre principaliter, et ipso sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit*... A quo habet Filius ut sit Deus, est enim de Deo Deus; *ab illo habet utique, ut de illo etiam procedat Spiritus Sanctus; ac per hoc Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre* » s. August. Trinit. l. XV. n. 47. 48. Iam patet, quomodo Spiritus procedat *de Patre principaliter*, et tamen *de utroque communiter*. « Ideo (inquit) addidi, *principaliter*, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur; *sed hoc quoque illi Pater dedit*, non iam existenti et nondum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit, *gignendo dedit* » ibid. n. 29. «Iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit; sed ideo, cum de illo Filius loqueretur, ait, de Patre procedit, *quoniam Pater processionis eius auctor, qui talem Filium genuit et gignendo ei dedit, ut et de ipso procederet Spiritus Sanctus* » id. contr. Maximin. l. II. c. 14. n. 1. « Non dixit, quem mittet *Pater a me*, quemadmodum dixit, quem ego mittam vobis *a Patre;* videlicet ostendens, *quod totius divinitatis vel, si melius dicitur, deitatis principium Pater est:* qui ergo *a Patre procedit et Filio* (ut in antecedentibus pluribus docuerat), *ad eum refertur a quo natus est Filius* » id. Trin. IV. n. 29. « Fatendum est, *Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia;* sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, *sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium:* ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus » ibid. l. V. n. 15.

rationem, qua non ad se invicem sed ad Spiritum procedentem referuntur, *nego minorem.* Ergo duae personae realiter distinctae generatione, unum sunt spiratione, adeoque unum principium spirationis, unus spirator; sicut sunt tres personae distinctae unum principium creationis, unus creator.

Ad sapientissimam animadversionem iam a Photio et nunc iterum a Photiano toties repetitam de Spiritu Sancto velut sui ipsius principio respondetur: Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum sunt divina essentia sub omni formali ratione, quae non est relatio originis unius personae ab altera; ergo Pater et Filius sub formali ratione spirationis inter se unum sunt, quia per spirationem Filius non procedit et ideo non distinguitur a Patre; distinguitur autem Pater et Filius per spirationem a Spiritu Sancto, ut principium a procedente ex principio.

c) Postquam dixerat Macarius, catholicos admittere duo principia Spiritus Sancti eo ipso, quod eum dicunt procedere a duabus personis distinctis, mox fatetur in doctrina catholica Patrem et Filium per unam spirationem esse unum principium, adeoque ipsemet praecedens illud argumentum de duobus principiis agnoscit esse merum sophisma; verum per unitatem principii, nunc ait, confundi duas personas in unam, atque ita catholicos incidere in Sabellianismum, « saltem quatenus docent Patrem et Filium una indivisibili actione spirare Spiritum Sanctum, et esse unum principium unumque auctorem eiusdem Spiritus. »

Sabelliani docebant, nec Filium nec Spiritum Sanctum realiter procedere ab alia persona, atque idcirco non esse in Deo personas realiter distinctas; sed unam hypostasim secundum triplicem diversam manifestationem ad extra habere tria diversa nomina, Patris, Filii, Spiritus Sancti; hasque diversas manifestationes posse dici tres personas (τρια προσωπα) h. e. tres modos, quibus una divina hypostasis se nobis exhibeat cognoscendam. Catholici docent adversus Sabellianos, Filium realiter procedere a Patre per generationem, hacque relatione originis duas esse personas

realiter inter se distinctas; docent adversus Arianos, Filium a Patre distingui *sola* relatione originis, qua procedit a Patre ut a suo principio; secundum reliquas omnes formales rationes, quae sunt in Patre incommunicatae, in Filio a Patre communicatae, adeoque etiam secundum formalem rationem virtutis spiratricis esse omnino unum; hac spiratione una a Patre et Filio ut a suo principio procedere, et propterea realiter distingui Spiritum Sanctum tertiam hypostasin.

In Photiana autem doctrina continetur vel Arianismus quoad personas Patris et Filii, vel Sabellianismus quoad personam Filii et Spiritus Sancti. Nam vel fatentur, spirationem in Patre non esse realem relationem *ad Filium*, id est Filium non procedere a Patre *per spirationem;* vel affirmant, Patrem non modo sub formali ratione *Patris* seu per generationem, sed etiam *spiratione* realiter referri ad Filium, eoque ipso per spirationem esse principium Filii. Si primum dicunt, simul asserendo spirationem esse propriam soli Patri, nec communicari Filio; eo ipso affirmant, Patrem a Filio distingui non sola relatione originis, qua Filius generatur a Patre, sed etiam aliqua perfectione non relativa ad Filium, nempe vi spiratrice. Atqui in Deo omnis realis distinctio, quae non sit distinctio per solam relationem originis, propter ipsam simplicitatem Dei coincidit cum distinctione secundum essentiam; seu aliis verbis, si Pater Filio essentiam non communicat sub omni ratione perfectionis (praeter solam relationem Patris ad Filium) adeoque etiam sub ratione vis spiratricis, omnino non communicat essentiam, quae una est simplicissima et indivisibilis. Ergo in doctrina Photiana hoc ipso, quod negatur communicatio vis spiratricis a prima persona in secundam, negatur implicite communicatio divinae essentiae, adeoque negatur vera generatio et vera ratio Patris et Filii, quod sapiunt Ariani. Si vero alterum dicerent, per spirationem Patrem realiter referri ad Filium, ac proinde Filium *spiratione* procedere a Patre, evidenter una relatio Patris duplici nomine *generationis* et *spirationis* exprimeretur, et per hanc relationem una sola persona diceretur procedere, modo *Filii*

modo *Spiritus Sancti* nomine appellanda, quae haeresis est Sabelliana.

d) Argumentatur Macarius hisce verbis. « Secundum doctrinam Ecclesiae universalis tres personae non sunt unum nisi per communem essentiam; unde consequitur, eandem unitatem quam Filius habet cum Patre, habere etiam Spiritum Sanctum. Sed in doctrina occidentalium maior est cum Patre unitas Filii quam Spiritus Sancti, quia illi non sola essentia sed etiam spiratione unum sunt. »

Secundum doctrinam Ecclesiae universalis saepe a nobis demonstratam tres personae unum sunt in omnibus, in quibus non obviat relationis oppositio, nimirum in omnibus excepta formali ratione relativa principii et procedentis a principio, qua sola personae inter se realiter distinguuntur. Cum vero omnes illae formales rationes perfectionum et inter has etiam vis spiratrix in Patre et Filio, quas nos consideratione (τῇ ἐπινοίᾳ) cum fundamento in re distinguimus, realiter sint ipsa simplicissima essentia divina; rectissime dicitur, tres personas esse unum essentiâ, et non nisi relationibus originis distinctas. Unde sicut considerans unitatem Patris et Filii secundum essentiam et omnipotentiam ac reliqua attributa non dicit maiorem unitatem, quam qui solam nominat unitatem essentiae, quia infinita essentia est ipsamet omnipotentia et quidquid perfectionis concipi aut dici potest; ita qui nominat unitatem secundum essentiam et secundum vim spiratricem, non dicit maiorem aut aliam unitatem quam unitatem essentiae, siquidem ipsamet essentia in Patre et Filio est spiratio relativa ad personam spiratam. Sicut ergo Spiritus Sanctus essentiâ h. e. tota plenitudine infinitae perfectionis est unum cum Patre et Filio, ita eâdem unâ essentiâ ac plenitudine infiniti *esse* Filius cum Patre et Spiritu, Pater cum Filio et Spiritu unum est.

Error Macarii in eo haeret, quod ipse putat spirationem aliquid reale superaddere divinae essentiae; secus enim non posset dicere unitatem per essentiam et spirationem esse maiorem, quam unitatem per solam essentiam. Hoc autem stupido errore posito, consequuntur alia multa ab-

surda, et non solum mysterium SS. Trinitatis sed etiam infinita perfectio divinae essentiae subvertitur. Nam α) essentia cui potest superaddi aliqua perfectio realiter distincta, evidenter non est infinita. β) Si spiratio distinguitur realiter ab essentiá, non minus ab eadem essentia distinguetur paternitas et filiatio; unde cum paternitas non sit in Filio; filiatio non sit in Patre; in Spiritu Sancto nec paternitas sit nec filiatio; consequitur in singulis personis esse aliquam perfectionem, quae non sit in aliis, adeoque personas non esse consubstantiales. γ) Hinc tres personae essent plus perfectionis, quam singulae; nec singulae essent Deus infinitus. δ) Cum in Deo id quod realiter distinctum est, necessario sit distincta persona; ex pulcherrima hac doctrina Photiana habebimus quatuor aut quinque personas, essentiam nimirum, realiter distinctam paternitatem, spirationem, filiationem, processionem, seu Deum absolute spectatum, deinde Patrem alium, alium spiratorem, ac denique Filium et Spiritum Sanctum. Apage nugas ad haereticorum ingenia!

e) Postremo conqueritur adversarius, in doctrina catholica praeter Trinitatem induci « duplicitatem. » Namque ait: cum catholici dicunt Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, Spiritum procedentem a principio constituunt « ut secundum » (1).

Fateor me non intelligere, quid disputator hisce verbis sensu vacuis sibi velit. Fortasse calumniatur, a catholicis constitui principium Spiritus Sancti distinctum a persona Patris et Filii, atque ita Spiritum procedere non a Patre Filioque, sed a principio altero; hoc enim videtur innuere absurda illa phrasis, « Pater et Filius *formant* unum principium. » Sed si huc tendit mendacium, non iam Trinitatem et *dualitatem*, ut ipse ait, sed simpliciter *quaternitatem* induci calumniari debuisset. Ceterum res est per se evidens, et iam in Tractatu nostro Th. XXXIV. p. 585.

(1) Ils introduisent la duplicité, car ils enseignent que le Père et le Fils forment (sic) un principe par rapport au Saint-Esprit, en tant que son principe; mais que le Saint-Esprit par rapport à Eux, en forme un second, en tant que procédant de ce principe.

has tricas Macarianas expedivimus. Ex doctrina catholica sunt utique in SS. Trinitate *duae processiones*, quam *dualitatem* etiam Photiani admittere coguntur, ne Trinitatem negare continuo ab omnibus intelligantur. Discrimen vero hoc est, quod catholici docent processionem *tertiae* personae esse a prima et secunda, et ideo *relatione originis*, praeter quam nulla est nec sine Arianismo asseri potest in Deo realis distinctio, Spiritum realiter distingui a Filio non minus quam a Patre; Photiani vero negantes *relationem originis* inter Filium et Spiritum, hoc ipso convincuntur negare Spiritum prae Filio persona *secunda* esse *tertiam* personam; neque enim (ut praeclare dixit Gregorius Nyssenus) praeter rationem principii ulla prioritas Filii prae Spiritu concipi potest; imo convincuntur negare distinctionem realem Filii et Spiritus Sancti, quia huiusmodi distinctio ex doctrina eiusdem Gregorii et omnium Patrum in Deo prorsus nulla est praeter relationes personarum ad invicem, principii et procedentis a principio. Non igitur in catholica sed in Photiana doctrina *dualitas* inducitur negando personarum Trinitatem.

Verbis concludam s. Gregorii Nysseni iam alias citatis. « Eadem est nostra doctrina de Spiritu Sancto (quae de relatione inter Patrem et Filium) *in solo ordine* distinctionem collocans. Sicut enim Patri coniungitur Filius, et ex ipso *esse* habens non posterior tamen est hypostasi; *ita vicissim ab unigenito pendet Spiritus Sanctus, sola quippe cogitatione secundum rationem principii unigenitus praeintelligitur hypostasi Spiritus Sancti... adeo ut excepta ratione principii sancta Trinitas nullo modo in se discernatur* » (1) (Nyssen. cont. Eunom. l. I. ad finem).

(1) Ὁ δε ἀυτος ἡμιν και περι του ἁγιου πνευματος λογος ἐν μονῃ τῃ ταξει την διαφοραν ἐχων. Ὡς γαρ συναπτεται τῳ πατρι ὁ ὑιος... ὁυτω παλιν και του μονογενους ἐχεται το πνευμα το ἁγιον, ἐπινοιᾳ μονῃ κατα τον της ἀιτιας λογον προθεωρουμενου της του πνευματος ὑποστασεως... ὡστε του λογου της ἀιτιας ὑπεξῃρημενου, ἐν μεδενι την ἁγιαν τριαδα προς ἑαυτην ἀσυμφωνως ἐχειν.

CAPUT II.

DE CORRUPTELIS TEXTUUM, QUAS PHOTIANI OBIICIUNT THEOLOGIS LATINIS.

Progredimur ad alteram de corruptelis textuum et «de fraudibus Latinorum» calumniam, cuius fons sicut olim apostatae Theophani Prokopowicz, ita nunc Macario erat insignis ille veterator Adamus Zoernikawius. Pauca ex suo ingenio invita admodum Minerva addidit Macarius ipse.

1° Non poterant Photiani ignorare, ad doctrinam quod spectat, ipsam primam originem suae sectae magnam saltem partem deberi imposturis et corruptelis Photii, qui publica documenta, litteras Pontificum s. Nicolai I. et Ioannis VIII. corrupisse, acta Conciliorum pro re sua interpolasse vel omnino confinxisse, ad evidentiam usque convictus est, ut superius demonstravimus (1). Graeca haec fides a primo schismatis auctore velut hereditario iure seu potius velut originale peccatum transiit ad posteros (2). Nam loca diserta Basilii, Gregorii Nysseni, Epiphanii de processione Spiritus Sancti *ex Filio* post schisma conflatum a Graecis obliterata fuisse, patriarcha Beccus, Bessarion, Iosephus Methonensis, Constantinus Meliteniota aliique ex ipsis codicibus erasis patefecerunt (cf. Graecia orthodoxa T. I. p. 134. 366. sqq. T. II. p. 73. 120. 825-854. 864; Harduin. Conc. IX. p. 567; vide plura apud Hergen-

(1) S. Nicolaus I. ep. 9. ad Michaelem imperatorem conquestus de depravatione epistolarum suarum, Graecis familiares ait esse has fraudes: « apud Graecos, sicuti nonnulla diversi temporis scripta testantur, familiaris est ista temeritas » (Mansi XV. p. 224.). Iam pridem de graecis imposturis monuerat s. Gregorius M. « Romani autem codices multo veriores sunt quam graeci, quia vestra (Graecorum) non acumina, ita nec imposturas habemus » l. VI. (al. V.) ep. 14. ad Narset. Patrit. Exempla plura citata vide in Conc. Florent. sess. XX. Mansi XXXI. p. 770. sq.

(2) Monumenta aliquot stupidae imposturae Graeculorum et Moscovitarum habes descripta in Historia Photii cl. Hergenroether T. III. l. X. §. 10. p. 843. sq.

roether in Photii mystagogiam Animadvers. §. II. nota 10; Laemmer Scriptorum graec. Bibl. selecta T. I. p. 81-86; Hefele Hist. Concil. T. VII. p. 699. 704. 719). Imo Macarius ipse quantum hac arte valeat, in superioribus vidimus, cum textus omnibus notissimos et manifestos, confisus ignorantia lectorum et ductus exemplo maiorum suorum, truncasse ac pervertisse non semel deprehensus est. Nunc vero pro confirmandis suis criminationibus appellat ad homines catholici nominis calumniatores infensissimos eoque sibi chariores, praeter monachum schismaticum Zoernikawium eiusque compilatorem Prokopowicz, ad Protestantes scilicet Franciscum Iunium, Danielem Francum, Loescherum, Caveum, ad apostatam Oudinum, quos ad fucum speciosiorem « eruditos occidentales » celebrat.

Omnia autem quae profert, vel pertinent ad textus genuinos pervertendos et abnegandos ea sola ratione, quod unus alterve codex aliam habet lectionem, vel maximam partem eo tandem revocantur, quod opera quaedam exstant vetusta quidem, falsis tamen nominibus Patrum olim inscripta, sub quibus veteres theologi ea citare consueverant. Ipsam vero genuina opera a supposititiis distinguendi artem criticam certe catholici non a Graeculis aut Russis didicerunt. Porro si testimoniorum genuinorum ingens copia dissimuletur aut ex eis textus citentur truncati, ac deinde conclametur de fraudibus patratis, quia idem dogma etiam in operibus supposititiis aeque ac in genuinis reperitur expressum; hac sua methodo Macarius non modo dogma de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, sed totam fidem christianam contribulibus suis eripiet. Nihilominus inspiciamus singillatim corruptelas, quae « fraude Latinorum » inductae esse dicuntur.

2° Testimonia quae (ut ait) falso attribuuntur Patribus, recitat sequentia.

a) Legati a Concilio Aquisgranensi ad Leonem III. Pontificem missi velut Hieronymi verba ex « Expositione symboli » haec referebant, quae (inquit) nullibi reperiuntur: « Spiritus qui a Patre et Filio procedit, Patri Filioque coaeternus et per omnia aequalis est. »

At undecumque verba desumpta sint, certe professio haec quoad sensum exstat integra in « Expositione symboli » olim Hieronymo a multis tributa, quae vero Rufini est synchroni Hieronymo. Verba Rufini in editione Vallarsii haec sunt. « Ille Pater intelligatur, ex quo omnia et quia ipse non habeat Patrem; iste Filius, tamquam qui ex Patre natus sit; et hic Spiritus Sanctus, *tamquam de utroque procedens* (1), et omnia sanctificans. Ut autem una eademque in Trinitate divinitas doceatur, sicut dictum est, in Deo Patre credi... ita et in Christo Filio eius, ita et in Spiritu Sancto memoratur » Expos. symbol. n. 35. (Migne T. XXI. p. 372).

b) Alteram fraudem Latinorum ex Zoernikawio suo describit Macarius patratam in Concilio Florentino, ubi theologus Latinorum Ioannes Magister Provincialis Ord. Praed. in Longobardia (2), citasse dicitur ex professione fidei Damasi Pontificis verba supposititia: « Credimus.... Spiritum Sanctum qui nec Pater sit nec Filius; sed a Patre procedat et Filio. »

Verba haec non exstant quidem in epistola Damasi ad Paulinum, quam Theodoretus refert (H. E. l. V. c. 11);

(1) Vindicat genuinam hanc lectionem Vallarsius explosa altera, « tamquam de Dei ore procedens, » quae (inquit) « conficta posteriore manu videtur, » quamvis haec ad eundem sensum revocetur iuxta PP. doctrinam, quibus *os Patris* est Filius.

Eodem modo quo legati Aquisgranenses, verba recitat s. Petrus Damiani Opusc. 38. de Process. Spir. Sancti c. 5. Addit vero pro sua sinceritate: « quamvis hoc in Expositione fidei eius (Hieronymi) videlicet illa, quam legimus, nequeat inveniri. » Nempe s. Petrus non hanc Rufini, sed aliam habuit « Hieronymi Expositionem fidei ad Alypium et Augustinum, » quam citat c. 2. et in qua dicebatur solum: « Credimus in Spiritum Sanctum ex Patre procedentem. » Haec quam Damianus dicit « Expositionem fidei ad Alypium et Augustinum, » non aliud est quam libellus fidei a Pelagio haeretico missus ad Innocentium I. Pontificem, ut patebit cuivis conferenti verba a Damiano c. 2. citata cum ipso textu Pelagii. Exstabat vero olim ista Pelagii professio nomine « Explanationis fidei » inter Opera Hieronymi. Vide Oper. Hieronymi ed. Vallarsii T. XI. p. 146.

(2) Eruditissimus Macarius illum appellat « *Jean de Provence* » p. 392; munus nimirum *Provincialis* commutavit in pulcherrimam provinciam Galliae.

neque dicemus genuinam lectionem esse repetendam ex collectione canonum Cresconiana (vide Baronium ann. 867. n. 68). At « fraus Latinorum » non reperietur nisi haec ingens, quod professio fidei certe antiqua, non tamen Damasi cuius nomine inscribitur, saeculo XV. censebatur adhuc huius esse Pontificis, qui tandem error est nominis. In ea vero ita habetur. « Credimus.... Spiritum Sanctum non genitum neque ingenitum, non creatum neque factum, *sed de Patre Filioque procedentem* » Coustant. Epistol. RR. PP. Appendic. p. 101. Doctrinam eandem habes in genuina explanatione fidei facta « in Concilio urbis Romae sub Damaso Papa, » quam Holstenius edidit. « Spiritus Sanctus non est Patris tantummodo aut Filii tantummodo Spiritus, *sed Patris et Filii Spiritus* (probatur ex textibus Scripturae)... *Nominato itaque Patre et Filio, intelligitur Spiritus Sanctus, de quo ipse Filius in Evangelio dicit: quia Spiritus a Patre procedit; et: de meo accipiet et annuntiabit vobis* » (Migne XIII. p. 374). Unde Alexius Aristenus canonum interpres graecus saeculi XII. vel alius Georgius Aristenus atque ex eo Iosephus Methonensis et Simeon saeculo XV. patriarcha (vide Allatium contra Hottinger c. 18. 20. et Lequien dissert. Damasc. I. n. 26.) narrant, « Damasum una cum catholicis Episcopis sibi obnoxiis Concilium Romae coegisse, qui in sancto Nicaeno symbolo addiderunt, Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere » (Migne l. c. p. 245).

c) Postremo Macarius appellans ad apostatam Casimirum Oudinum accusat s. Thomam Aquinatem, « qui revera praesumpserit falsa testimonia Patrum citare maxime in opusculo contra Graecos. »

Atqui s. Thomas in citationibus illius opusculi nihil omnino « praesumpsit. » Libellus quippe complectens plura maiorem partem genuina, nonnulla falsis nominibus inscripta testimonia ss. Patrum, delatus fuerat a quopiam ad Urbanum IV. Pontificem, qui eundem misit Aquinati non sane, ut genuinos a supposititiis textibus discerneret; sed ut examen institueret doctrinae in illis testimoniis expressae, qui demum cumque fuerint auctores, an catholica ea

esset, et quid inde frugis ad catholicae fidei illustrationem percipi posset. S. Thomas ergo non criticae sectionis sed theologicae interpretationis munus in se suscipiens, nomina Patrum quibus singulos textus in libello attributos reperit, in fidem collectoris assumpsit, in illud unum intentus, ut catholicum testimoniorum sensum demonstraret. Sive enim horum essent auctorum, quibus inscribebantur, sive aliorum, inde per se nec sensus verborum nec etiam defensio veritatis catholicae pendebat. Et sane pridem novimus textus, quos Photianus obiicit, non esse Athanasii, cui in libello tribuebantur (1); at sunt Athanasii testimonia plurima sincera et ex his non pauca etiam in eodem libello citata, quibus catholica s. doctoris Alexandrini sententia de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio luculenter declaratur, ut in nostro Tractatu de Trinitate demonstravimus. Absurdas calumnias Oudini, quas Macarius cum suis antecessoribus repetit, vide confutatas in dissertationibus criticis Ioannis Bernardi de Rubeis dissert. V. c. 4. n. 3; dissert. XIX. c. 2. De illa testimoniorum collectione confer etiam Lequien in Praefat. ad Opp. s. Io. Damasceni p. X.

3[tio]. Praeter textus istos modo recitatos, quos dicit supposititios, Macarius inducit testimonia Patrum, quae criminatur a Latinis fuisse corrupta; re tamen vera plerumque non aliud ibi latet mysterium, nisi quod nonnulli scriptores citando Patrum loca non tam verba describere quam genuinum sensum clarius exprimere propositum habebant. Quae si fraudis accusentur, Graeci ac Russi ipsam versionem Scripturarum qua utuntur, plane habebunt huiusmodi fraudibus refertam.

a) Hic imprimis quoad sermonem Gregorii Nysseni (in orat. dominic.), ubi Spiritus Sanctus dicitur ex Patre

(1) Macarius simul cum s. Thoma accusat etiam Bellarminum falsae citationis; sed Bellarminus (De Christo l. II. c. 28) testimonium se afferre dicit, ut est apud s. Thomam. Nempe sicut s. Thomas, ita Bellarminus et alii Scholastici, qui illud descripserunt, tandem nos remittunt ad fidem illius, qui testimonia collecta Urbano IV. obtulerat. Huiusmodi vero collectoribus quam pronum sit in nominibus errare transiliendo ab uno ad aliud, constat ex sic dictis Catenis Patrum.

esse *et simul ex Filio testimonio confirmari* (και 'EK του υἱοῦ συμαρτυρειται); eodemque modo quoad celebre testimonium Basilii (contr. Eunom. l. III. n. 1.) accusatio corruptelae in caput schismaticorum retorquetur; quoniam nunc praesertim post novas curas Marani et Cardinalis Mai demonstratum censeri debet, lectionem genuinam catholicorum in utroquo loco usque ad confirmationem schismatis perstitisse in codicibus, quorum plures adhuc habentur superstites (1). De his alibi satis dictum est (Tract. de Trin. ed. 2. p. 523. sqq. et heic superius p. 129. sq.).

b) Tum seponantur, quae Photianus ingerit de corrupto textu s. Hormisdae Pontificis in epistola 79. ad Iustinum imperatorem, et Didymi in libro de Spiritu S. n. 34. ex versione s. Hieronymi; uterque enim locus omnino sincerus ex editionibus criticis probatur, nec Zoernikawii et ex eo Theophanis Prokopowicz et Macarii gerrae ullius sunt momenti. Vide de Hormisda in Tract. de Trinit. ed. 2. p. 509; de textu et contextu Didymi supra p. 45.

c) Porro seponantur rabularum declamationes de textu s. Augustini (Trin. V. cap. 11.), quem Petrus Lombardus (1. sent. dist. 18.) corrupisse dicitur. Luculentam Augustini doctrinam exposuimus (Tract. de Trin. Th. XXXV. n. II.), ut non catholicis theologis sed Photianis opus sit corruptelis, quarum patratione Macarium vidimus ausum esse affirmare, «directe ab Augustino repudiatam fuisse doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio.» In eo ipso contextu, ex quo interpolatio obiicitur, verbis disertis s. doctor declarat, «Patrem et Filium unum principium Spiritus Sancti» (2). Totum delictum Lombardi, qui in eadem illa distinctione XVIII. describit

(1) Photianus noster patriarcham Beccum et Emmanuelem Calecam accusat interpolationis particulae ἐκ (deux déserteurs de l'orthodoxie Veque et Paléca, qui écrivirent en faveur du faux dogme romain). Quomodo quaeso fieri potuit, ut Beccus et Calecas, quem Macarius vel eius interpres ubique nominat Palecam, viventes alter XIII. alter XIV. saeculo scripserint codices saeculo IX. antiquiores, in quibus particula ἐκ integra exstat? Sed nempe Beccus in synodo Episcoporum et principum convicit, particulam dolo malo a schismaticis erasam fuisse: inde irae!

(2) Locum descripsimus in Tract. de Trin. p. 506.

multa alia diserta testimonia Augustini, in eo unice iacet, quod longiorem s. doctoris contextum in pauciora verba contraxit.

d) Pariter seponatur accusatio de corruptela in « Explanatione fidei ad Cyrillum » olim Hieronymo adscripta. Non solum in antiquioribus sed etiam in editionibus criticis Martianaei ac Vallarsii integer textus legitur. « Spiritum Sanctum... invenimus in Scriptura de Patre proprie esse... de Patre Filius, *et Spiritus Sanctus proprie et vere de Patre Filioque procedit.* Primum igitur accipe, quod de Patre proprie est Spiritus Sanctus, dicente Scriptura etc. » (Migne T. XXX. p. 179.). Quod vero Photianus corruptelam probat ex Petro Damiani de Spiritu S. c. 2. et Petro Lombardo 1. sent. dist. 12., quos dicit illud *Filioque* non legisse, id meram imposturam habeas. Primum enim parvi referret, si saeculo XII. codices aliquot exstitissent mendosi; deinde minime probatur, illos duos doctores habuisse aliam huius loci lectionem. Petrus enim Damiani citat aliam Hieronymi « Expositionem fidei ad Alypium et Augustinum Episcopos, » atque ex ea verba omnino alia (1), quam sint in « Explanatione ad Cyrillum. » Lombardus porro propositum habet explicare, quo sensu Spiritus Sanctus dicatur *principaliter* et *proprie* procedere a Patre, ad quem scopum particula *Filioque* nihil conferebat, imo erat omittenda, ut adverbium *proprie* ad Patrem pertinere intelligeretur. Hunc vero magistrum « anxie quaerere, cur Hieronymus particulam *Filioque* omiserit, » Macarius cum suis mentitur (2). Confer etiam Petav. l. VII. c. 10. n. 12. 13.

(1) « Beatus plane Hieronymus in Expositione fidei, quam ad Alypium et Augustinum Episcopos mittit, inter cetera sic ait: credimus et in Spiritum Sanctum, Dominum verum, ex Patre procedentem, aequalem per omnia Patri et Filio » Petrus Damiani l. c. Hanc « Expositionem fidei » esse Pelagii haeretici, iam superius advertimus, eaque omnino differt ab altera, quae « ad Cyrillum » inscribitur.

(2) « Pierre Lombard après avoir cité ce même passage de s. Jérôme et deux autres pareils, se demande avec anxieté: pourquoi donc Jérôme, après avoir dit que le Saint-Esprit procède du Père, n'a-t-il point ajouté: et du Fils? cur Hieronymus dixerit Spiritum Sanctum a Patre procedere proprie, *non addito Filio?* Sent. l. 1. dist. 12. » Ita Macarius

e) Seponatur denique criminatio risu digna, Latinos interpolando litteras Photii, huic ipsi « viro heroico » supposuisse doctrinam de processione Spiritus Sancti etiam a Filio.

Nemo umquam Latinorum dubitavit, quin origo haereseos, saltem quatenus in orientalem sectam coaluit, Photio debeatur; qua ergo ratione eis in mentem venire potuisset interpolatio in eius scriptis, ut illum dogma catholicum defendisse fingerent? Zoernikawius et ex illo Macarius narrant, Henricum Canisium in codice manu scripto symbolum Constantinopolitanum, quod Photius suis litteris ad Michaëlem Bulgarorum principem (ep. 8. in ed. Migne T. CII. p. 630.) inseruerat, reperisse interpolatum per additam particulam *Filioque*. At haec historiola est levissima et nullius frugis. Codicem istum iactatum scias non aliud fuisse quam schedam Francisci Turriani, qui non Photio illam professionem adscribere sed symbolum ad formam Ecclesiae occidentalis redigere in sua latina versione propositum habuit; unde Canisius vocem *Filioque* minutioribus litteris imprimi iussit, ne quis homo ineptus forte eam Photio tribuendam suspicari posset. Vide cl. Laemmer l. c. p. 47.

4°. Sequuntur tria testimonia, in quibus Macarius cum suis interpolationem Latinorum exprobrat; re autem vera totum venenum latinum in hoc iacet, quod duorum textuum Athanasii sensus genuinus in versione latina expressius

p. 396. Atqui Photianus dum accusat Latinos corruptelae, in accusatione ipsa manifeste corrumpit textum Lombardi, qui nequaquam dixit, quod Macarius latine et vernacule confingit; sed verba eius haec sunt. « Eodem sensu (sicut *principaliter* a Patre procedere) etiam dicitur procedere *proprie* de Patre. » Unde Hieronymus ait: « credimus in Spiritum Sanctum, qui de Patre procedit *proprie*. Item: Spiritum Sanctum verum Deum invenimus in Scriptura et de Patre esse *proprie*. Et iterum: de Patre Filius, et Spiritus Sanctus *proprie* et vere de Patre procedit. Ecce aperte dicit, Spiritum Sanctum *proprie* esse de Patre, et *proprie* procedere a Patre. Quod non est ita intelligendum, tamquam prius vel plenius a Patre procedat quam a Filio; sed quia hoc habet Pater a se, non ab alio, ut de ipso sit et procedat Spiritus Sanctus, Filius autem non a se, sed a Patre hoc habet, ut de ipso sit et procedat Spiritus Sanctus » Sent. 1. dist. 12.

redditus, et in tertio testimonio Ambrosii verborum compendium factum est.

a) Ambrosius explicat, quomodo Matth. I. 18. beata Virgo dicta sit « in utero habens *ex Spiritu Sancto.* » Particula *ex,* inquit, indicat originem vel *ex substantia,* atque ita ex Patre est Filius, ex Patre et Filio est Spiritus Sanctus; vel indicat originem *ex potestate et operatione,* atque ita ex Spiritu Sancto b. Virgo concepit. « Quod ex aliquo est, aut ex substantia est aut ex potestate eius (1). Ex substantia, sicut Filius, qui ait: ex ore altissimi prodivi; sicut Spiritus, *qui a Patre procedit* (Io. XV. 26), de quo dicit Filius: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet* (Io. XVI. 14); ex potestate autem, sicut illud est: unus Deus Pater, ex quo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto?.... Quasi ex operatione et potestate eius Virgo concepit » Ambros. de Spirit. S. l. II. c. 5. n. 42. Evidens est, Ambrosium duplici textu Evangelii declarare, *ex cuius substantia* sit Spiritus Sanctus, nimirum est *ex substantia Patris* iuxta Io. XV. 26. et *ex substantia Filii* iuxta Io. XVI. 14. Hoc alterum eodem modo iterum demonstrat paulo inferius (c. 12. n. 134.). « Omnia accepit a Patre Filius, quia ipse dixit....omnia quae Pater habet, mea sunt (Io. XVI. 15); et quae accepit ipse (Filius) per unitatem naturae, *ex ipso per eamdem unitatem accepit et Spiritus, sicut ipse Dominus Iesus declarat, de Spiritu suo dicens: propterea dixi , de meo accipiet et annuntiabit vobis* » (ibid.).

Nunc audi crimen. Petrus Lombardus locum istum prolixiorem capitis 2. contraxit in compendium servato plane sensu genuino ; hocque est totum grande scelus , de quo Photiani tragoedias cient. De fraude iam ideo sermo esse nequit, quia Lombardus verbis Ambrosii ne utitur quidem ad probandam Spiritus Sancti processionem ex Filio, sed ut probet, « dici Christum secundum hominem ideo natum de Spiritu Sancto, quia eum fecit. » Compendium Magistri

(1) Macarius vel eius interpres Gallicus haec non intelligens insulse vertit: « Ce qui est *d'un homme,* est de son essence ou de son pouvoir; de l'essence, comme le Fils, qui est du Père » etc.

ita habet. « Cuius dicti (inventa est in utero habens de Spiritu Sancto) rationem Ambrosius insinuans ait: quod ex aliquo est, aut ex substantia aut ex potestate eius est; ex substantia, sicut Filius, qui a Patre, et Spiritus Sanctus, qui a Patre Filioque procedit; ex potestate autem, sicut ex Deo omnia. Cum ergo in utero habuerit Maria de Spiritu Sancto....... quasi ex operatione et potestate eius Virgo concepit » Lombard. Sent. l. 3. dist. 4.

b) Ut intelligamus crimen interpolationis in testimoniis Athanasii, s. doctoris contextum ac modum loquendi ei solemnem prae oculis habeamus necesse est. Athanasius multis in locis relationem Filii ad Patrem, Spiritus Sancti ad Patrem et Filium imaginibus explicat, quarum aliquas descripsimus ex ep. I. ad Serapionem in Tractatu de Trin. ed. 2. p. 468. Una harum imaginum ex ipsis Scripturis derivata est illa, qua Pater dicitur lux (φως), Filius splendor (ἀπαυγασμα), Spiritus illuminatio (φωτισμος); vel alio modo Pater dicitur sol, Filius splendor a sole, Spiritus Sanctus lux seu illuminatio a sole in suo splendore, h. e. a Patre et Filio ut unum sunt. Quae comparatio etiam aliis doctoribus familiaris est, ut Tertulliano, Epiphanio, Gregorio Nysseno quos citavimus (ibidem p. 494. 518. 541. et supra in hac appendice p. 95. 96. *nota*), Anastasio Antiocheno (supra p. 65. 66.) aliisque. « Enim vero (inquit Athanasius loquens de Patre et Filio) ipse quoque splendor lux est, nec lux secunda aut alia quam sol, nec eius participatio dumtaxat, sed totus proprius eius foetus. Huiusmodi autem foetus necessario lux una est, nec dici potest duas illas esse luces, sed duo quidem esse solem et splendorem, unam vero ex sole lucem in splendore illuminans universa » (1) orat. III. contr. Arian. n. 4. In his Spiritum Sanctum implicite tantum comprehendit, quem deinde inferius explicite declarat ut illuminationem ex sole

(1) *Και γαρ και το ἀπαυγασμα φως ἐστιν, ὀυ δευτερον του ἡλιου, οὐδε ἑτερον φως, ὀυδε κατα μετουσιαν ἀυτου, ἀλλ' ὁλον ἰδιον ἀυτου γεννημα. Το δε τοιουτον γεννημα ἐξ ἀναγκης ἑν ἐστι φως· και οὐκ ἀν τις ἐιποι δυο φωτα ἐιναι ταυτα, ἀλλα δυο μεν ἡλιον και ἀπαυγασμα, ἑν δε το ἐξ ἡλιου φως ἐν τῳ ἀπαυγασματι φωτιζον τα πανταχου.*

in splendore. « Divina Scriptura huiusmodi nobis exempla (solis, splendoris, illuminationis) suppeditavit, ut superius diximus, ex quibus et proditores Iudaeos confutare possumus et gentilium calumniam, qui aiunt et opinantur, nos quoque multos deos dicere ratione Trinitatis. Neque enim ut propositum exemplum demonstrat, tria principia aut tres Patres inducimus, quemadmodum et Marcionitae et Manichaei, *siquidem non tres soles in exemplum proposuimus, sed solem et splendorem, unamque lucem ex sole in splendore*.... Unus Deus Pater in se ipso existens ut qui est super omnes, et in Filio manifestatus ut qui pervadit per omnia, et in Spiritu ut qui in omnibus per Verbum in ipso (Spiritu) operatur (cf. Eph. IV. 6.). Sic enim per Trinitatem confitemus unum esse Deum » (1) ibid. n. 15. Vides hic ad declarandam unitatem essentiae ex Patre in Filio, ex Patre et Filio (seu ex Patre ut unum est cum Filio) in Spiritu Sancto, tres personas exhiberi ut solem, splendorem, lucem. Splendor refulgens ex sole unum est cum sole, ex sole in splendore h. e. ex Patre in Filio per immanentem generationem genito, atque adeo quatenus Pater et Filius unum sunt, radiat lux h. e. procedit Spiritus Sanctus.

Comparando itaque tres formulas: *ex Patre per Filium, ex Patre in Filio, ex Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus,* illae quoad rem significatam prorsus idem dicunt; quoad modum significandi secunda est media inter primam et tertiam. Nam cum prima, de qua vide Tractatum de Trin. Th. XXXVI., convenit in declaranda distinctione ac relatione Patris ac Filii, cum tertia in expressiore significatione unitatis principii, quoniam Spiritus procedit a Patre Filioque, non quatenus distinguuntur sed quatenus vi spiratrice unum sunt. Confer de processione Spiritus

(1) Ἐπει μηδε τριων ἡλιων ὑπεθεμεθα την ἐικονα, ἀλλα ἡλιον, και ἀπαυγασμα, και ἐν το ἐξ ἡλιου ἐν τῳ ἀπαγαυσματι φως.... και εἱς θεος ὁ πατηρ, ἐφ᾽ ἑαυτῳ ὢν κατα το ἐπι παντων ἐιναι, και ἐν τῳ ὑιῳ δε φαινομενος κατα το δια παντων διηκειν, και ἐν τῳ πνευματι δε κατα το ἐν ἁπασι δια του λογου ἐν ἀυτῳ ἐνεργειν.

Sancti *a Patre in Filio* etiam Cyrillum Athanasii successorem in loco, quem citavi supra p. 154.

Iam vero tota fraus Latinorum quam Zoernikawius et ex eo Macarius obiiciunt, ad hoc unum reducitur, quod latinus interpres in editione Basileensi et antiquiore Parisiensi formulae *ex sole in splendore* substituit alteram *ex sole et splendore*, seu potius illud *ex sole in splendore* brevius expressit circumscribens: *ex utroque;* vertit enim ad sensum omnino rectissime: « cum non tres soles ad comparationem adducamus, sed unicum solem, eiusque splendorem, *et ex utroque lucem procedentem,* » vel (apud Bellarminum de Christo l. II. c. 25) « *unamque ex ambobus lucem.* »

c) Simillimus praecedenti locus exstat in Athanasii epistola I. ad Serapionem n. 19-21, ex quo nonnulla descripsimus in Tract. de Trin. Th. XXXIII. p. 468. Sed quoniam Macarius in ipso hoc testimonio Athanasii s. Thomam corruptelae accusat, contextus iterum oculis subiiciendus est, ut (si fieri possit) Photianos poeniteat criminationis.

« Fons et lux Pater dicitur (1); Filius vero cum refertur ad fontem dicitur fluvius; cum autem ad lucem refertur, splendor appellatur. Cum ergo Pater sit *lux,* et Filius *splendor eius;* licet etiam *in Filio perspicere Spiritum, in quo illuminamur....* Similiter ut Pater est *fons,* et Filius *fluvius* appellatur, ita *Spiritum (velut aquam) bibere dicimur* (2).... Deinde cum Pater, uti docet Paulus, solus sit *sapiens*, Filius est *eius Sapientia;* cum autem Filius sit *Sapientia,* nos *Spiritum Sapientiae* accipientes Filium habemus (3).... *Et iterum sicut Filius quae faciebat opera*, *Patrem facere dixit:* Pater in me manens ipse facit opera; credite mihi, quia ego in Patre et Pater in me; alioquin

(1) Athanasius in toto hoc loco comparationes ex verbis Scripturae desumens, textus sacros in singulis incisis adducit; sed compendii causa eos hic omittimus.

(2) *Του τοινυν πατρος φωτος ὀντος, του δε ὑιου ἀπαυγασματος ἀυτου, ἐξεστιν ὁρᾳν και ἐν τῳ ὑιῳ το πνευμα, ἐν ᾡ φωτιζομεθα ...παλιν δε του πατρος πηγης, του δε ὑιου ποταμου λεγομενου, πινειν λεγομεθα το πνευμα.*

(3) *Του πατρος μονου σοφου ὀντος ... ὁ ὑιος ἐστιν ἡ σοφια ... του δε ὑιου ὀντος της σοφιας, ἡμεις πνευμα σοφιας λαμβανοντες, τον ὑιον ἐχομεν.*

propter opera ipsa credite (Io. XIV. 10); *ita quae in virtute Spiritus Paulus operabatur, Christi opera esse dicebat:* non enim audebo, inquit, aliquid loqui eorum, quae in me non efficit Christus... in virtute Spiritus Sancti (Rom. XV. 18). » Interiectis deinde aliquot Arianorum difficultatibus contra unitatem naturae in tribus distinctis personis, Athanasius eis respondet declarando communicationem naturae unius a Patre in Filium, a Patre et Filio in Spiritum Sanctum. « Huiusmodi haesitatio, inquit, potissimum quidem fide sanari poterit, deinde etiam praedictis exemplis imaginis, splendoris, fontis, fluvii, substantiae et figurae (ex Heb. I. 3). *Quemadmodum enim Filius in propria imagine est nempe in Spiritu, ita et Pater in Filio (ut in propria imagine).... ut credamus unam esse sanctitatem, quae ex Patre per Filium in Spiritu Sancto communicatur* (1)... Cum enim unus sit Filius Verbum vivum, necesse est *unam esse eius perfectam ac plenam sanctificatricem et illuminatricem viventem virtutem et donum* (nempe Spiritum Filii), *quae ex Patre procedere dicitur, quia a Verbo, quod ex Patre esse in confesso est, effulget et mittitur et datur.* Filius a Patre mittitur; sed Filius mittit Spiritum. Filius Patrem glorificat; Filium glorificat Spiritus. Filius dicit: quae audivi a Patre, haec loquor in mundo; Spiritus autem a Filio accipit: de meo, inquit, accipiet, et annuntiabit vobis. Filius in nomine Patris venit; Spiritum Sanctum, ait Filius, mittet Pater in nomine meo. *Cum ergo eundem ordinem eandemque naturam (eandemque naturalem relationem) Spiritus habeat ad Filium, qualem Filius ad Patrem* (2), quomodo is qui Spiritum rem creatam dicit, non idem necessario de Filio sentiet? Si enim *Spiritus Filii* creatura est, consequens erit, ut dicant et *Verbum Patris* esse creaturam » ep. I. ad Serap. n. 19-21. Illustrius

(1) Basilius de Spir. S. n. 47. habet gemina: *ἡ φυσικη ἀγαθοτης ὁ κατα φυσιν ἁγιασμος και το βασιλικον ἀξιωμα ἐκ πατρος δια του μονογενους ἐπι το πνευμα διηκει.* Et ipse Athanasius contr. Arian. or. III. n. 24. ait: « quaecumque Spiritus habet, a Verbo habet » *και ὁσα το πνευμα, παρα του λογου ἐχει.*

(2) Eadem apud Basil. cont. Eunom. l. V. T. I. p. 304.

relatio originis Spiritus Sancti ad Filium; et quia Filius est ex Patre, eadem una relatio ad Patrem et Filium exprimi non potest, quam hic a magno Athanasio est descripta. Vide Tract. de Trin. l. c.

Nunc examinemus corruptelam insignis huius loci, quam Macarius cum suis obtrudit s. Thomae. Fraus Latinorum tota consistit in versione vel explicatione unius incisi. Verba Athanasii sunt superius citata: « sicut Filius, quae faciebat opera, Patrem facere dixit.... ita quae in virtute Spiritus Paulus operabatur, Christi opera esse dicebat» (1). Iam quisnam quaeso ex toto contextu est sensus huius incisi? Filius (ait Athanasius) sua opera dicit esse opera Patris ad declarandam suam relationem originis a Patre; atqui Paulus eodem modo opera Spiritus Sancti dicit esse opera Christi Filii; ergo eadem est relatio originis, seu ut Athanasius loquitur, idem ordo et eadem natura Spiritus Sancti ad Filium, qualis est Filii ad Patrem. Unde non quidem s. Thomas, sed ille qui Urbano IV. Pontifici obtulerat collectionem testimoniorum ex ss. Patribus, locum istum Athanasii sensu prorsus genuino ita in compendium contraxit, simulque declaravit: « Apostolus quae in eo operatur Spiritus et efficit, Filio auctori eius attribuit; sicut et Filius quae ipse facit opera, suo auctori Deo Patri attribuit. » S. Thomas vero non aliud praestitit, nisi quod locum, ut illum in collectione sibi tradita reperit, descripsit, atque argumentum in eo sine dubio comprehensum pro processione Spiritus Sancti a Filio explicuit (Opusc. contra errores Graecor. c. 32).

5°. Unica adhuc manet stropha Macarii de loco Ioannis Damasceni corrupto. Totum negotium ad haec revocatur. Exstat « Vita ss. Barlaam et Iosaphat » adscripta auctori Ioanni Damasceno, eiusdemque versio latina Georgio Trapezuntio falso attributa in lucem prodiit saeculo XVI. minime castigata. Ille nec bonus interpres nec theologus censuit suspicionem Photianae haereseos amovendam esse

(1) Ὥσπερ ὁ υἱος ἅπερ ἐποιει ἐργα, ἐλεγε τον πατερα ἐργαζεσθαι.... οὕτως ἅπερ ἐν δυναμει πνευματος ἐιργαζετο ὁ Παυλος, ἐλεγε του Χριστου ἐιναι τα ἐργα ibi n. 19. ad finem.

a scriptore istius vitae; atque ideo ubi cum innumeris Patribus graecis et latinis et cum ipso symbolo, imo cum ipso Evangelio opusculum cap. 19. habet: ἐν πνευμα ἁγιον το ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον, ille inepte putans textum correctione indigere (1), posuit in sua versione: « Spiritum Sanctum procedentem a Patre *et Filio.* » Fructus vero huius nimiae cautionis is erat apud catholicos, non iam ut istam versionem appellarent pro confirmatione dogmatis; sed ut viri docti inter quos Bellarminus (de Script. eccles. de s. Io. Damasceno), iudicaverint vel locum esse interpolatum, vel opusculum non posse auctorem habere Damascenum, quoniam inter duas formulas processionis *a Patre et Filio* atque *a Patre per Filium*, Damasceno non nisi hanc alteram in usu fuisse constat (2). Textus graecus semper mansit integer, quem paulo post priorem illam versionem editam (anno 1577) Iacobus Billius etiam in sua

(1) Sine dubio etiam falsus est D. Boissonade, qui in sua editione huius vitae (Parisiis 1832) sub ista sententia scriptorem schismaticum sibi subodorari visus est (Migne T. XCVI. p. 1027. nota 95. 96.).

(2) « Quia Barlaam dum instituit discipulum suum Iosaphat (ait Bellarminus), iubet eum credere in Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedentem, dubitatio exorta est, an hoc opus esse potuerit Ioannis Damasceni, qui (l. I. c. 11. Fid. orthod.) docet Spiritum Sanctum non procedere *ex Filio* sed *per Filium*. Sed responderi potest (ad opus Damasceno vindicandum), in historia Barlaam particulam illam *ex Filio* videri additam ab aliquo; nam in nova editione Billii non habetur. » Eadem quae Bellarminus, disserit pluribus Allatius. Calumniatur Photianus, dum haec obtrudit: « Le Jesuite Antoine Possevin, suivant quelques editions de s. Jean Damascene, cite de l'histoire de Barlaam et de Josaphat (chap.19.), connue sous son nom, l'expression suivante: *reconnais le seul Saint-Esprit, qui procède du Père et du Fils.* » Atqui Possevinus de ista Vita Barlaami nihil prorsus aliud affert, nisi quod editionem Billii (quae non habet additionem *et Filio*) ceteris praeferendam esse docet (Possevin. in Apparatu sub voce *Ioannes Damascenus* T. II. p. 164. ed. Venet. 1606.). Non minus odiosa et falsa sunt, quae iactat de Bellarmino et Allatio, quasi viri doctissimi ex editione demum Billiana *coacti* errorem agnovissent. Postquam nimirum dixit de editione Billii sine particula *et Filio*, addit: « après cela Bellarmin lui-même et le plus perfide adversaire de l'Eglise orthodoxe (i. e. qui perfidiam schismaticorum luculentius demonstravit), Leon Allatius, *furent forcés* de reconnaître pour altéré le passage cité » Macar. p. 396.

translatione latina sincere reddidit. De auctore istius historiae et de latina versione vide Allatium in Prolegomenis ad s. Ioannem Damascenum n. 44-53 (Migne T. XCIV. p. 151. sqq.).

Haec sunt, quae Macarius velut manifestiora argumenta corruptelarum a Latinis patratarum triumphali iactantia (ut solent impostores ignorantiae stultorum illudere) ex monacho Baturinensi Zoernikawio eiusque expilatore Theophane Prokopowicz produxit. Eiusdem vero farinae sunt reliqua in farragine Zoernikawiana, quae quoniam Macarius ipse silentio premenda duxit, hic non attingam; eorum confutationem, si qui desiderent, compendio dabit cl. Hugo Laemmer in opere citato.

Excussimus universa, quae Episcopus apud suos eruditionis fama celebratus toto ingenii acumine invenire potuit argumenta ad dogma fidei catholicae oppugnandum, et stabiliendam sententiam haereticam sacrilega ambitione Photii primum invectam, eadem deinde superba cupiditate subsequentium patriarcharum ac praesulum orientalium resuscitatam, confirmatam denique Byzantinorum atque recentius Russorum principum acerbiore tyrannide, quam sicut flagellis et exiliis, ferro et sanguine contra fideles catholicos, ita non minus honorum ac munerum profana largitione erga sectarios et apostatas exercent, non sane quod de ipso dogmate in sese magnopere sint solliciti, sed ut per scissionem haereseos habeant synagogam imperialem pendentem a suo nutu in modo et mensura libertatis, suis pedibus proculcatam in abiectione servitutis. Utinam illi qui inter catholicos in tempestate persecutionis naufragio circa fidem propinquiores sunt, et qui inter schismaticos bona voluntate desiderant portum verae fidei, oculis mentis collustratis gratiae lumine clare perspicerent, de summa re agi, de ipso nimirum mysterio SS. Trinitatis, quod Tertullianus « substantiam novi Testamenti, » Gregorius Nazianzenus « fidem totius vitae sociam et patronam » appellat (Tertull. cont. Prax. c. 31; Nazianz. or. 40. n. 41.). Ipsum vero hoc princeps mysterium fidei christianae totum subvertitur, si non in omnibus tenetur,

prout in revelatione Scripturae et Traditionis secundum intellectum catholicum et sensum ecclesiasticum explicatae credendum praedicatur. Hanc sane subversionem mysterii contineri in doctrina schismatis orientalis demonstravimus, in Tractatu de Trinitate quidem exponendo fidem catholicam de processione Spiritus Sancti ex omnibus documentis revelationis, in hac deinde praesenti disquisitione examinando vim ac sensum et fundamenta innovationis Photianae, quae sicut primum a suo auctore conficta est, ita a sectatoribus alia ratione sustentari non potest, nisi omnium monumentorum catholicorum, Scripturae, symbolorum, Conciliorum, doctrinae Patrum partim abnegatione, dissimulatione, truncatione; partim in sententiis etiam lucidissimis ad alienum sensum transversione.

Spiritus veritatis et sapientiae, a Patre et Filio veritate et sapientia, aeternaliter procedens in una veritate et sapientia, ac temporaliter missus ad docendam omnem veritatem et impertiendum donum sapientiae aperiat corda errantium intendere his, quae dicuntur ab una, sancta, catholica, apostolica Ecclesia, cui promissus et missus est ipse Spiritus veritatis, ut cum ea maneat in aeternum.

SCHOLIA

AD DISSERTATIONEM NEOPHOTIANAM

IOSEPHI LANGEN

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

Postquam Examen doctrinae Macarianae iam aliquamdiu ad calcem perduxeram, in manus meas incidit de eodem argumento sed alia methodo, ex aliis principiis, ad alium scopum tractans opusculum hominis ab Ecclesia catholica ad Neoprotestantismum apostatae Iosephi Langen, qui faventibus persecutoribus Ecclesiae stipendia et appellationem « Professoris theologiae catholicae » retinet (1), ab oppugnatione nimirum theologiae catholicae nomen invertens.

Errores in hac « disquisitione » Langeniana sunt multi et graves non modo in interpretanda doctrina Scripturae et Patrum de processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio, seu ex Patre per Filium, in explicando genuino sensu huius dogmatis revelati, in aestimando eius valore, et consequenter in declaratione totius mysterii SS. Trinitatis; sed maxime in subversione principii formalis Ecclesiae catholicae, in subversione inquam indefectibilis et infallibilis magisterii tum ad conservationem tum ad explicationem integri depositi revelationis, sub assistentia et inductione in omnem veritatem per Spiritum veritatis permanentem cum Ecclesia in aeternum; cuius quidem indefectibilitatis et infallibilitatis negatio propria forma est, sola constanter

(1) Inscribitur libellus: « De dissidio inter occidentalem et orientalem Ecclesiam in doctrina de Trinitate. » Die Trinitarische Lehrdifferenz zwischen der abendlaendischen und morgenlaendischen Kirche Eine dogmengeschichtliche Untersuchung von Dr. Joseph Langen ordentl. Professor der katholischen Theologie an der Universitaet Bonn. Bonn 1876.

retenta, non minus novae huius factionis Neoprotestantium quam totius Protestantismi in omnibus alioquin diversissimis suis sectis, simulque origo et fons exuberans omnium aliorum quantumvis inter se discrepantium errorum.

CAPUT I.

COMPENDIUM DISQUISITIONIS NEOPHOTIANAE.

Doctrina Neophotiana de processione Spiritus Sancti, ut post rhapsodias in conventu sectario Bonnensi propositas in opusculo Langeniano exhibetur, ad hanc summam reducitur.

I. In Evangeliis et scriptis Apostolorum, inquit, sequentia dumtaxat capita reperiuntur. Spiritus Sanctus est tertia hypostasis in deitate; est Spiritus Patris et Spiritus Filii propter unitatem essentiae cum Patre et Filio, atque idcirco sicut a Patre, ita etiam a Filio mittitur; habet essentiam non ex se ipso, sed a Patre, et habet a Patre essentiam eandem, quae propter consubstantialitatem inter Patrem et Filium est etiam essentia Filii (Matth. XXVIII. 19; Io. XIV. 16. 26; XV. 26; XVI. 7. sqq.; Act. V. 3. 9; XVI. 6; Rom. VIII. 9; 1. Cor. II. 10. 12; XII. 4. sqq.; 2. Cor. XIII. 13; Gal. IV. 6; Phil. I. 19; 1. Pet. I. 11.).

Quoad Patrem diserte exprimitur, *qui a Patre procedit;* quoad Filium vero in libris novi Testamenti non aliud dicitur, nisi quod est Spiritus Filii, « cum eo coniunctus per identitatem essentiae. » Etiam Io. XVI. 14. 15. per illud, *de meo accipiet,* tantummodo dicitur, « essentiam Spiritus Sancti esse derivatam ab essentia Patris, quae simul est essentia Filii » (1).

(1) « Es ist bloss gesagt, dass das Wesen des h. Geistes abgelei[tet] sei von dem Wesen des Vaters, welches zugleich das des Sohnes se[i]. » Obiter animadvertes, hunc modum loquendi de derivatione essentiae [non] esse theologicum; essentia enim Spiritus non sane *derivatur* ab ess[entia] Patris, sed una numero essentia Patris et Filii *communicatur* Spi[ritui]. Si quando apud PP. aliquid simile occurrit, constat *essentiam Patr[is]* accipi pro *hypostasi;* haec vero significatio in dicto Langeniano [exclu]ditur per alterum membrum, « quae (essentia Patris) simul est e[ssentia] Filii. » (Vide Tract. de Trinit. ed. 2. p. 159. *nota.*)

Utrum Spiritus Sanctus habeat essentiam etiam a Filio, seu utrum procedat etiam a Filio, quia Filius Patri consubstantialis est; « huic quaestioni, cum de ea immediate in novo Testamento nihil traditum sit, *non nisi speculative responderi poterat.* » Ita Langen §§. 2. 3. 4.

At si quaestio de relatione Spiritus Sancti ad Filium *speculative* solvi poterat, et revera in *speculatione* totius Ecclesiae catholicae soluta est, quomodo quaeso hoc non sufficit, praesertim apud homines, qui tanta confidentia *scientiam* iactare consueverunt? Quid enim in re praesenti *speculationis* nomine aliud intelligi potest, nisi quod in iis ipsis doctrinae capitibus, quae explicite revelata sunt de Spiritu Sancto et de mutuis relationibus divinarum personarum, contineri demonstretur processio personae tertiae aeque a secunda ac a prima persona SS. Trinitatis? Doctrina autem quae in explicite revelatis continetur implicite, ita ut simplici analysi seu (ut adversarius loquitur) *speculative* deduci queat, profecto ipsamet obiective in deposito revelationis ab Ecclesia non solum custodiendo sed etiam explicando comprehenditur. Eam ergo, maxime ubi errores ingruentes veritatem in periculum adducunt, Ecclesia divino doctoratus charismate per assistentem Spiritum veritatis insignita explicare, ac omnibus fidelibus iam in se et explicite credendam proponere potest ac debet. (Vide Tractat. de divina Traditione Th. VIII. XXV.)

Insuper cum revelationis depositum non sola Scriptura sed etiam sine scripto traditionibus pari reverentia suscipiendis contineatur (Conc. Trid. sess. IV.), quomodo quaeso ex eo, quod de processione Spiritus a Filio in libris Scripturae nihil doceri affirmatur, consequens est non esse veritatem revelatam, antequam demonstratum sit etiam in traditionibus sine scripto velut per manus propagatis de eadem origine Spiritus Sancti nihil contineri?

II. Verum novis hisce haereticis sicut antiquioribus, ut ad scopum perversionis singulorum dogmatum pertingant, opus est primum perturbare ipsa principia cognitionis christianae et catholicae. Neoprotestans igitur scriptor noster cum orientalium non minus quam occidentalium Patrum

doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio aut per Filium luculentam et universalem esse negare non possit, ut pro scopo novae sectae ad negationem dogmatis catholici pertingat, absque demonstratione ac velut aliud agens sequentia assumit principia.

1⁰ Distinguit *traditionem* fidei et *speculationem* theologicam. Veritates *traditionis* videtur interim concedere, doctrinas *speculationis* negat, pertinere ad dogmata credenda.

2⁰ Quae Patres orientales et occidentales docent de processione Spiritus Sancti a Filio, quoties non diserte affirmant esse dogma fidei catholicae, ea omnia refert ad *speculationem theologicam.* Ne vero ipsa universalitas et perpetuitas doctrinae Patrum atque ipsa fidei symbola hoc sophisma inane esse convincant, auctor §. 32. novo absurdiore sophismate aliam sibi reservat distinctionem inter « unanimem *traditionem fidei* » et inter « *traditionem theologicam* aeque etiam unanimem in ipsisque symbolis fidei receptam. » Unde doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio, ut unum est cum Patre principium, concedere quidem cogitur esse *in traditione theologica* expressam, sed negat pertinere *ad traditionem fidei,* ac propterea negat esse dogma fidei credendum.

3⁰ Doctrinam considerat pro eo dumtaxat statu, quo erat ante motam controversiam et ante ortum haeresis oppositae; subsequentium vero declarationum ac definitionum, quibus contra innovationum Photii doctrina distinctius explicata est et expressius confirmata, nullam prorsus rationem habet §§. 5–32.

Hac methodo adoptata sine dubio omnia dogmata eliminari, haereses omnes defendi possunt, ita ut in fide christiana nihil amplius ratum sit ac fixum. Doctrina exempli causa de SS. Trinitate, sepositis definitionibus Nicaenis et explicationibus sequentium aetatum, consideranda erit cum Socinianis dumtaxat in modo praedicationis, quo Patres « necdum asserebant solutionem quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret » (Aug. in Ps. 54. n. 22.). Quae vero ea aetate, « qua nondum perfecte de Trinitate

tractatum est» (Aug. ibid.), PP. docebant de unitate et distinctione divinarum personarum, referentur omnia ad *speculationem* theologicam; et quoniam haec, quantumvis unanimis et ex deposito revelationis procedens, secundum principia Langeniana dogma non constituit, pervenietur tandem ad eliminationem totius doctrinae catholicae de SS. Trinitate ex censu dogmatum credendorum. Quae eadem ingeniosa scilicet supputatio, non sine aspersione eruditionis, institui poterit et a Neoprotestantibus iuxta sua principia sine dubio instituetur in omnibus mysteriis fidei, ut nihil praeter merum rationalismum in ista secta mox reliquum futurum sit.

4º In tribus commemoratis principiis Langenianis manifesto iam etiam continetur illud, quod diximus esse ipsam formam sicut totius Protestantismi ita etiam novae huius sectae, negatio videlicet infallibilitatis in custodiendo et explicando deposito fidei, ac proinde negatio indefectibilitatis Ecclesiae. Imo si vera essent, quae homo iste audacter affirmat, Ecclesia Christi iam pridem in orbe terrarum periisse dicenda foret. Nam certe Ecclesia Christi non est ea communio, quae in sua professione haeresim proponit ac docet. Porro error est haereticus non solum, si falsum doceatur ut veritas revelata; sed etiam si id quod verum quidem, non tamen revelatum est, praescribatur credendum ut revelatum (cf. Tract. de Tradit. Th. IX. corollaria). Certissime igitur Ecclesia Christi non est ea communio, quae velut articulum fidei revelatae in sua professione proponit credendam doctrinam non revelatam, aut vicissim quae doctrinam minime oppositam revelationi damnat ut haereticam, sive iam doctrina ita proposita vel ita damnata in se vera sit sive falsa.

Iam vero Ecclesia catholica universa per multa saecula docuit ac docet *ut fidei articulum* processionem Spiritus Sancti a Patre *Filioque;* Ecclesia schismatica orientalis hanc doctrinam damnavit ac damnat non solum velut minime pertinentem ad fidem catholicam, sed omnino *ut haereticam;* unde schismatici potissimum ratione huius articuli distinguunt suam Ecclesiam velut *orthodoxam* ab Ec-

clesia occidentali, quam dicunt *heterodoxam* (1). At vero ex principiis Langenianis doctrina haec nec revelata est, ut profitetur Ecclesia catholica; nec est haeresis, ut eam damnat communio schismatica; sed haberi debet velut *speculatio theologica* nec fide credenda nec damnanda. Ergo nec Ecclesia catholica nec Ecclesia orientalis est infallibilis custos atque interpres depositi fidei, ac proinde neutra iam censeri potest Ecclesia Iesu Christi, cum ad neutram pertineant promissiones: « ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; » « ut maneat vobiscum in aeternum Spiritus veritatis; » « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. » Scio equidem, Neoprotestantes cum sectis antiquioribus hanc supernaturalem infallibilitatem et indefectibilitatem Ecclesiae Iesu Christi ad tegendam suam defectionem necessario negare; sed hoc ipso negant veritatem promissionum Christi, institutionis Ecclesiae, et totius operis redemptionis. « Probent ergo se novos Apostolos esse; dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum; sic enim Apostolos solet facere » (Tertull. Praescript. c. 30). Vide litteras encyclicas S. P. Pii IX. « Inter gravissimas » 28. Octob. 1870. et « Etsi multa » 21. Novemb. 1873.

(1) Doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio quantis anathematismis furor Photianus prosecutus fuerit, satis constat. In litteris encyclicis Photii ad Episcopos orientales (l.I.ep.13), quae deinceps universae theologiae schismaticorum fuerunt instar armamentarii ad Ecclesiae catholicae oppugnationem et suae sectae defensionem, dogma catholicum proscribitur velut « pagana mythologia ad contumeliam Trinitatis », « fabula et scena pro facinore Macedonii contra Spiritum Sanctum », « nova impietas », « fastigium blasphemiae contra Evangelia, contra sacras synodos, contra ss. Patres, summatim contra omnes Prophetas, Apostolos, Pontifices, Martyres, et contra ipsas Domini voces », « sententia athea », « blasphemia qua maior esse nequit, etiam sola sufficiens, ut mille anathematismis subiiciantur eius praecones », qui sunt « novi praecursores apostasiae, ministri Antichristi (*οἱ νεοι της ἀποστασεως προδρομοι, οἱ θεραπευται του ἀντικειμενου* ex 2. Thess. II. 3. 4), digni mille mortibus », et quae sequuntur (Phot. l. c. n. 8–23. 33. Vide supra p. 203.).

CAPUT II.

LANGENIANA DISSIMULATIO ET DETORSIO TESTIMONIORUM SCRIPTURAE.

Sicut in philosophia cum hominibus qui ipsa principia cognitionis naturalis in dubium vocant, ita in theologia cum iis qui principia cognitionis christianae labefactant, de singulis veritatibus paene frustra agitur, antequam ad ipsa principia agnoscenda perducti fuerint. Nihilominus paucis examinemus errores Langenianos de speciali hac veritate catholica processionis Spiritus Sancti.

Recitatis textibus novi Testamenti, in quibus de Spiritu Sancto agitur, Langen velut per se claram hanc ponit conclusionem. « De habitudine Spiritus ad Filium in novo Testamento nihil ulterius dictum est, nisi quod est Spiritus Filii, cum eo coniunctus per identitatem essentiae » (1). Demonstrationem huius sensus frustra apud eum quaeras; ea enim tota reducitur ad simplicem animadversionem, etiam Io. XVI. 14. sq. nihil aliud exprimi nisi unitatem essentiae in Filio et Spiritu Sancto, « quatenus essentia Spiritus derivata est ab essentia Patris, quae simul est essentia Filii » (p. 5.).

At vero in libris novi Testamenti multipliciter declaratur, Spiritum habere suam essentiam communicatam a Filio non secus ac eam habet a Patre, ut verba tum per se tum ex constanti intellectu catholico Patrum sensum prae se ferunt minime ambiguum. Quae res in Sectione IV. cap. I. Tractatus nostri de Trinitate satis est demonstrata.

1° Sane in novo Testamento nomen proprium tertiae personae, quo distinguitur a Patre et Filio, est nomen *Spiritus Sanctus*. Sed omnia nomina *personalia* h. e. distinguentia personas in SS. Trinitate necessario exprimunt relationem realem ad alteram personam; solis enim relationibus realibus personae divinae inter se distinguuntur; relationes autem reales inter divinas personas nullae sunt

(1) « Der Geist des Sohnes, mit ihm *verbunden* durch die Identitaet des Wesens ».

praeter *relationes originis*. Distinctio nimirum realis unice obtinet sub hac formali ratione, quatenus est *Pater* Filii h. e. Pater aeterna relatione generans Filium, et *Filius* Patris h. e. aeterna relatione genitus seu generatione procedens a Patre, et *Spiritus* personae alterius h. e. aeterna relatione spiratus seu spiratione procedens ab alia persona.

Istae non sunt speculationes humani ingenii sed omnino veritates revelatae in dogmate christiano *unitatis Dei* et *distinctionis trium personarum*. Eo enim ipso quod fide et ratione constat *unum esse Deum unitate singularitatis* seu, ut usu paulo recentiori dicitur, *unitate numerica*, pariter constat omnes perfectiones absolutas quas in Deo esse concipimus et ratione distinguimus, esse *unum* sine reali distinctione, ac proinde nomina quibus absolutae perfectiones exprimuntur, non posse intelligi velut significantia realem distinctionem, quin hoc ipso unitas Dei negetur. Si ergo nihilominus in Deo sunt personae plures realiter distinctae, quod sola revelatione constat et fide credimus, haec distinctio non est per perfectiones absolutas, sed tantummodo per relationes inter personas; personae ergo in Deo distinguuntur et constituuntur relationibus unius ad alteram, suntque (secus ac in creatis obtinet) *personae relativae*. Proinde nomina propria quibus personae significantur, quatenus sunt realiter distinctae, exprimunt relationes personarum seu personas formaliter ut relativas. Quidquid enim absolutum dicitur de una persona, prorsus commune est et unum indistinctum omnium personarum; nomina igitur quae revelata sunt ut *propria* uni personae eamque distinguentia ab aliis personis, continent revelationem *relationis* huius personae ad aliam.

Sicut ergo dum dicitur *Deus Pater* et *Deus Filius*, credimus revelatum unum Deum unitate omnium perfectionum absolutarum, ita tamen ut Pater sub formali relatione ad Filium, et Filius sub formali relatione ad Patrem sint duae realiter distinctae personae: eodem prorsus modo dum revelatur *Deus Spiritus Sanctus*, qui per nomen proprium *Spiritus* distinguitur ut persona a Patre et Filio, reve*la-*

tum est Spiritum sanctum esse unum Deum cum Patre et Filio sine ulla distinctione in perfectionibus absolutis, et esse personam distinctam sub formali *relatione Spiritus* ad aliam personam, cuius est Spiritus. Aliis verbis: nomina *personalia* in SS. Trinitate significant non absolutum sed relativum ad aliam personam. Sicut Filius non ad se dicitur sed relative ad aliam personam, a qua est genitus; ita Spiritus (personaliter) non ad se dicitur sed relative ad aliam personam, a qua est spiratus. Qui hanc relativam significationem nominum distinguentium personas negaret, eo ipso negaret personas divinas distingui solis relationibus; et consequenter perturbata tota doctrina de mysterio Trinitatis, incideret in Arianismum vel Tritheismum affirmando distinctionem etiam per aliquam perfectionem absolutam, aut in Sabellianismum negando distinctionem per relationes divinas esse realem. Ergo sicut nomen revelatum *Filius* pro secunda persona Trinitatis ex sua significatione relativa continet revelationem originis huius personae ab illa, cuius dicitur Filius; ita nomen revelatum *Spiritus Sanctus* pro tertia persona relative significans *spiratum esse* continet revelationem originis ab ea persona, cuius est Spiritus seu spiratus.

Hac significatione *nominis proprii ac personalis* supposita quaerendum dumtaxat remanet, cuius personae seu ad quam personam relative *Spiritus* dicatur. Hoc enim interest, quod nomina *Patris* et *Filii* non solum relationem originis ad aliam personam indeterminate, sed definitive significant relationem Patris quidem *ad Filium*, Filii *ad Patrem;* contra vero nomen hypostaticum *Spiritus* quamvis significet relationem spirati *ad spirantem*, non tamen per se determinat, quaenam sit persona spirans; sed hoc aliunde ex illis testimoniis divinis discendum est, in quibus exprimatur ipsa persona, *cuius sit Spiritus Sanctus*. Atqui in libris novi Testamenti, verbis disertis Christi et Apostolorum, idem qui Spiritus Patris, etiam declaratur esse *Spiritus Filii,* ut omnes norunt et Langen ipsemet ultro fatetur. Ergo sicut ipso nomine *Filii* in SS. Trinitate origo secundae personae a Patre revelatur, ita *Spiritus Patris et Filii*

ipsa hac appellatione revelatur ut spiratus ac proinde habens originem a Patre et Filio.

Hac relativa significatione quae ex unitate absolutae essentiae et reali distinctione relativarum personarum necessario consequitur, nomen tertiae personae proprium *Spiritus Patris* et *Spiritus Filii* in Ecclesia Dei a veteribus Patribus semper intellectum esse, demonstratum habes Th. XXXII. n. II. de Trinit. et contra Macarium Sect. I. c. 2. §. 4; ubi produximus disertam, etiam polemice adversus haereticos defensam doctrinam Athanasii, Basilii, Gregorii Nysseni, Epiphanii, Cyrilli, Maximi, Augustini, Leonis M., Fulgentii, PP. Concilii Wormatiensis, quibus alii in sententia hac communi facile adiungi possent. « Misit Deus *Spiritum Filii sui* in corda vestra.... *spirationem Filii Dei* eum ex sanctis Scripturis docti sumus, et fontem Spiritus et Filium dicimus. » « His appellationibus *(Pater, Filius, Spiritus Sanctus)* hoc significatur, *quo ad se invicem referuntur*, non ipsa substantia, qua unum sunt..... et *Spiritus secundum id quod ad aliquid refertur, spirantis alicuius est, et spirans utique Spiritum spirans est.* » « Pater non sibi est sed Filio; Filius non sibi est sed Patri; *Spiritus alicuius est adspirantis; ergo ad Patrem Filiumque refertur.* Ista itaque *relativa nomina* Trinitatem faciunt; essentialia vero nullo modo triplicantur. » Athanasius, Augustinus, Fulgentius ll. cc. Vide ibi reliqua.

Iam quaeso iudicium fiat de hac stropha, qua theologus noster omnia testimonia de relatione Spiritus Sancti ad Filium eludere sibi fas esse putat. « De habitudine Spiritus Sancti ad Filium, inquit, in novo Testamento nihil amplius dictum est, *nisi quod sit Spiritus Filii,* cum eo coniunctus identitate essentiae. » Nimirum dicere debuisset: in novo Testamento tertia persona Trinitatis nomine personali atque ideo relativo declaratur esse sicut Patris ita et Filii Spiritus, ac proinde *spiramen* (ἡ πνοή), ut aiunt Athanasius et Cyrillus, seu (ut habet antiquissima versio latina operis Athanasii de Trin. et Spir. S.) *spiratio Patris et Filii,* atque adeo *spiratus a Patre et Filio.*

2° Unicum textum Io. XVI. 14. 15. ex iis, quibus Spiritum Sanctum a Filio sicut a Patre procedere expressum esse demonstravimus (de Trin. Th. XXXII. n. I.), Langen aliqua sua adnotatione dignum censet, ut illum eodem fere modo, quo solent Photiani, ad alienum sensum deflectat; nam in locis reliquis (ut superius iam animadvertimus) nec catholicam interpretationem argumentis impugnare, nec suam oppositam probare operae pretium duxit.

Totus commentarius Langenianus ad illum locum p. 5. ita habet. « Verba etiam Io. XVI. 14. sq., *de meo accipiet,* nihil aliud exprimunt, nisi quod Spiritus Sanctus opus Filii perfecturus impertiet cognitiones, quae ipsi Filio essentialiter propriae sunt, quoniam Filius habet omnia, quaecumque propria sunt Patri, hoc est totam divinam essentiam. Si dictum esset, *de me accipiet,* quaestio de essentiali origine Spiritus Sancti iam hoc ipso textu esset definita. At verba, *de meo*, et *omnia quaecumque habet Pater,* non possunt intelligi de relationibus personalibus, sed tantummodo de divina essentia. Adeoque etiam hoc loco solum dicitur, essentiam Spiritus Sancti esse derivatam ab essentia Patris, quae simul sit essentia Filii. »

Mira sane oratio « Professoris theologiae catholicae »! Miram dico orationem, quia confitetur et assumit principia verissima, in quibus evidenter continetur, et ex quibus ineluctabiliter consequitur, in verbis Christi directe enuntiari processionem Spiritus Sancti ex Filio, ut ex eis inferat conclusionem omnino contradictoriam, in verbis Christi nihil contineri de processione Spiritus Sancti ex Filio.

Enimvero confitetur, illud quod Christus dixit *meum* (« de meo accipiet »), esse ipsam divinam substantiam, ut sane manifestissimum est ex ratione quam Dominus subiunxit: « omnia quaecumque habet Pater, *mea sunt; propterea* dixi, quia *de meo* accipiet. » Ergo fatente Langenio penes Ioannem dicitur: « Spiritus Sanctus accipit *de substantia Filii.* » Iam vero tum ex ipsa simplicitate Dei, tum ex prolixis Patrum disputationibus adversus Arianos, et deinceps adversus Nestorianos constat, in huiusmodi con-

textibus *substantiam Patris, substantiam Filii* intelligi substantiam *quatenus identificatur cum Patre,* et *quatenus identificatur cum Filio,* ac proinde terminum complexum significare ipsam personam Patris et Filii, ita tamen ut simul significetur communicatio et unitas ipsius substantiae. « Nemo obstupescat, cum audit Filium Dei *ex substantia Dei* esse, sed Patribus (Nicaenis) potius assentiatur, qui videlicet, ut ipsam rei notionem perpurgarent, pro eo, quod dicitur *ex Deo,* expressius et velut sensu parallelo scripserunt, *ex substantia (Patris).* Idem enim censuerunt dicere Verbum *esse ex Deo,* ac dicere *esse ex substantia Dei* » (1). Athanas. de decret. Nicaen. n. 22. cf. de Synodis n. 36. Unde etiam est dictum celebre Cyrilli adversus Nestorianos: « unam esse *naturam Verbi* incarnatam »; nimirum (ut ipse explicat in defens. anathemat. 2[i] contra Theodoret.) « *natura Verbi, sive hypostasis, hoc est ipsum Verbum* (2) vere unitum est humanae naturae » (vide Tract. de Incarn. Th. XXXV.). Est igitur sine ullo dubio vera et ex ipsis verbis Christi evidens interpretatio catholica, quam Bessarion (ep. ad Alexium Lascarim c. 7. Harduin. Conc. T. IX. p. 1067. 1068) ita proposuit. « Spiritus Sanctus accipit a Filio; *ille enim,* ait, *de meo accipiet.* Quod autem accipit, est eius essentia; nec enim est aliud ipse, aliud eius essentia; esset enim compositum..... Ita ut tale fiat ex iis (verbis Christi) argumentum: Spiritus accipit ex iis quae Patris sunt; sed omnia Patris mea sunt; igitur Spiritus accipit ex meis, vel ex meo. *Et cum ipse et sua unum et idem sint propter summam simplicitatem, accipiendo de suis, accipiet ex eo.* » Hoc ipsum est, quod superius (p. 53) apud Didymum interprete s. Hieronymo declaratum vidimus: « Filius eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit; *neque enim quid aliud est Filius, exceptis his quae*

(1) Ἀλλα και μαλλον ἀποδεχεσθω τους πατερας διακαθαραντας τον νουν, λευκοτερον και ὡς ἐκ παραλληλου το ἐκ του θεου γραψαντας, το ἐκ της οὐσιας. ταυτον γαρ ἡγησαντο λεγειν ἐκ του θεου, και το λεγειν, ἐκ της οὐσιας το θεου εἰναι τον λογον.

(2) Ἡ του λογου φυσις, ἡγουν ὑποστασις, ὁ ἐστιν αὐτος ὁ λογος.

ei dantur a Patre; neque alia substantia est Spiritus Sancti praeter id, quod datur ei a Filio. »

Sensus itaque verborum Christi omnino manifestus est. *De meo accipit* h. e. de divina substantia, non solum ut est Patris, sed etiam formaliter *ut est mea.* Hoc autem non differt ab altera sententia *a me accipit,* quam Langenius desiderat, nisi quod expressius significatur ipsius substantiae communicatio a Filio in Spiritum Sanctum. Nam *accipere de iis quae Patris,* et pari ratione *accipere de iis quae Filii,* in divinis personis (ubi nulla potest esse communicatio vel acceptio nisi substantiae) nihil aliud significat quam *accipere a Patre, accipere a Filio divinam substantiam.* Cum igitur Langen concedat, quaestionem de processione Spiritus Sancti ex Filio solutam censendam fore, si Christus dixisset : Spiritus *a me accipiet;* fateatur oportet, eam etiam plenius solutam esse ipsis verbis Filii Dei : *ille de meo accipiet;* sicut Patres Nicaeni illud quod prius propositum fuerat minus distinctum, Filium esse *ex Patre,* postea distinctius dixerunt, esse *ex substantia Patris.*

3io. In Ecclesia catholica verba Christi semper hoc sensu intellecta et explicata esse, ut *de meo accipere* idem omnino significet ac *a me accipere id, quod est meum,* dubitare non sinit unanimis Patrum tam occidentalium quam orientalium interpretatio, quorum aliquos in Th. XXXII. XXXV. de Trin. et supra contra Macarium Sect. I. c. 2. §. 3. induximus.

« Ceterum, *de meo sumet,* inquit (Filius), *sicut ipse de Patris;* ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, qui tres unum sunt, non unus » (1). « Ex alio alius, ex Filio Spiritus, sicut ex Deo (Patre) Filius..... *Quoniam ex meo accipiet..... Ergo Spiritus a Christo accipit,* ipse Christus a Patre, et idcirco et Spiritus a Patre » (2). « Hoc quod (Spiritus S.) accipiet, sive potestas est, sive virtus, sive doctrina est, *Filius a se accipiendum esse dixit,* et rursum hoc ipsum significat accipiendum esse de Patre..... Nec differt a quo acceptum sit (i. e. non dif-

(1) Tertull. contra Prax. c. 25.
(2) Marius Victorinus contra Arian. l. I. Bibl. Max. T. IV. p. 257.

ferenti sed eodem modo acceptum est), *quod datum a Patre datum referatur a Filio* » (1). « Omnia accepit a Patre Filius..... Et quae accepit ipse per unitatem naturae, *ex ipso per eandem unitatem accepit et Spiritus,* sicut ipse Dominus Iesus declarat, de Spiritu suo dicens: propterea dixi, *de meo accipiet* » (2). « Omnia quae habet Pater mea sunt, propterea dixi, *de meo accipiet:* ita sine dubio intelligi volens, quod de Patre accipiat; *sed ideo de ipsius* (Filii), quia omnia quae habet Pater, ipsius sunt. Haec autem non est diversitatis naturae, *sed unius principii commendatio* » (3). « *De meo accipiet,* quoniam quod accepit Spiritus, Patre dante dat Filius » (4). « *De Filio (al. Filii) ergo accepit,* et omnia quae habet Pater, Filii sunt, quae Spiritus Sanctus accepit, *quia non de solo Patre nec de solo Filio, sed simul de utroque procedit* » (5). Imo in solemni fidei professione quam Romani Pontifices inde a saeculo saltem septimo, ducentis annis ante motam controversiam Photianam, edere solebant, hoc ipsum attestabantur: « Spiritus Sanctus de Patre procedere confirmatur, eundem *Dei Filius de suo accipere* perhibet..... et insufflando discipulis, accipite Spiritum Sanctum, *utpote de se procedentem* adnuntiat » (6) (supra p. 204).

« Spiritus *ex Filio* (ἐκ του ὑιου) *accipit;* namque de meo, inquit, accipiet ». « Spiritus *a Verbo accipit* (παρα του λογου λαμβανει), et quaecumque habet Spiritus, *a Verbo habet* » (7). « Pater quidem dat Filio, *et Filius communicat Spiritui Sancto;* ipse enim Iesus est, non ego, qui ait..... quoniam *de meo accipit* » (8). « Ille me clarificabit, quia *de meo accipiet*..... Spiritum Sanctum *a Filio accipere* id, quod suae naturae fuerat, cognoscendum (al. intelligendum) est..... neque alia substantia est Spiritus Sancti praeter id, *quod*

(1) Hilar. Trin. VIII. n. 20.
(2) Ambros. de Spir. S. l. II. n. 134. cf. in Luc. l. VIII. n. 66.
(3) Augustin. contra sermon. Arianor. n. 19.
(4) Leo M. in Pentecost. serm. 2. c. 5.
(5) Fulgent. Fragm. 27.
(6) Liber diurnus RR. PP. Migne CV. p. 47.
(7) Athanas. ad Serapion. ep. 1. n. 20; contra Arian. orat. 3. n. 24.
(8) Cyrill. Hierosol. cat. 16. n. 24. *και ὁ πατηρ μεν διδωσιν ὑιῳ, και ὁ ὑιος μεταδιδωσιν ἁγιῳ πνευματι ... ὁτι ἐκ του ἐμου λαμβανει.*

datur ei a Filio » (1). « *A me Spiritus procedit* (παρ' ἐμου ὁρμᾶται); cum autem dico *a me*, etiam a Patre significo, mea enim sunt ea quae Patris; ad hunc ergo modum intellige illud: *de meo accipiet »* (2). « Christus ex Patre creditur Deus de Deo, *et Spiritus ex Christo sive ab ambobus* (και το πνευμα ἐκ του Χριστου, ἡ παρ' ἀμφοτερων), sicut ipse Christus testatur: qui a Patre procedit; et: *hic de meo accipiet »*. « De Spiritu Dominus ita loquitur: cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritus veritatis qui a Patre procedit..... Iterum: ille me clarificabit, *quia de meo accipiet.* Si igitur a Patre procedit, etiam *de meo,* ait Dominus, *accipiet.* Quemadmodum enim nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater; ita audeo dicere, neque Spiritum novit nisi Pater et Filius, a quo procedit et *a quo accipit* (παρ' οὑ ἐκπορευεται και παρ' ὁυ λαμβανει); neque Filium et Patrem novit nisi Spiritus Sanctus..... *qui est a Patre et ex Filio* (ὁ παρα του πατρος και ἐκ του ὑιου)» (3). « Extra reprehensionem et extra calumniam prorsus est, *quod ab Unigenito aliquid accipere dicitur Spiritus eius; procedens enim naturaliter per ipsum, ut proprius eius Spiritus, cum omnibus quae perfecte habet, accipere dicitur quae sunt illius »* (4). « *De meo accipiet* et annuntiabit vobis: Spiritus enim Sanctus testis factus est divinitatis Unigeniti, *cum sit ex substantia eius,* eiusque substantiam annuntiet » (5). « Salvator noster Iesus de consubstantiali suo Paracleto ait, quod ex Patre quidem procedit, *accipit autem ex Filio,* omnia quae Patris sunt, sibi propria faciente et habente..... Ex Patre procedit, *accipit autem omnia Filii,* habentis omnia Patris, ad demonstrandum unam substan-

(1) Didymus (interprete s. Hieronymo) de Spir. S. n. 37.

(2) Apollinarius (in Catena Corderii p. 396).

(3) Epiphanius Ancorat. n. 67. 72. 73.

(4) Cyrill. Alexand. in Io. p. 930: *ἀκαταγορητον ὀυν ἀρα παντελως, και λοιδοριας ἁπασης ἐξω κεισεται, το λαβειν λεγεσθαι τι παρα του μονογενους το πνευμα ἀυτου· προϊον γαρ δι' ἀυτου φυσικως, ὡς ἰδιον ἀυτου, μετα παντων ὡν ἐχει τελειως, λαμβανειν λεγεται τα ἀυτου.*

(5) Theodorus Heracleota (in Catena; verba graeca refert Maldonatus in Io. XVI. n. 47): *το γαρ ἁγιον πνευμα μαρτυς γεγονε της του μονογενους θεοτητος, ἐκ της ὀυσιας ἀυτου ὀν και την ὀυσιαν ἀυτου ἐξαγγελλων.*

tiam esse et accipientis, et eius *a quo accipit*, et eius ex quo naturaliter procedit..... Eiusdem substantiae cum eo sunt, ex quo processit, et *a quo accipit* » (1). « Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus a Patre procedens, et *a Filio accipiens* » (2).

Post haec non audebit, puto, Langenius appellare ad Maldonati interpretationem (in h. l.). In ea enim, si seorsum spectetur explicatio incisi *de meo accipiet,* multa sunt manifesto falsa, et inter se pugnantia, iam pridem a Petavio confutata (de Trin. l. III. c. 8. n. 7. sqq.). Si vero attendas ad ultimam Maldonati conclusionem, haec coincidit tandem cum communi interpretatione. « Neque vero nego, inquit, colligi ex hoc loco, Spiritum Sanctum a Filio procedere, quin etiam assevero. Nam ut supra docuimus, nulla persona mitti dicitur aut *ab alia quidquam accipere, nisi ab ea procedat*..... Cum ergo Spiritus hoc loco *a Filio dicatur accipere,* a Filio utique procedit » (Maldon. in Ioan. XVI. n. 46. cf. n. 48.).

Nemo iam quaeret, quid valeat probatio illa, quam Langen adiungit. « Verba *de meo,* et *omnia quaecumque habet Pater,* non possunt intelligi de relationibus personalibus, sed tantummodo de divina essentia. » At quis iste stupor mentis est? Simili omnino argumento Sabellianus aut Arianus diceret, in Concilio Nicaeno dum appellatur *substantia Patris,* non significari relationem personalem sed essentiam dumtaxat. Profecto nemini umquam in mentem venit, hisce particulis, dum Filius Dei nominat *mea* vel *meum* et *omnia quae habet Pater,* significari rela-

(1) Anastasius Antiochen. orat. de Trin. n. 12. 13 (Gallandi Bibl. T. XII. p. 238. 239.).

(2) Iacobus Sarugensis (saeculi V.) apud Asseman. Bibl. Orient. T. I. p. 302. Advertit Assemanius, secundum « communem theologiam orientalium » characterem personalem Spiritus Sancti exprimi verbis Evangelii, « a Patre procedens, a Filio accipiens » ܢܦܩ ܡܢ ܐܒܐ ܘܢܣܒ ܡܢ ܒܪܐ, vel alibi, nominatim in liturgiis, cum addito « accipiens a Filio *essentialiter* » ܡܢ ܒܪܐ ܢܣܒ ܐܘܣܝܐܝܬ sicut apud PP. graecos dicitur Spiritus ex Filio aut per Filium effulgere, scaturire, procedere *φυσικως, κατα φυσιν, ὀυσιωδως, ἐκ της ὀυσιας του ὑιου* (vide Tract. de Trin. Th. XXXIII. n. II).

tionem ad Spiritum Sanctum; sed omnino non aliud exprimitur quam vel aequipollenter et identice (1), vel (quoniam Langen id concedit) formaliter essentia divina; verum ea significatur sub duplici modo subsistendi (ut paulo ante diximus), nempe quatenus est Patris *(omnia quae habet Pater)* et quatenus est Filii *(meum, mea sunt)*. Porro *relatio* ad tertiam personam exprimitur per praedicatum additum: ille de meo *accipiet*. Hoc *accipere* in persona divina Spiritu Sancto evidenter significat *relationem;* neque enim persona divina (cuius est una tantum natura divina) quidquam *accipere* potest ab alia persona nisi communicatum per originem ab hac alia persona. Sed, dicet Langen, alia ista persona hoc loco minime exprimitur. Imo vero quia Christus non solum dixit, *meum* vel *mea accipiet*, sed multo clarius, *de meo accipiet,* exprimitur tum terminus distinctus a Spiritu Sancto, *unde accipiet*, nimirum persona; tum id quod accipit, unum in persona communicante et in accipiente, essentia inquam. Sicut Filius generatur accipiendo de essentia Patris (ἐκ της ὀυσιας του πατρος), ita Spiritus accipit *de essentia Filii* (ἐκ του ἐμου); non utique de solius Filii essentia, sed de essentia Patris et Filii: « omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; *propterea* dixi, quia de meo accipiet ». In hoc autem ipso constituitur necessarius ordo personarum SS. Trinitatis, ut saepe iam a PP. declaratum vidimus. « Spiritus Sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de utroque procedit, *quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat*. Neque enim possumus dicere, quod non sit vita Spiritus Sanctus, cum vita Pater, vita sit Filius; *ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio habere vitam in semetipso: sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit et de ipso* » Aug. in Io. tract. 99. n. 9. (vide Th. XXIII. n. I.)

(1) Vide de Trinit. Th. XXXII.

CAPUT III.

NEOPHOTIANA PERVERSIO DOCTRINAE PATRUM.

§. I. *Negatio catholici principii Traditionis.*

Postquam eo modo, quo vidimus, assertionibus arbitrariis quin vel species probationis appareat, « Professor theologiae catholicae » affirmavit, nihil in ipsis Scripturis contineri de interna relatione Spiritus Sancti ad Filium; aggreditur historicam suam declarationem, quomodo per aetatum decursum sese habuerit *explicatio* doctrinae, quam Ecclesia catholica saltem a multis iam saeculis expresse ut articulum fidei revelatae profitetur et praedicat in suis symbolis fidei, in solemnibus definitionibus Conciliorum, in universali consensione (a qua ne ipsae quidem sectae Protestantium recedere ausae sunt, quamdiu mysterium SS. Trinitatis retinebant). In hac historia *explicationis doctrinae* homo ita versatur, ut ipsum principium Traditionis catholicae huiusque fundamentum infallibilitatem Ecclesiae sub assistentia Spiritus veritatis promissa in aeternum (Io. XIV. 16; Matth. XXVIII. 20.), ad custodiendum integre et veraciter explicandum depositum revelationis, prorsus subvertat. Negatio ista infallibilitatis Ecclesiae velut filus Ariadnaeus totum opusculum Professoris pervadit ita, ut haec haeresis fundamentalis non solum ipsi τῳ ὑποκειμενῳ sive subiecto disputationis ac rei quam probandam suscepit, sed singulis fere argumentis supponatur.

Ipsemet negare non potest, inde saltem a tempore Photii, quo distinctior declaratio et polemica defensio doctrinae necessaria fieri coepit, eam esse totius Ecclesiae catholicae in articulum fidei revelatae de processione Spiritus Sancti a Patre *Filioque* publicam et solemnem consensionem ac professionem, quam diximus, in symbolis, in definitionibus Conciliorum, in universali praedicatione ac fide. Verum hanc saltem mille annorum professionem ac fidem totius Ecclesiae catholicae, hasque fidei definitiones « Professor theologiae catholicae » non agnoscit ut sufficientem propo-

sitionem fidei credendae, neque proinde ut sufficientem doctrinae revelatae demonstrationem, ex qua necessario per argumentum praescriptionis inferenda sit consentiens doctrina ac fides explicita vel saltem implicita omnium aetatum antecedentium usque ad Apostolos. Atqui haec ipsa est aperta negatio principii catholici de Traditione formali et de infallibilitate Ecclesiae in custodia et explicatione totius doctrinae revelatae, et assertio principii Protestantismi, secundum quod nulla datur propositio doctrinae per Ecclesiam authentica et ex promisso charismate Spiritus Sancti infallibilis; sed singulis « doctoribus » et consequenter singulis christianis ius est et officium ipsam professionem ac fidem Ecclesiae examinandi et iudicandi, utrum et quatenus ea vera sit et ab Apostolis tradita, nec credendi nisi ex privata hac uniuscuiusque demonstratione, eo ipso quod propositio Ecclesiae nullam habet authentiam supernaturalem et ex promissione Christi infallibilem, sed ad summum auctoritatem humanam et historicam. Ubi deinde gradu secundo ex paritate rationis a singulis eodem modo examinanda et iudicanda erit doctrina Apostolorum, ipsius Christi et universae Scripturae, ac tandem deveniendum ad omnia dogmata pro lubitu neganda; qua in via isti « veternosi catholici » cursu etiam celeriori, quam olim a Protestantibus factum fuerit, iam longissime progressi sunt secundum ea quae dicunt, forte etiam longius secundum ea quae sentiunt (1).

Quae cum ita sint, repudiato iam principio catholico Traditionis, non magni momenti nec operae pretium esse videtur pro istis neohaereticis inquirere doctrinam Ecclesiae aetatibus antecedentibus. Quisquis enim penes Patres consensus reperiatur a II. usque ad IX. saeculum, is non

(1) Ille qui se non solum cum Langenio « Professorem, » sed omnino « Episcopum catholicum » inscribit, Hubertus Reinkens in « litteris pastoralibus » 11 Augusti 1873 datis, omnes eos, qui « veteres catholicos » reprehendunt, quod « *non satis longe* progrediantur », invitat, ut ipsimet sectae accedant et duces se praebeant « ad longius progrediendum », utique retenta interim phrasi illa vulgari omnium sectarum, ad progrediendum « quousque deducet spiritus Iesu ».

magis infallibilis nec maioris authentiae supernaturalis esse ... potest, quam unanimis professio ac praedicatio Ecclesiae catholicae per mille annos posteriores. Quoniam hanc « Professor theologiae catholicae » contemnendam esse putat, etiam antecedentem illum consensum, quisquis fuerit, habebit ut doctrinam humanam minime infallibilem, sed examinandam et iudicandam a singulis, utrum et quatenus conveniat cum doctrina apostolica. Haec vero norma doctrinae apostolicae ubinam tandem reperitur? Negato infallibili magisterio ea redigitur, sicut apud veteres Protestantes, ad solam Scripturam, secundum « quam omnia dogmata, omnesque doctores aestimari et iudicari oportet. » Cum porro norma credendorum non possit esse Scriptura *explicanda,* sed *explicata;* explicatio vero Scripturae revocetur ad genium et ingenium singulorum: consequens est, singulos sibi ipsis esse unicam normam *credendi* et *negandi,* quod alterum multo latius patebit, ac tandem sicut apud Protestantes recentiores, ad omnia dogmata ordinis supernaturalis protensum constituet *rationalismum*. (Vide Tract. de Tradit. edit. 2. Prolegomenon et Th. VI; XX. n. III.) Verum nonne D. Langen auctoritatem aliquam in testimonio et doctrina Ecclesiae usque ad saeculum IX. admittit? Ita quidem obiter legenti videri posset; sed cuiusmodi ea auctoritas sit, nullibi suis verbis declarat, ex modo autem tractandi testimonia veterum Patrum apparet, in iis quantumvis consentientibus non aliud agnosci nisi privatas opiniones singulorum doctorum; ut nimirum quoad hunc articulum fidei saltem inde a mille annis fide catholica definitum ac creditum, et ob paritatem rationis quoad alios articulos salva sit libertas pro lubitu credendi, opinandi, negandi in nova cloaca corrivanda ex colluvie diversarum sectarum orientalium et occidentalium. Hic enim est absurdus et in se repugnans scopus totius moliminis, ut quondam fuit apostatae Marci Antonii de Dominis et recentius multorum sectariorum. Examinemus iam « historiam dogmatis, » ut a Langenio exponitur.

§. II. *Discrimen a Langenio inductum inter processionem* a Filio *et* per Filium.

In primis removendus est error Neophotianus, quo totum mysterium unitatis et distinctionis in divinis personis pervertitur. Duas formulas: « Spiritus est vel procedit *ex Patre et Filio,* » et « Spiritus est vel procedit *ex Patre per Filium,* » Langenius ubique (cf. p. 23. 26. 27. 37. 39. 40. 64. 101. 118. 120. 122. 125.) inter se comparat et sibi invicem opponit, ac si reale inter utramque discrimen obtineret, ita ut posterior sensu Patrum orthodoxorum praesertim orientalium admitti queat, et simul negari possit, imo a PP. orientalibus negata sit prior illa in sensu Patrum occidentalium (1), cuius « proprium auctorem» (p. 63. 112.) ipse constituit Augustinum. Explicat autem formulam orientalium *per Filium* ita, ut tantummodo « aliqua participatio » Filii in processione Spiritus Sancti significetur, in eo consistens, quod Spiritus procedendo ex Patre «transeat per Filium» (2), et *alia* Patris, *alia* Filii sit relatio ad Spiritum Sanctum (3).

(1) Aliquid huic Langeniano errori haud dissimile in sua Historia ecclesiastica (T. IV. p. 111. sq. ed. 4.) iam dixerat Neander homo ex Iudaeo Protestans Pietista, quo vix alius quispiam perfidiorem historiam scripsit ad pervertendas veritates fidei catholicae; unde mirandum sane et dolendum, dum hos libros Neandri videmus etiam a viris quibusdam catholicis non sine magnis laudibus et maximo tironum periculo commendari.

(2) Der Sohn wird nicht von *jeder Betheiligung* an seinem Ausgange oder Ursprung ausgeschlossen. *Eine Betheiligung* an dem immanenten Ausgange des h. Geistes. Das Ausgehen des h. Geistes als ein *Durchgehen durch den Sohn.* Das immanente *Durchgehen* des h. Geistes *durch den Sohn.* Vom Vater *ausgehend in den Sohn.* p. 26. 27. 34. 72. 101. 118.

(3) Ex illa formula, *qui a Patre procedit,* in Concilio CP. adhibita, « concludi potest (ait auctor noster p. 61.), Concilium voluisse relationem Patris ad Spiritum Sanctum designare ut propriae rationis, ac proinde Filium *omnino in alia relatione* ad eundem Spiritum Sanctum (jedenfalls in einem andern Verhaeltnisse zu ihm) intelligendum esse.» Si *alia* est Patris et *alia* Filii relatio ad Spiritum Sanctum, cum haec sit relatio originis seu spiratio, erunt igitur duae spirationes *(alia* et *alia),* hocque ipso duo principia. « Diffinimus..... quod Spiritus Sanctus ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit ». « Sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes,

Quid sit huiusmodi « transitus » nemo mortalium aut immortalium mente concipiat; certe apud nullum ss. Patrum eius ulla est mentio, nisi quod Augustinus simile figmentum explodit ut manifestum errorem. « Spiritus autem Sanctus *non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam;* sed simul de utroque procedit, quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat » Aug. in Io. tract. 99. n. 9; contr. sermon. Arian. n. 19. Si Filius non est unum cum Patre principium, seu, ut Graeci loquuntur, una causa procedentis tertiae personae, omnis alia « participatio » Filii in processione immanente dividit personas, hocque ipso dogma consubstantialitatis pervertit. Cuiusmodi haeresim Patribus adscribere in iis ipsis locis, in quibus de processione Spiritus Sancti *a Patre per Filium* plerumque ad ipsam consubstantialitatem contra Arianos defendendam loquuntur, profecto absurdum est.

Particulae *ex* et *per* ad distinctas divinas personas translatae in Scripturis prostant, habentque determinatam significationem causalem, ita ut unitas quidem retineatur secundum rationem causae in personis, *ex qua* et *per quam* producitur terminus, simul vero exprimatur ea distinctio per-

qui negare praesumpserint Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tamquam ex duobus principiis, et non tamquam ex uno procedat. » Conc. Florent. et Lugdun. II. (Hard. IX. p. 422; VII. 705.) Insuper si Concilium et proinde Scriptura, cuius verba sunt eadem, per hoc incisum, *qui a Patre procedit,* indicat aliam relationem Patris quam Filii; etiam alia et alia intelligenda erit in distinctis personis operatio, quoties enuntiatur fides in Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae, et generatim quoties aliquid enuntiatur de Patre, quin explicite simul nominentur personae aliae. Verum est omnino oppositum: ideo nempe processio a Patre includit processionem a Filio, et omnis operatio Patris operationem Filii et Spiritus Sancti, quia tres personae divinae *unum* sunt in omnibus, ubi non obviat relationis oppositio, hoc est, quia personae non nisi relationibus originis unius ab altera inter se realiter distinguuntur. Per explicitam ergo professionem processionis *a Patre,* non alia et alia relatio Patris et Filii, sed necessario una exprimitur, non secus ac una trium personarum deitas exprimitur, dum Pater Deus praedicatur.

sonarum, quod virtus productrix una numero communicatur ab una persona *ex qua*, alteri *per quam* dicitur esse productio. Unus Deus *ex quo* omnia, et *per quem* omnia (Rom. XI. 36.), *ex Patre* nempe omnia *per Filium*. Quo ex modo loquendi Ariani quidem inferebant subordinationem, et (ut Langen ait) « participationem aliquam » Filii ad Patrem; contra hanc vero haeresim Patres nominatim graeci Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Cyrillus constanter defendebant dogma *de unitate causae*, simulque de ea quam diximus, *distinctione personarum* illis ipsis particulis expressam. Vide Tractat. de Trin. Th. XXXVI. cf. Th. XIII. n. II. Quae cum ita sint, profecto Patres graeci etiam de relationibus internis personarum in illa formula *ex Patre per Filium* esse, effulgere, procedere Spiritum Sanctum, non aliud expressum voluerunt, quam *unitatem principii* simul cum distinctione personarum, quod virtus spiratrix et spiratio in Patre est ut in fonte primordiali incommunicata, a Patre eadem numero communicata in Filio. Hoc autem ipsum continetur in formula altera « processionis *a Patre et Filio;* » quamvis in hac unitas principii, in altera vero distinctio et ordo personarum magis directe declaretur, ut in eadem Thesi XXXVI. demonstratum est.

Sane in conficta diversitate duplicis formulae errores de mysterio SS. Trinitatis continentur, qui non sunt ss. Patrum, sed ipsius Langenii, quoniam distinctionem et unitatem divinarum personarum non intellexit. Audiamus Professoris declarationem de hoc discrimine. « Patres graeci (inquit) communi doctrina *spirationem* attribuebant Patri, nequaquam autem Patri et Filio, » etiam illi qui docebant, « Spiritum *a Patre per Filium procedere,* vel *esse ex Patre et Filio,* vel *accipere a Filio,* et *a Patre per Filium habere suam essentiam* ». Sed « ab Augustino in occidente inductus est *discrepans modus doctrinae* (der abweichende Lehrtropus), Spiritum Sanctum esse personalem communionem inter Patrem et Filium. Hoc in modo concipiendi per se intelligebatur, Spiritum procedere sicut a Patre ita etiam a Filio. Unde consequebatur *spiratio veluti bilateralis;* unitas au-

tem Dei salva conservabatur eo, quod adderent, Filium habere a Patre, ut spiret Spiritum Sanctum, spirationem fieri uno communi actu Patris et Filii » (Langen p. 104. 105. cf. 118.). Haec si vera sunt, si inquam Patres graeci « spirationem Filio non attribuunt, » et nihilominus « participationem aliquam » Filii in processione Spiritus Sancti concedunt, ut Langen opinatur; alius ex hac doctrina erit actus in Patre, alius in Filio; illic *spiratio* hic *non spiratio* sed *participatio*. Porro eodem modo Scriptura et Patres loquuntur de operibus ad extra: omnia creata esse a *Patre per Filium et per Spiritum Sanctum*, vel *in Spiritu Sancto*. Unde evidenter consequitur, *ad intra* per actus distinctos Patris et Filii esse *duo principia;* pariterque *ad extra* pro numero personarum esse tres actus distinctos creationis et omnis operationis, ut Güntherus docuit, ac proinde tria principia. Quae omnia et singula significant distinctionem (saltem numericam) naturarum in Deo, sicut est distinctio personarum. Postremo quod dicit Langenius de *discrepante doctrina* occidentalium, contradictionem implicat. Si enim est « unus communis actus spirationis in Patre et Filio, » spiratio non est « bilateralis, » sicut non est *trilateralis* creatio; si vero spiratio dicitur *bilateralis*, hoc ipso non est unus actus indistinctus; sed erunt, quemadmodum Patribus graecis affingitur, actus duo distincti, et duo principia; eo solum discrimine, quod ab orientalibus subordinatio principiorum more Ariano, ab occidentalibus eorundem coordinatio errore tritheitico asserta fuisset.

Non minus absurdae sunt argumentationes Langenii, ut discrimen istud reperiat, cuius apud Patres non solum nullum est vestigium, sed manifesto doctrina contraria. Speciminis causa legantur, quae scribit de s. Ambrosio. Hunc s. doctorem ait fuisse primum, qui (de Spir. Sanct. l. I. n. 120.) diserte nominaverit processionem *a Patre et Filio* (1). Sed Langenio auctore Ambrosius processionem a

(1) Non quaerendum est de verbis, sed de re quae verbis significatur; rem autem processionis a Patre et Filio Christus et Apostoli et ex eis Ecclesia per suos doctores diu ante Ambrosium declararunt. Quam diligenter non tam ad verba materialiter spectata, sed ad sensum sit

Patre et Filio non intelligebat eo sensu, quo nunc Ecclesia catholica eam profitetur; verum in sensu alio, quo Patres graeci docebant processionem *a Patre per Filium,* quae formula non sicut prior illa unam eandemque Patris et Filii relationem ad Spiritum Sanctum, sed aliam Patris, aliam Filii significet. Audi probationem huius sensus discrepantis apud Ambrosium. « Illud *accipere a Filio* (ex Io. XVI. 14.) Ambrosio (in Luc. l. VIII. n. 66.) idem significat ac *essentiam habere ab alio* (a Filio); docet quippe verbis disertis, *Spiritum Sanctum habere essentiam a Filio,* sicut Filius habet a Patre. *Ergo* formula processionis *a Patre et Filio* apud Ambrosium significat processionem *a Patre per Filium.* Ipsum *non omnino eandem relationem inter Spiritum Sanctum et Filium, sicut inter Spiritum Sanctum et Patrem admisisse,* etiam ex alio loco (de Spir. S. l. I. n. 44.) apparet, ubi generalius ait: Si Spiritum dicas, et Deum Patrem a quo procedit Spiritus, et Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti » (Langen p. 47. 48.).

Ex argumento Langenii evidenter concluditur contrarium, videlicet ab Ambrosio omnino doceri processionem Spiritus Sancti *a Filio* sicut *a Patre.* Spiritus enim, teste Ambrosio, accipit essentiam *a Filio,* quae est ipsa definitio processionis aeternae; quoniam vero Filius essentiam ac proinde etiam vim spiratricem non habet incommunicatam sed communicatam a Patre, Spiritus *una eademque spiratione* procedit *a Patre et Filio.* Eadem proinde *una* relatio Spiritus Sancti exprimitur sive dicatur processio *a Patre et Filio,* sive *a Patre per Filium;* sicut una creatio significatur, sive dicantur omnia esse creata *a Patre et Filio et Spiritu Sancto,* sive *a Patre per Filium et Spiritum Sanctum.* Ratio est, quia particula *per Filium* non minus quam altera *a Filio,* ἀιτιακὴ est exprimens principium; eo solum discrimine, quod in verbis *per Filium* ipsa praepositio *per* designat communicationem sicut essentiae ita et virtutis

attendendum, apparet ex hoc ipso loco Ambrosii, quem Langenius citat; ex contextu enim (n. 119. 120) *processio* ibi immediate significat *missionem in tempore,* quae utique (ut alibi demonstravimus) processionem internam et aeternam ut suum fundamentum includit.

spiratricis *a Patre in Filium,* ut PP. suo loco a nobis citati explicant; quae vero communicatio nec essentiae, nec virtutis, nec relationis principii differentiam efficit, sed (siquidem non est aliud quam generatio) constituit distinctionem personarum sub formali ratione *Patris et Filii.*

Eadem valent de una relatione Spiritus Sancti *ad Patrem et Filium* in loco altero, quem Langen inducit (ex l. I. de Spiritu Sancto). Doctrina Ambrosii ea est, quae saepe apud PP. alios, nominatim apud Basilium et Gregorium Nazianzenum occurrit, nomina divinarum personarum singula esse *relativa,* ac proinde significare personas ipsas *in relatione* ad alias; propterea unam personam rite intelligi et nominari non posse, quin simul concipiantur tamquam *correlatae* personae aliae. Qui in Trinitate *Spiritum* nominat, inquit Ambrosius, dicit Spiritum in relatione ad alium, cuius est *Spiritus* seu *spiratus;* est autem docente Scriptura non solum Spiritus Patris, ut verba significant, *qui a Patre procedit;* sed eodem modo *Spiritus Filii,* ut in ipsis Scripturis appellatur. Ergo qui dicit *Spiritum* in Trinitate, simul complectitur correlatum tum Patrem tum Filium, cuius est utriusque *relative Spiritus* seu *spiratus;* neque enim alia inter divinas personas realis relatio est aut concipi potest praeter relationem originis. Haec autem ipsa una origo exprimitur omnibus illis locutionibus Patrum ex Scriptura derivatis, sive dicant, Spiritum procedere *a Patre et Filio;* sive *a Patre per Filium;* sive esse Spiritum *Patris et Filii;* sive *per Filium ad Patrem referri.*

Rem totam adhuc clarius explicat Ambrosius in iisdem libris de Spiritu Sancto. « Omnia accepit a Patre Filius (probat ex Matth. XI. 27; Io. XVI. 15.). *Et quae accepit ipse per unitatem naturae, ex ipso per eandem unitatem accepit et Spiritus,* sicut ipse Dominus Iesus declarat, de *Spiritu suo* dicens: propterea dixi, de meo accipiet et annuntiabit vobis. Quod ergo loquitur Spiritus (non enim a se loquetur), *Filii est* (communicatum a Filio); quod dedit Filius, *Patris est* (communicatum a Patre): *ita nihil a se aut Filius loquitur aut Spiritus* (sed Filius a solo Patre, Spiritus a Patre et Filio), quia nihil extra se Trinitas lo-

quitur » (i. e. quia tres personae omnes loquuntur una locutione, sicut sunt una essentia, quae vero essentia et locutio est in Patre non communicata, et ideo Pater *a se* loquitur; in Filio est a Patre, in Spiritu a Patre et Filio seu a Patre per Filium communicata: Filius et Spiritus nihil *a se* loquitur). Ambros. de Spir. S. l. II. n. 134. (cf. quae descripsimus supra p. 228.)

Tam igitur erronea est doctrina quam falsa argumentatio, qua homines isti ad obscurandum aliqua ratione unanimem consensum Patrum, reale discrimen inter doctrinam processionis *a Patre et Filio* aut *a Patre per Filium* confingere moliuntur contra disertam definitionem simul et explicationem oecumenici Concilii Florentini. «Hoc sacro universali approbante Concilio diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est.... et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit; *declarantes quod id, quod ss. doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam* (ἀιτιαν), *secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem.* Et quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito suo gignendo dedit praeter esse Patrem, *hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet,* a quo etiam aeternaliter genitus est» (Hard. IX. p. 422. 986).

Hoc errore excluso, cum Langen non sine contradictione tandem ipse fateatur (p. 126.), inter praedicationem processionis sive *a Patre et Filio* sive *a Patre per Filium* « essentiale discrimen » apud Patres nullum esse; videamus iam, quam ipse doctrinam, ad eliminandum pro suo scopo fidei articulum, repererit ante schisma Photianum in universa Ecclesia propositam et praedicatam.

§. III. *Langeniana confessio de Patrum consensu in doctrina processionis* per Filium *aut* a Filio.

Inducit a II. ad IX. saeculum doctores et Patres Ecclesiae *Tertullianum, Origenem, Gregorium Thaumaturgum, Athanasium, Marcellum Ancyranum, Hilarium, Marium Victorinum, Cyrillum Hierosolymitanum, Basilium, Epiphanium, Didymum* (1), *Ambrosium, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, Hieronymum, Concilium I Toletanum, Augustinum, Paulinum Nolanum, Leonem M., Concilium II Toletanum, symbolum Athanasianum, Vigilium Tapsensem, Gennadium, Cyrillum Alexandrinum, Gelasium Cyzicenum, Anastasium Antiochenum, Hormisdam Pontificem, Fulgentium, Concilium III Toletanum, Gregorium M., Concilium Hatfeldense, Maximum, Ioannem Damascenum, Tarasium in Concilio VII, Carolum M., Concilium Foroiuliense, Hadrianum I Pontificem, Leonem III, Concilium Aquisgranense.*

Hos omnes fatetur et adductis eorum verbis demonstrat, plena consensione tenuisse et docuisse *aeternam immanentem processionem, vel acceptionem essentiae, vel subsistentiam Spiritus Sancti a Patre per Filium,* aut *a Patre Filioque.* Tum in priori tum in posteriori modo exprimendi dogmatis (cf. p. 125. 126.) intellectum ac defensum fuisse principium primordiale in Patre, quod Filius non a se, sed a Patre fonte originali habeat, ut etiam ipse sit origo activa Spiritus Sancti. Hanc dumtaxat rationem fontis originalis in Patre sartam ac tectam voluisse tum alios doctores tum nominatim Maximum et Ioannem Damascenum, quando *per Filium* non tamen *a Filio,* et a Patre non autem a Filio *ut a causa* Spiritum Sanctum procedere dici voluerunt.

Porro fatetur Langenius, Concilii CP. oecumenici II Patres sine dubio communem sententiam processionis *a Pa-*

(1) Langen (p. 44) appellat *sanctum* Didymum, forte ideo quia illum reperit inter haereticos numeratum (non utique ratione doctrinae de SS. Trinitate, in qua teste Hieronymo cont. Ruffin. II. n. 16. « certe catholicus est, » sed ob errores Origenistarum).

tre per Filium tenuisse; sed pro scopo Concilii qui erat defensio divinitatis Spiritus Sancti et processionis ex Patre a Macedonianis negatae, expressam Filii quoque mentionem non fuisse necessariam (p. 61). Ipsum Theodorum Mopsuestenum et Theodoretum Spiritus Sancti relationem originis ad Filium nequaquam in dubium vocasse; sed tantummodo negasse contra Pneumatomachos creationem Spiritus a Filio aut per Filium (p. 92. sq.). Rusticum diaconum « minime dubitasse, quin Filius modo aliquo relationem habeat ad processionem Spiritus Sancti; » sed propter diversam formam loquendi apud Patres, cum alii *a Patre per Filium*, alii *a Patre Filioque* Spiritum procedere dixissent, ei quaestionem de *pari modo* processionis nondum solutam ac demonstratam visam esse (p. 105). Ex hac vero Rustici inquisitione (de qua nos diximus in Tractatu Th. XXXVIII.), et ex verbis Pelagii I. in expositione fidei ad Childebertum regem Francorum, « qui (Spiritus) ex Patre intemporaliter procedens, *Patris est Filiique Spiritus,* » Langenius animadvertendum esse putat, « Romae eo tempore (saeculo VI.) articulum *Filioque* nondum fuisse habitum rem exploratam » (1).

(1) Haec ille animadvertit de doctrina Ecclesiae Romanae, postquam multa dixerat, ex quibus omnino contrarium fuisset inferendum. Leo I. Pontifex, fatente Langenio, ubi « formulis symbolorum utitur », omnino docet processionem *ex Patre et Filio,* sive *ab utroque* (p. 77.). Ipso saeculo VI. haud diu ante Pelagium I. Hormisdas eius antecessor Iustino imperatori fidem exposuit, « proprium esse Spiritus Sancti, *ut de Patre et Filio procederet* sub una substantia deitatis » (p. 103.). Confer nostram Thesim XXXV. Insuper si Langenio credimus, forma doctrinae de processione *a Patre Filioque* per Augustinum exculta, temporis progressu magis magisque in Ecclesia occidentali praevaluit. Augustino autem, ut verissime Langen affirmat, aequipollens erat formula biblica, tertiam personam esse *Spiritum sicut Patris ita Filii,* et altera *Spiritum procedere ex Patre Filioque* (pag. 76.). Verissime etiam Langenius testatur, saeculo hoc VI. « doctrinam de processione a Patre *Filioque,* apud occidentales tam firmiter radicatam fuisse in conscientia fidei (in dem dogmatischen Bewusstsein), ut Fulgentius illam forma strictissima tamquam dogma fidei inculcaverit, haud secus ac continetur in symbolo Athanasiano » (p. 103.). Ipsum hoc symbolum Athanasianum Langen fatetur editum saeculo V., atque ex illo patere, ea aetate fidem processionis a Patre

Ista sunt documenta omnia, quae ad doctrinam de processione Spiritus Sancti pertinentia ante controversiam Photianam scripta dissertator noster produxit. Nunc vero modus adhuc considerandus est, quo Patres doctrinam exhibeant. Iam ipsa intestina ratio mysterii SS. Trinitatis propositionem de origine divinarum personarum, adeoque de processione Spiritus Sancti nullam aliam admittit quam ex divina revelatione, in qua vel explicite vel implicite contineatur. Quaestio ergo non potest esse, utrum PP. doctrinam exhibeant velut derivatam ex fontibus revelationis; hoc enim certissimum est: sed quaeri tantum potest, utrum privatam dumtaxat opinionem unus alterve proponat de comprehensione doctrinae in verbo Dei, an vero consensus Ecclesiae catholicae exhibeatur in ipsa doctrina. Hoc deinde alterum iterum fieri potest tripliciter, vel ita ut simpliciter ipsum dogma doceatur, ex natura rei supponendo eius derivationem ex revelata veritate; vel ita ut diserte ad ipsum fontem dogmatis in monumentis revelationis appelletur; vel denique ita ut articulus fidei explicite credendus instantius praedicetur per authenticam definitionem, per publica symbola, aut per disertam explicationem obligationis fidei tamquam in veritatem revelatam iam sufficienter in Ecclesia Dei propositam. Hic tamen tertius modus praedicationis, ut quisque facile intelligit, accommodatius respondet illi stadio, in quo veritas iam contra ingruentes errores defendenda est; et ideo nihil mirum esset, si rarius occurreret in stadio priori, ubi nullo instante calumniatore, et nulla adhuc orta controversia «sine insidiis per-

Filioque « in occidente iam satis universaliter receptam fuisse » ; posterius symbolo eidem tributam fuisse « auctoritatem canonicam » (p. 78); addere debuisset, saeculo VI. iam illud « memoriter tenendum » praescriptum fuisse « omnibus presbyteris et diaconis seu subdiaconis » (vide Ballerinios Opp. s. Leonis Tom. III. p. 955.). Paulo post Pelagium saeculo VI. labente Gregorius M. « perstitit in communi occidentalibus forma doctrinae, Spiritum Sanctum *procedere a Patre Filioque* » (p. 106.). In hac rerum conditione, quando Pelagius I. profitetur Spiritum Sanctum « *Patris esse Filiique Spiritum,* » quid quaeso aliud inferendum est, nisi Pelagio quoque « secundum communem occidentalium doctrinam » exploratissimum fuisse, *Patris Filiique Spiritum* esse *spiratum a Patre Filioque*?

suasio animis inhaerebat, » ut Basilius ep. 125. n. 3. statum doctrinae ante medium saeculum IV. de ipsa divinitate Spiritus Sancti declarat (vide Th. XXXV. in prooemio).

a) Iam assumendo documenta ac testimonia, ut a Langenio proferuntur, evidens est consensus omnium scriptorum ecclesiasticorum in ipsa summa doctrinae, quod tertia persona SS. Trinitatis procedit a prima persona non nisi suppositâ secundâ personâ, et proinde tertia persona realem habet relationem originis non solum ad primam sed etiam ad secundam personam, atque idcirco Spiritus Sanctus credendus est accipere essentiam et omnes perfectiones, seu effulgere et procedere *a Patre per Filium* sive *a Patre et Filio.* Haec doctrina diversis modis loquendi, diversis etiam probationibus una reperitur penes doctores Ecclesiarum Aegypti, Cypri, Asiae minoris, Palaestinae, Ponti, Antiochiae, Africae, Hispaniae, Galliae, Italiae, totius inquam orientis et occidentis a II. ad IX. saeculum; non ergo ea est privata paucorum opinio, sed sententia universalis Ecclesiae.

b) Doctrinam vel integris disputationibus vel simpliciter appellando ad verba Christi et Apostolorum, potissimum ad id, quod dicitur Spiritus *a Filio accipere* et esse *sicut Patris ita Filii Spiritus,* Patres diserte exhibent ut consignatam et expressam in Scripturis Athanasius, Marcellus (1), Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius,

(1) Marcellus Ancyranus ab Arianis vehementissime exagitatus et Sabellianismi accusatus, sed a Iulio I Pontifice, ab Athanasio, a Concilio Sardicensi habitus orthodoxus mansit tamen nonnullis, ut Basilio, suspectus. Eusebius in doctrina de Spiritu Sancto manifeste Arianus (vide Tract. de Trin. ed. 2.ª p. 490) impugnando Marcellum nonnulla ab eo dicta refert (l. III. c. 4. de Eccles. Theologia). Rectissime Marcellus ibi argumentatur adversus Arianum Asterium. Spiritus Sanctus (inquit) procedit a Patre, et accipit a Filio, ut Christus ipse docet. *Accipere* autem a Filio idem valet ac *procedere* a Filio. Iam vero processio a Patre simul et a Filio concipi non posset, si (ut Asterius docet) Pater et Filius essent personae divisae invicem (δυο διαιρουμενα προσωπα), naturis nempe distinctis ac diversis; cum enim processio ab una persona sane sit perfecta, in illa hypothesi Ariana aut tritheitica nihil remaneret personae alteri divisae, quo ad processionem Spiritus Sancti concurreret (cf. supra p. 164.). Hoc ipsum ergo, quod Spiritus Sanctus

Didymus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Augustinus, Vigilius Tapsensis, Cyrillus Alexandrinus, Gelasius Cyzicenus, Anastasius Antiochenus, Pelagius I., Gregorius M., Ioannes Damascenus.

a duabus personis, Patre Filioque procedit, argumentum est manifestum, Patrem et Filium sub formali ratione virtutis spiratricis et proinde etiam substantiâ nec dividi nec distingui, sed omnino unum esse. Ex his concludit Marcellus, « Asterium non recte nec convenienter dixisse tres hypostases, » in illa nempe significatione qua eo tempore sicut ab occidentalibus *substantia*, ita a multis orientalibus, exempli causa in symbolo adiecto Concilio Sardicensi, a Paulino Antiocheno cum suis, minime repugnante Athanasio, ab Hieronymo aliisque *hypostasis* intelligebatur *singularis haec existens natura seu* ὀυσια (vide Tract. de Trin. Th. IX. n. II.). Iam vero Langen hanc catholicam doctrinam, quod Pater et Filius virtute spiratrice sicut etiam substantia inter se minime distinguuntur, Sabellianismi accusat (p. 23. 33.), qua disputatione sane ostendit, se doctrinam catholicam *de unitate numerica* divinae naturae et de processione Spiritus Sancti *a Patre Filioque ut ab uno principio* non perspectam habere, quemadmodum eam Photiani quoque pervertunt catholicis Sabellianismum exprobrantes, eo quod Patrem et Filium spiratione unum Spiritus Sancti principium esse profitemur.

Ait Langen (p. 8.): « in pugna adversus apertum vel occultum Sabellianismum quemadmodum etiam contra Pneumatomachos in promptu erat (Patribus), ut processionem (Spiritus Sancti) a Patre vehementius urgerent, *vel omnino processionem etiam a Filio refutarent*, contra Arianos vero processionem a Patre *Filioque* defenderent. » Atqui haec fictitia plane sunt. Nullum profertur aut proferri potest testimonium, in quo quispiam *contra Sabellianos refutaverit processionem etiam a Filio*; nam si forte haec referantur ad modum loquendi ss. Maximi et Damasceni, illi non contra Sabellianos, sed magis contra errorem Arianorum asserentium Spiritum non procedere a Patre in unitate naturae sed a Filio creatum esse, malebant dicere, Spiritum procedere a Patre *per Filium* quam procedere *a Filio*, ne Filius citra Patrem et non virtute communicata a Patre principium Spiritus Sancti dici videretur. Contra Sabellianos potius valebat explicita assertio processionis *a Filio*, quoniam ex doctrina Patrum sicut personae divinae generatim ita Filius a Spiritu non distinguitur nisi ut principium a procedente ab ipso principio (τῳ τῃς ἀιτιας λογῳ). Quod deinde Arianos spectat, illi ipsi Patres qui ceteroquin frequentius et impressius declarabant processionem a Patre *Filioque*, Didymus, Epiphanius, Cyrillus, Augustinus, Fulgentius, quando directe *contra Arianos* de Spiritu Sancto disputabant, potius explicite urgebant processionem *a Patre* ad demonstrandam divinitatem Spiritus, eandem processionem etiam a Filio iam in illa inclusam supponentes. Quod deinceps praeeunte s. Leone I. Pontifice in Con-

Simpliciter ipsam veritatem christianam enuntiant Tertullianus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Paulinus Nolanus (Christus « coelestia dona profudit, *Spiritum ab Unigena Sanctum et Patre procedentem*» Migne T. LXI. p. 650.), Leo I., Maximus.

c) Porro in ipsis locis a Langenio citatis processionem *per Filium* aut *a Filio* ut articulum credendi dogmatis vel in symbolis et professionibus fidei vel diserta declaratione praedicant Gregorius Thaumaturgus, Marius Victorinus, Epiphanius (1), Concilia Toletana, symbolum Athanasianum,

ciliis Hispaniae insistebatur explicitae professioni Spiritus procedentis *a Patre Filioque*, ratio et occasio orta erat ex haeresi Priscillianorum, qui haud secus ac Sabelliani realem personarum distinctionem negabant (vide Conc. Toletani I. can. 2. 3. 4. Harduin T. I. p. 993.).

(1) Symbolum in Ecclesiis orientalibus ad explicationem symboli Constantinopolitani pro catechumenis usurpari solitum, quod Epiphanius describit, et de quo in Tract. de Trin. Thesi XXXVIII. nos egimus, Langenius quoque adducit, interpretatione tamen certe falsa, quae est etiam Petaviana. Textus ita habet: *και ἐις το ἁγιον πνευμα πιστευομεν..... ὁυτως δε πιστευομεν ἐν ἀυτῳ, ὁτι ἐστι πνευμα ἁγιον, πνευμα θεου, πνευμα τελειον, πνευμα παρακλητον, ἀκτιστον, ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον, και ἐκ του ὑιου λαμβανομενον και πιστευομενον. Πιστευομεν ἐις μιαν καθολικην και ἀποστολικην ἐκκλησιαν.* In editione Petaviana vertitur: « Ita porro nos in ipsum credimus, Spiritum esse sanctum, Dei Spiritum..... *a Patre procedentem, accipientem a Filio, in quem credimus.* » Langen hanc interpretationem sequitur; verum, inquit, « illud *και πιστευομενον* nullum habet sincerum sensum, siquidem iam antea dictum erat: *ita in ipsum credimus;* suspicamur librarii errorem, et legendum esse *πιστευομεν*, quod ad sequentia *εις μιαν καθολικην και ἀποστολικην ἐκκλησιαν* pertineat. » Atqui huic correctioni locus esse nequit; in sequenti enim inciso iam expressum habetur *πιστευομεν*. Pertinet ergo incisum *και πιστευομενον* certissime ad Spiritum Sanctum. Porro sicut reliqua praedicata, quod Spiritus est *sanctus, Spiritus Dei, perfectus, paracletus, increatus, ex Patre procedens, a Filio accipiens*, ita evidenter etiam ultimum, proxime et intime nexum cum antecedente «*accipiens et creditus,*» constituit *obiectum quod creditur.* Est autem evidenter absurdum dicere, ut in versione edita: *credimus Spiritum esse creditum.* Quid ergo agendum? Nihil aliud, nisi ut verba sine truncatione relinquantur; nam praesens graeca lectio clarissimum habet sensum illum omnibus Patribus communem: « credimus Spiritum Sanctum, qui sit ex Patre procedens, atque *ex Filio accipiens et (esse) creditus.* » Nimirum illud *ex Filio* refertur ad utrumque praedicatum connexum: *accipiens et creditus ex Filio.* Ex qua symboli formula Epiphanius in eodem libro Ancorati n. 67. suam expressit

Gennadius, Hormisdas ad Iustinum imperatorem orientis, Fulgentius, Concilium Hatfeldense sub Theodoro natione et eruditione graeco, Tarasius approbante Concilio VII. synodus Foroiuliensis, Carolus M., Hadrianus I., Leo III

Nunc quaeso, cum saeculo IX. adversus hanc universalem praedicationem primum contradictio audita est, quid tum singulis catholicis doctoribus tum toti Ecclesiae agendum erat? Nimirum secundum regulam quam Vincentius Lirinensis « a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris » didicisse se ait, « Christiani catholici operam dabant, ut collatas inter se maiorum consulerent interrogarentque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus et locis in unius tamen Ecclesiae catholicae communione permanentes, magistri probabiles exstiterant; et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverunt, id sibi quoque intelligebant absque ulla dubitatione credendum » (Commonitor. n. 3. 27.). « Christi vero Ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua iam expressa et enucleata, consolidet, firmet; si qua iam confirmata et definita, custodiat. Denique quid umquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? » (ibid. n. 23.).

Sane si professio in symbolis, definitio in Conciliis tum

explicationem: « Christus ex Patre *creditur* Deus de Deo et Spiritus Sanctus ex Christo, sive ab utroque, sicut docet ipse Christus, *qui a Patre procedit,* et *hic de meo accipiet.* » Illud in symbolo το πνευμα ἐκ του ὑιου πιστευομενον, parallelum est alteri n. 67, Χριστος ἐκ του πατρος πιστευεται και το πνευμα ἐκ του Χριστου, ἠ παρ' ἀμφοτερων. Haud dissimilem formam praesefert Gregorii Nysseni sententia, de qua Th. XXXV. diximus: το δε ἁγιον πνευμα και ἐκ του πατρος λεγεται, και ἐκ του ὑιου εἰναι προσμαρτυρεῖται, « Spiritus Sanctus et ex Patre dicitur et ex Filio esse simul confirmatur. »

particularibus tum generalibus (Aquisgranensi, Foroiuliensi, Wormatiensi, Barensi, Lateranensi IV., Lugdunensi II., Florentino), universalís explicitus consensus quoad processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque ut fidei revelatae articulum, inde a saeculo IX. post ortam iam haeresim contrariam conferatur cum praedicatione Ecclesiae antecedentibus saeculis, quousque monumenta ecclesiastica pertingunt, etiam ut a Langenio exhibentur, perfectus in utroque stadio reperitur concentus eo solum discrimine, quod consequitur ex ipso diverso statu simplicis fidei, cum adhuc « calumniator nullus instaret, » et necessariae iam defensionis cum « praecisi haeretici exercitarent Ecclesiam Dei. » In hoc nempe altero stadio Ecclesia Christi vetera fideliter sapienterque tractando, inchoata poliendo, iam expressa firmando, iam confirmata custodiendo effecit, ut fides, praedicatio, explicatio antea simplicior, lentior, securior nunc ob necessitatem defensionis evaderet diligentior, instantior, sollicitior.

Si splendidissimus hic connexus ultimae explicationis cum homogenea praedicatione omnium aetatum antecedentium usque ad tempora apostolica et cum doctrina in ipsis Scripturis evangelicis et apostolicis consignata, ut ea semper intellecta est, Neophotianis videtur non sufficere ad traditionem apostolicam in Ecclesia Christi demonstrandam; profecto non modo munus Ecclesiae ad infallibilem custodiam et explicationem depositi totumque principium Traditionis divinae negatur; sed etiam ipsa fides historica in discrimen vocatur. Atque ita non modo huius sed omnium dogmatum revelatorum catholica et theologica demonstratio subvertitur. Vix enim ullum dogma reperire est, pro quo testimonium traditionis continuum perpetua serie cohaerens, temporibus et locis universale, illustrius splendeat quam pro hac ipsa Spiritus Sancti processione a Patre Filioque.

§. IV. *Fallacia Neoprotestantium de origine catholici consensus in doctrina fidei.*

Rationes quas « Professor theologiae catholicae » inducit ad persuadendum suum commentum, processionem

Spiritus Sancti a Patre *et Filio* non esse revelatum dogma fidei, quantumvis doctrina iam ante ortum schisma Photianum unanimi Patrum consensu proposita fuerit et explicata, admitti non possunt, quin, ut diximus, pervertatur totum principium Traditionis. Rationes istas Langenianas hac et sequentibus paragraphis per partes examinabimus.

Prima doli machina huiusmodi est. Doctrina (inquit) inter Graecos communis, Spiritum Sanctum *a Patre per Filium procedere, procedere a Patre et accipere a Filio,* fundatorem (Begründer) habet Athanasium. Ab Athanasio eam Hilarius deduxit in occidentem (p. 123. 124.). Unde Langen modo loquendi genuine Protestantico etiam appellat « *posteriorem* orthodoxiam Athanasianam » (p. 80.).

Augustinus censendus est « verus auctor doctrinae occidentalis » (der eigentliche Urheber der abendländischen Lehre), Spiritum procedere a Patre et Filio (p. 63. 76. 125.).

Seposito discrimine inter particulam *a Filio*, et *per Filium,* de qua Langeniana fictione et contradictione iam egimus, spectemus heic tantummodo, quae narrat de *doctrinae auctoribus.*

1° Ipsemet Langenius fatetur, in omnibus documentis ecclesiasticis in quibus ante Athanasium de origine et relatione Spiritus Sancti sermo est, apud Tertullianum, Origenem, Gregorium Thaumaturgum, « eandem esse doctrinam quoad rem ipsam de relatione Spiritus Sancti ad Filium, » quam distinctius declaravit Athanasius (p. 21. cf. p. 13. 15.). Fatetur, iam ante Augustinum doctrinam fuisse expressam ipsa hac formula, Spiritum esse ex Patre et Filio, esse auctoribus Patre et Filio, procedere a Patre et Filio; ita enim docuerant Tertullianus, Marcellus, Hilarius, Marius Victorinus, Epiphanius, Didymus et huius interpres Hieronymus, Ambrosius, Concilium I. Toletanum (1), quibus addi deberent ipsemet Athanasius, et se-

(1) Langenius (p. 62.) adfert, et solum « aliquam dubitationem » commemorans admittit symbolum velut editum in hac synodo I. Toletana, in quo PP. profitentur: « credimus..... Spiritum quoque Paracletum esse, qui nec Pater sit ipse nec Filius, *sed a Patre Filioque procedens* » (Harduin I. 993.). De hoc diximus in Tract. de Trin. edit. 2. p. 512.

cundum genuinam lectionem Basilius eiusque germanus frater Gregorius Nyssenus.

Manifestum est igitur, Athanasium et Augustinum non esse *auctores* doctrinae, sed eam reperisse traditam in Ecclesia. Atque ita eam distinctius explicuerunt et confirmarunt, non quidem polemice disputantes de ipsa processione ex Filio, siquidem in hoc capite calumniator nullus instabat; sed doctrinam ecclesiasticam, de qua quaestio nulla adhuc movebatur, supponentes et proponentes ad explicationem unitatis et distinctionis in mysterio Trinitatis et ad instructionem fidelium, ut plerumque Augustinus, vel ea utentes ad alia dogmata adversus haereticos propugnanda, ut fere disputare solet Athanasius, ad propugnandam inquam divinitatem Filii, eo quod ab ipso procedat Deus Spiritus Sanctus, vel adversus concedentes Filio et negantes Spiritui Sancto divinam naturam, ad hanc ipsam Spiritui Sancto asserendam ex processione a Deo Patre et Filio, vel (quod perinde est) a Patre per Filium.

2° Athanasius et Augustinus, sicut alii Patres omnes explicatius de origine Spiritus Sancti tractantes, exhibent processionem a Patre et Filio vel per Filium ut expressam in doctrina Christi et Apostolorum adeoque ut doctrinam revelatam, potissimum in eo, quod Spiritus dicitur accipere a Filio sicut Filius omnia accipit a Patre, et docetur esse sicut Patris ita Filii Spiritus, nomine personali proprio ac propterea relativo; hancque doctrinam tractant, ut diximus, eam tum in persuasione fidelium supponentes tum adhibentes ad alia fidei dogmata confirmanda. Valet nempe hic de Athanasio et Augustino quod de aliorum Patrum doctrina ipse Augustinus commemorat in alio dogmate: „Erat apud Ecclesiae fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui divina tractarent eloquia, *magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tamquam falsum refutari ab aliquo tentaretur*" (Aug. de Peccat. merit. et remiss. l. III. n. 14.). Qui hoc modo in Scriptura traditam, in fide creditam proponunt et supponunt doctrinam, qua quaeso ratione ipsi eius *auctores* censeri possunt?

3^io^ Si supponamus paulisper, quod quidem falsissimum

est, ex monumentis PP. nobis conservatis Athanasium in oriente, Augustinum in occidente primos reperiri huius dogmatis assertores, quid inde consequens foret? Qui legerit nomina Patrum superius ex ipso Langenio descripta, nemo negare potest, saeculo IV. aetate Athanasii parique modo saeculo V. ineunte et deinceps doctrinam fuisse in consensu unanimi Doctorum Ecclesiae orientis et occidentis. Nullus vero Patrum IV. V. VI. VII. saeculo sive ad Athanasii sive ad Augustini auctoritatem umquam appellavit; sed ii omnes dogma proponunt ut comprehensum vel in explicitis verbis Scripturae, vel in doctrina revelata de unitate, distinctione et ordine divinarum personarum, vel in fide et traditione Ecclesiae (1). Ex consensu itaque omnium Doctorum cum doctrina Athanasii et Augustini (etiam in hypothesi, quam permisimus) nullatenus inferendum esset, horum duorum Patrum auctoritatem causam fuisse universalis istius consensus, quasi nempe reliqui omnes velut caeci secuti fuissent humanos *auctores* fidei divinae; sed imo auctoritas Athanasii et Augustini in hoc etiam capite existit ex ipsorum consensu cum doctrina communi Ecclesiae. Repetendum est de Athanasio et Augustino, quod in alio capite doctrinae de auctoritate Gregori Nazianzeni et Ioannis Chrysostomi ipsemet ait Augustinus: « Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc *nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, neque illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent.* » « Absi

(1) Huc nominatim referendae sunt fidei professiones superius commemoratae, quibus doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio aut per Filium inserta est. Sed etiam quoad universalem professionem et symbola fidei disputator noster non est inops consilii. Quaeritur qua ratione anno 400 fuerit insertus articulus fidei in ipso symbolo Constantinopolitano? En explicationem promptam: « frequens in occidente lectio libri Didymi de Spiritu Sancto *effecisse debet,* ut passim in usum reciperetur formula processionis *ex Patre et Filio.*» Nempe nec *frequens* illa lectio, nec huiusmodi *effectus* (ab anno 386, quo librum latine verti Hieronymus, ad annum 400) probari ullo modo potest; sed *ita esse debet* (Die im Abendlande viel gelesene Schrift des Didymus *muss* dort die Formel *sehr in Umlauf gebracht haben* p. 62.)

ut tu (Ioannes) aliud saperes, *et in ea (Ecclesia) tam praecipuus emineres* » (Aug. contr. Iulian. I. n. 16. 22.). Erat enim quavis aetate, quod Vincentius Lirinensis (c. 23.) generatim commendat, « magna profecto res et ad recolendum necessaria, ut omnes vere catholici noverint, se *cum Ecclesia* doctores (singulos privatos) recipere, *non cum doctoribus Ecclesiae fidem deserere debere.* » Absit ergo, ut umquam doctores in Ecclesia, etiamsi nomen et gloriam haberent Athanasii vel Augustini, suscepti fuerint velut *auctores doctrinae fidei.*

§. V. *Dissimulatio documentorum antiquitatis, in quibus diserte adstruitur articulus fidei.*

Argumentum Neophotianismi longe praecipuum, quo medulla totius Langenianae dissertationis continetur, ad subvertendam fidem revelati dogmatis in eo est, quod asseritur, a Patribus doctrinam de processione Spiritus Sancti *etiam a Filio* aut *per Filium* non proponi velut dogma *divinae traditionis,* sed velut *theologicae dumtaxat speculationis,* quae quantumvis vera nec constituat nec constituere possit articulum fidei catholicae. Ad persuadendam rem tam inauditam, ubi de unanimi Patrum in mysterio christianae doctrinae consensu agitur, quem Langen non solum concedit sed etiam demonstrat, ipse singulos Patres spectat seorsum, nulla habita ratione consensus in unam sententiam inde a II. ad IX. saeculum in oriente et occidente, et plane seposita ulteriori explicatione ac confirmatione eiusdem consensus; de qua subversione infallibilitatis Ecclesiae in custodia et explicatione depositi iam diximus. Speciatim vero ad hunc scopum imprimis vim ac valorem omnium documentorum, in quibus processio ex Filio aut per Filium diserte proponitur ut articulus fidei catholicae, dolo malo dissimulat et transilit, ac si singularem dumtaxat opinionem exprimerent.

Examinemus paulisper has artes inventas ad causam pessimam fulciendam, quas quidem artes malas esse non ex aliis, quam ex ipsius Langenii sententiis demonstrabimus.

1° Professionem qua Spiritus Sanctus dicitur « proce-

dere a Patre *per Filium,* » et « *etiam a Filio habere essentiam,*» Langen fatetur iam medio saeculo IV. fuisse a Mario Victorino in symbolo fidei contra Arianos recitatam atque adeo communem doctrinam Ecclesiae, « *constantem sententiam fundatam in verbis Christi Io. XIV. 14.*» (1). Eadem aetate cum Didymus Alexandrinus consentiente eius interprete Hieronymo doceret, « Spiritum habere essentiam a Filio, sicut Filius habet a Patre, ac proinde procedere a Patre et Filio, seu esse ex Patre Filioque; » haec doctrina, « quoniam Hieronymus testabatur Didymum in dogmate Trinitatis certe catholicum esse, » in occidente « *late diffundebatur* » (2). Hoc ipso tempore Epiphanius descripsit symbolum fidei « *in universa Ecclesia* adhibitum in collatione baptismi, » ubi iam dicitur, « credendum esse, Spiritum Sanctum procedere a Patre et accipere a Filio; et in eodem (totius Ecclesiae) symbolo textus Io. XV. 26. XVI. 14. comparent ut *formulae dogmaticae pro relatione Spiritus Sancti ad Patrem et Filium.* Epiphanius ergo agnovit ut publicam et apostolicam ac proinde *ut catholicam doctrinam Ecclesiae,* Spiritum procedere a Patre, et accipere a Filio » (3). Unde auctor noster loquens de Conci-

(1) « Die gewöhnlich kirchliche..... feststehende auf Ioh. XVI. 14. gegründete Anschauung » Langen p. 28. 124.

(2) Ibi p. 28. 61.

(3) Ibi p. 42. 54. 124. Conatur Professor p. 42. sese extricare, dum *a*) haec ipsi Epiphanio attribuit. At paulo ante fassus erat, et p. 54 iterum fatetur, istam professionem fuisse « *in symbolo fidei totius Ecclesiae.* » *b*) Vellet tenebras inducere eo, quod (ut ait) « Epiphanius nullo modo declarat, quid intellexerit per illud *accipere a Filio.* » Verum *α*) Epiphanius clarissime explicat *accipere a Filio* non aliud sibi velle quam *esse ex Filio* (Ancorat. n. 67. vide supra p. 52.). *β*) Langen ipsemet (p. 5.) affirmat, quaestionem de origine Spiritus Sancti etiam ex Filio fore decisam, si Christus non *de meo* dixisset, sed *de me accipiet* (vide supra p. 247.). Iam vero tam in isto « symbolo totius Ecclesiae» quam ab Epiphanio verba Christi, fatente Langenio, omnino explicabantur hac una significatione : *accipit a Filio.* *γ*) Theologus noster ipsemet paulo inferius p. 124. immemor horum quae p. 42. dixerat, nihil haesitans affirmat, in symbolo Epiphaniano « per verba, *Spiritus accipit a Filio,* explicite expressam esse *doctrinam processionis per Filium.*» *δ*) Spiritum alio modo quam per processionem *accipere quidpiam a Filio,* dici nequit sine haeresi Macedoniana et negatione divinitatis Spiritus Sancti, quam ne

lio II. agnoscit, sententiam de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium « fuisse in theologia illius aetatis (saeculi IV.) *universalem*, quam sine dubio etiam Patres Concilii fovebant. » Quod vero eam in symbolo non expresserint, rationem adfert non iam quod eam censuerint ad fidem haud pertinere; « sed quia doctrina de processione a Patre adversus Macedonianos sufficiebat » (1). Dicitur idem dogma « in oriente *dominans traditio* » (2); « doctrina apud Graecos *universalis* » (3); « theologica graeca traditio ab orientalibus Ecclesiae doctoribus propagata; » « doctrina traditionalis orientalium; » « *positiva traditio*, » quae distinguitur a « speculatione theologica; » « usque ad initia saeculi V. quoad substantiam unanimis doctrina » (4). Spiritum Sanctum esse ac dici *Spiritum Filii* non solum ratione temporariae missionis a Filio, sed « propter immanentem essentialem relationem ad Filium, » erat doctrina « *numquam in dubium vocata totius veteris Ecclesiae et omnium Patrum* » (5).

Professor quidem tribuet Epiphanio, qui librum Ancorati scripsit ad hanc ipsam haeresim expugnandam. ε) Alioquin doctrina Epiphanii de processione *a Patre Filioque* ubique clara est ac evidens (vide Tract. de Trin. Th. XXXV.).

(1) Ibid. p. 61.

(2) Ibid. p. 105. Die in Orient herrschende Ueberlieferung.

(3) Ibid. p. 125.

(4) Ibid. p. 63. 64. Quod auctor heic intrudit suam fictionem, quasi Augustinus « traditionem de processione *a Patre per Filium*, » ut ait, « aliquatenus mutasset per speculationem de processione *a Patre et Filio;* » iam novimus, cuius pretii sit haec differentia inter utramque formulam. Sicut hoc loco Langen dicit doctrinam usque ad Augustinum fuisse *quoad substantiam unanimem;* ita paulo post p. 126. ipsemet fatetur, inter doctrinam Augustinianam (a Patre *Filioque*) et Patrum graecorum (*παρα του πατρος δια του υιου*) « *non esse essentialem differentiam.* »

(5) Ibid. p. 110. « Die niemals bezweifelte Lehre der ganzen alten Kirche und aller Vaeter. » Agnoscit igitur Langen, in verbis Scripturae ubi dicitur *Spiritus Filii,* contineri, et ab universa Ecclesia semper creditam fuisse « immanentem essentialem *relationem* Spiritus Sancti ad Filium » (immanente *Wesensbeziehung* des h. Geistes zum Sohne); quae sane *relatio immanens* inter personas divinas nec est nec concipi potest nisi *relatio originis.* Quomodo ergo Professor idem superius p. 4. 5. et inferius p. 125. asserere potuit, nihil de Spiritus Sancti relatione

Ex dictis iam apparet, non solum agi de « traditione *in oriente,* » et « de doctrina universali *penes Graecos;* » sed omnino agnoscendam esse « communem Ecclesiae doctrinam, » « doctrinam late diffusam » non minus *in occidente,* ac denique « doctrinam numquam in dubium vocatam *totius veteris Ecclesiae.* » Consulamus tamen, Langenio praeeunte, distinctius fidem ac professionem occidentalium; amoto utique figmento, quod auctor inducit, ubi universalem consensionem obscurare nititur, ac si aliud sibi voluissent orientales, dum docebant Spiritum Sanctum *a Patre per Filium procedere, accipere et habere essentiam sicut a Patre ita a Filio,* ac proinde *esse ex Patre et Filio*, aliud vero occidentales expressissent profitendo *processionem a Patre Filioque.*

2° Iam anno 400 Concilium I. Toletanum fortasse in symbolum fidei suscepit doctrinam processionis *a Patre Filioque*, habuitque eam « *ut symbolicam traditionem fidei* » (1); saeculo V. Paulinus Nolanus eam assumpsit « *ut formulam per se manifestam* in doctrina de SS. Trinitate » (2); Pontifex Leo I. eam proponit velut « formulam symbolicam » (3); sequendo doctrinam Pontificis Concilium Toletanum II. eam ponit vel repetit in symbolo fidei (4). Post medium saeculum V. in symbolo Athanasiano professio eadem « forma strictissima proponitur *ut indubitatum dogma fidei* » (5). Pari modo eam habet inter fidei dogmata Gen-

ad Filium, sed eius dumtaxat consubstantialitatem cum Filio in Scripturis et traditione fidei doceri? Ibi nomen in Scripturis proprium tertiae personae *Spiritus Filii* interpretatur de *essentiali coniunctione* seu unitate cum Filio (Wesensverbindung), nunc autem in loco de quo agimus, tandem fatetur eam appellationem semper intellectam et intelligendam esse *de immanente relatione ad Filium* (Wesensbeziehung zum Sohne). Nempe contra veritatem causae pessimae non bonum patrocinium cordi est.

(1) Ibid. p. 63. 76. « Symbolische Glaubensüberlieferung. »

(2) Ibid. p. 77.

(3) Ibid. p. 77.

(4) Ibid. p. 78.

(5) Ibid. p. 78. 125. Quod Langen solum concludit, ex hac « forma strictissima » apparere doctrinam post medium saeculum V. fuisse in occidente « satis universaliter susceptam » (ziemlich allgemein angenommen), tergiversatio est hominis subterfugia quaerentis. Sub necessitate

nadius Marsiliensis in symbolo fidei; et Fulgentius Ruspensis multis in locis recenset inter « certissimos fidei articulos »: « tam inconcusse ea aetate in occidente professio processionis a Patre *Filioque obfirmata erat in convictione dogmatica* » (1). In Concilio III. Toletano insertum est et deinde « ab aliis Conciliis longa serie per septimum saeculum repetitum in symbolo fidei, Spiritum Sanctum procedere a Patre Filioque » (2). Concilium Anglicum sub Theodoro Cantuariensi anno 680. « sequendo quinque oecumenica Concilia et Concilium Romanum sub Martino I., Lateranense primum, profitetur doctrinam processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio » (3). Nec minus doctrina eadem ut articulus fidei supponitur ab Hadriano I., definitur a Concilio Foroiuliensi, et a Leone III. in professione fidei pro omnibus Ecclesiis orientalibus (4).

Nunc tandem summam subducamus omnium horum do-

salutis et interminatione damnationis aeternae proponi non poterat nisi indubitatus fidei articulus; vel certe huiusmodi documentum numquam fuisset receptum in auctoritatem fidei, quemadmodum hoc symbolum iam ante ortum haeresis Photianae nominatim quoad processionem Spiritus Sancti *a Patre et Filio,* susceptum fuisse videmus ut « *expositionem catholicae fidei, quam universalis confitetur Ecclesia* » (supra p. 71 sq. cf. Tract. de Trin. ed. 2. p. 513.).

(1) Ibid. p. 80. 103. 125. « So fest war das Filioque damals im Abendlande bereits in dem dogmatischen Bewusstsein begründet. »

(2) Ibid. p. 106.

(3) Ibid. p. 107. Obiter advertas designationem Concilii Lateranensis *primi.* Videtur Langen hanc synodum sub Martino I. anni 649 accensere Conciliis Lateranensibus oecumenicis; secus homo ἱστορικώτατος non potuisset dicere *primum* inter Lateranensia. Unde cogetur agnoscere saltem unum aut alterum ex quinque Lateranensibus oecumenicis inde ab anno 1123 usque ad annum 1517. Haec vero quomodo cum sua Neoprotestantica negatione principiorum catholicorum conciliare et suis collegis sectariis persuadere possit, ipse viderit.

(4) Ibid. p. 121. 122. Portentum est non solum theologicum sed etiam historicum (cf. supra p. 86. sqq.), quod Neoprotestans noster heic subiungit: « Carolus M. in synodo Aquisgranensi *decretum edidit,* articulum *Filioque* in Nicaeno-Constantinopolitano symbolo esse inserendum » (Karl der Grosse aber *decretirte* auf der Synode zu Aachen, dass das *Filioque* in dem Nic. CP. Symbolum mit aufzuführen sei). Insinuatur nempe exemplar aliquod « synodorum » Neoprotestantium, in quibus laici de rebus ecclesiasticis potissimum decernunt.

cumentorum. Spiritum Sanctum *a Patre per Filium* vel *a Patre et Filio procedere,* quoniam inter haec sensu catholico Patrum intellecta nullum reale, et fatente Langenio non est essentiale discrimen, quomodo quaeso proponitur in monumentis ab ipsomet disputatore Bonnensi admissis et agnitis inde saltem a medio saeculo IV, ubi de Spiritu Sancto explicatius agi coeptum est, usque ad ortam contradictionem saeculo IX? Prostat ubique fatente Langenio ut « doctrina communis Ecclesiae, » « obfirmata in convictione dogmatica, » « catholica doctrina Ecclesiae, » « doctrina totius Ecclesiae et omnium Patrum numquam in dubium vocata, » « dominans traditio, » « positiva traditio, » distincta « a speculatione et confirmatione theologica, » suscepta ut « doctrina fundata in Scripturis, » ut articulus fidei credendus « proposita in professionibus fidei et in symbolis » tam orientis quam occidentis.

Ex his omnibus quam putas fore conclusionem nostri dissertatoris? Conclusio est: processionem Spiritus Sancti a Patre *per Filium* aut *a Filio* esse « theologicam opinionem, » quae pertineat ad « speculationem; » non autem esse « ex traditione apostolica, » nec proinde « dogma fidei » ! ! Hic profecto non modo omnia principia Traditionis catholicae sed etiam logices et sanae rationis subversa sunt, quod inde necessario accidit, quia homines apostatae sua placita et potissimum ipsa sua fundamenta haereseos obducere vellent verbis quibusdam ac modis loquendi catholicis, quorum ex educatione catholica adhuc meminerunt.

§. VI. *Unanimis doctrinae Patrum Neophotiana detorsio ex fallaci locorum collatione.*

Singulorum Patrum explicitae et per unanimem consensum universali doctrinae de processione Spiritus Sancti *a Filio* aut *per Filium* Langenius argumentatione omnino Photiana opponit eorundem Patrum loca alia, in quibus non agunt nisi de fide in Deum unum et trinum, ac proinde in divinitatem Spiritus Sancti, quin explicite postulent professionem processionis. Unde sicut ex simili argumento Photiani orientales (ut apud Macarium vidimus) absurde

inferre audent, Patres negasse processionem a Filio; ita Neophotianus Bonnensis deducit, non quidem Patres hanc processionem negasse, sed solummodo eam non veritatibus fidei credendis, verum «opinionibus et speculationibus theologicis» accensuisse.

At vero iam per sese ex ipsa sua forma et indole argumentatio tota inepta apparet. Vel enim adversarius affirmat, Patres illas solas veritates inter fidei dogmata computasse, quas in istis locis ab ipso inductis explicite vindicant contra haereticos; vel concedit, in huiusmodi locis ea dumtaxat dogmata commemorari, quorum defensionem oppugnatio contrariae haereseos, status propositae quaestionis, contextus disputationis postulabat. Si primum dicit, revelatae veritates plurimae et nominatim processio Spiritus Sancti a Patre, cuius in plerisque illis locis nulla est mentio, e censu dogmatum fidei eliminandae erunt; ac insuper principium hermeneuticum statuetur evidenter absurdum, nihil pertinere ad fidem, quod a Patribus non in omnibus disputationibus adversus haereticos fuerit tamquam dogma fidei explicite assertum ac vindicatum. Si ex duobus, quae posuimus, concedit alterum, ex iisdem locis Patrum non magis conficietur, processionem Spiritus Sancti a Filio aut per Filium, quam processionem a Patre et alia dogmata plurima, quorum ibi mentio non est, fuisse non inter veritates fidei sed inter opiniones dumtaxat theologicas recensitam.

Ut clarius pateat, quod dicimus, paucis discutiamus singulas animadversiones, quas « Professori theologiae » subiungere placuit post descriptam manifestam Patrum doctrinam de processione a Filio aut per Filium.

1° Tertullianus distinctionem realem trium personarum (οἰκονομιαν) integra manente unitate substantiae, operationis, et dominationis (τῃ μοναρχιᾳ) defendit adversus Praxeam (1), qui sicut Noetus et Sabellius hanc unitatem in Deo seu mo-

(1) Tertullianum aliosque PP. antenicaenos veram docuisse unitatem substantiae divinae in tribus realiter distinctis personis, in Tractatu de Trin. Th. X. XI. (ed. 2. p. 155. 172. sqq.) demonstravimus adversus recentiores quosdam theologos, quorum opinionem etiam Langen suam fecit.

narchiam non nisi negata reali distinctione personarum consistere posse putabat. Ideo autem unitas substantiae eoque ipso unitas operationis et dominationis consistit cum distinctione personarum, quia substantia divina una indivisibilis simul est communicabilis, et a Patre communicatur Filio, a Patre et Filio personae tertiae (ordine originis) Spiritui Sancto; sine hac enim communicatione verissimum esset, quod aiebant haeretici, substantias quoque plures esse, ubi plures sunt distinctae personae. Sicut autem distinctio personarum ab haereticis negata, ita etiam haec substantiae communicatio constat ex sola revelatione Ecclesiae tradita et in Ecclesia custodita. Unde Tertullianus in revelatione unitatis et distinctionis videns inclusam revelationem communicationis substantiae, utramque eodem modo proponit ac defendit adversus haereticos. Absurdum ergo est dicere, Tertullianum distinctionem quidem personarum simul cum unitate substantiae reperisse in traditione christiana, communicationem vero substantiae, de qua eodem modo ac de illa monarchia loquitur, et sine qua monarchia non catholica sed Praxeana admittenda foret, habuisse non ut doctrinam revelationis et traditionis christianae, sed mere ut opinionem theologicam. In hanc absurditatem non argumentatione aliqua, sed mere arbitraria affirmatione Langen incidit.

Recitat doctrinam Tertulliani. « Qui Filium non aliunde deduco sed de substantia Patris... quomodo possum de fide (i. e. hac fide catholica) destruere monarchiam, quam a Patre Filio traditam in Filio servo? Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto quam *a Patre per Filium.* » « Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum (1). Secundus autem ubi est, duo sunt;

(1) Paulo superius dixerat: « Sermo (Verbum) et in Patre semper (Io. XIV. 10.) et apud Deum semper (Io. I. 1.), et numquam separatus a Patre aut alius (alius Deus, seu *aliud*) a Patre, quia *ego et Pater unum sumus* » (Io. X. 30.). Inferius c. 22: « Caeci qui non videant..... *sumus* non ex unius esse persona, quod pluraliter dictum est; tum quod *unum* sumus, non *unus* sumus..... ostendit duos esse, quos aequat et iungit. »

et tertius, ubi tres sunt. *Tertius enim est Spiritus a Deo (Patre) et Filio;* sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas *per consertos et connexos gradus* decurrens et monarchiae nihil obstrepit, et οἰκονομίας statum protegit. *Hanc me regulam* (1) *professum, qua inseparatos ab alterutro* (secundum ordinem originis, quem dixerat) *Patrem et Filium et Spiritum testor, tene ubique* » (Tertull. contra Prax. c. 4. 8.).

His licet non integre descriptis, Langen adhuc addit, Tertullianum considerare internas processiones etiam in relatione ad operationes ad extra, atque ideo ex missione Spiritus Sancti a Patre et Filio deducere eiusdem etiam processionem ab utroque. Quae quidem doctrina si apud Tertullianum reperitur (2), non aliud continet quam expli-

(1) Tertullianus saepe inculcat (de Praescript. c. 13; de veland. virgin. c. 1; cont. Prax. c. 2.) necessarium esse ad salutem, ut teneatur *regula fidei*, quae (inquit) « a Christo instituta nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, et quae haereticos faciunt. » Sed non ubique omnes easdem veritates in ista regula comprehendit. Videtur e. g. tradere plenam regulam fidei (de veland. virginib. c. 1.); concludit enim illam: « hac lege fidei manente, cetera iam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correctionis. » At in ea regula ne omnes quidem articuli symboli Apostolici continentur, nec ulla est mentio Spiritus Sancti, ut de aliis fidei veritatibus nihil dicam. Nimirum apud Tertullianum sicut apud alios Patres, quae in huiusmodi regulis, symbolis, et expositionibus fidei ponuntur, pertinent quidem omnia, sed *non sola* ad fidem credendam. Hoc principium obvium et per se clarum Neoprotestans noluit intelligere, ut scilicet pro fine proximo sui libelli articulum de processione Spiritus Sancti eliminaret, generatim vero ut necessitas fidei ad paucissima ac tandem ad nihilum reducatur. Imo hoc loco quem citat (cont. Prax. c. 8.), Langen totam istam periodum « de regula professionis » omisit.

(2) Potest censeri proposita ista doctrina c. 9. cont. Prax. Ibi postquam ex missione Filii a Patre declaravit distinctionem et relationem duarum personarum, pari ratione deinde ex missione Spiritus Sancti a Filio eiusdem Spiritus distinctionem et relationem ad Filium concludit: « sic alium a se Paracletum, quomodo et nos (in antecedentibus) a Patre alium Filium, ut *tertium gradum* ostenderet in Paracleto (paulo ante c. 8. dixerat: tertius est *Spiritus a Deo et Filio*), sicut nos secundum

cationem revelationis implicitae; siquidem tum ex ipsa notione missionis in persona divina, tum ex intellectu catholico per consensum Patrum post aetatem Tertulliani manifestato certum est, in revelatione missionis personae divinae unius ab altera contineri implicite revelatam processionem missi a mittente, ut demonstratum habes superius (p.24.sqq.) et in Tractatu de Trin. Th. XXXIII.

Nunc vero audi conclusionem Professoris. Duo dixerat, primo Tertullianum docere processionem Spiritus Sancti *a Patre et Filio* atque *a Patre per Filium;* secundo Tertullianum considerasse operationes ad extra in relatione ad processiones internas, atque ita cum missione Spiritus Sancti a Filio coniunxisse eiusdem Spiritus processionem a Filio. Ex his duobus continuo infert: « *Proinde* apud Tertullianum illud *per Filium* non potest habere valorem traditionis ecclesiasticae » (p. 10.). Certe haec est dialectica omnino nova, quam Tertullianus nondum noverat; in antiqua enim arte logica, maxime si non cum Langenio supprimas quod doctor Africanus dixit de «regula professionis,» illatio foret omnino contraria. Tertullianus pugnando contra haereticos proponit ut doctrinam certam pertinentem ad distinctionem ac ordinem divinarum personarum, de quibus nihil nobis nisi ex revelatione constare potest, eamque habet ex regula professionis christianae et fundatam in Scripturis, Spiritum personam tertiam procedere *a Patre et Filio, a Patre per Filium,* a persona nimirum prima per secundam: *proinde* sicut processionem a Patre ita non minus processionem a Filio habuit ut doctrinam in deposito revelationis et in professione Ecclesiae custoditam, adeoque ut traditionem christianam.

2° In doctrina manifestissima ss. Epiphanii, Cyrilli Alexandrini, Ioannis Damasceni, qui processionem Spiritus Sancti *a Patre per Filium* aut *a Patre et Filio* proponunt ex testimoniis Scripturarum, eamque velut communem profes-

in Filio, *propter* οἰκονομίας (internarum relationum) *observationem.* » Falsum vero est, quod Langen ait, in hoc libro contra Praxeam Spiritum Sanctum dici « Christi vicarium; » ita a Tertulliano appellatur de Praescript. c. 28. et de veland. virgin. c. 1. in aliis omnino contextibus.

sionem Ecclesiae assumunt ad confirmandos alios articulos fidei ab haereticis impugnatos, auctor noster non reperit ullam saltem apparentem speciem rationis, qua penes istos doctores hanc veritatem velut « speculationem et opinionem theologicam » distingueret ab aliis veritatibus fidei. Quare meris coniecturis fucum quemdam inducere conatur.

Epiphanius (ait ille p. 42.) tenet quidem, Spiritum accipere essentiam a Filio, tamquam apostolicam et catholicam doctrinam Ecclesiae; sed illud *accipere* distinguit a processione, quamvis « ex altera parte *accipere a Filio* et *procedere a Filio* habeat tam propinquum unum alteri, ut saepius declaret, *Spiritum esse ab utroque, a Patre et Filio.*» De fraudulenta hac tergiversatione Langenii paulo ante (p. 276. nota) satis diximus.

Cyrillus, si Neophotianis credimus, nullibi satis declaravit, quid in theologica explicatione doctrinae de processione Spiritus Sancti habuerit aut non habuerit ut dogma fidei. « Etiam pugnando contra Theodoretum semper tenuit indubitatum, Spiritum Sanctum esse *proprium Filii,* esse *sicut Patris ita Filii Spiritum;* reliqua omnia quae docet de immanentibus relationibus, *fortasse* habuit velut theologicas dumtaxat deductiones (1), quantumvis hae ipsi viderentur necessariae » (p. 91.). Fateor, argumentationem huic similem ne a Professore quidem Reinkensiano expectassem. Cyrillus in locis innumerabilibus dixit *Spiritum sicut Patris ita Filii proprium* (ἴδιον), numquam vero alio sensu quam ad exprimendam relationem originis ad Filium, processionis nempe *per Filium* vel *a Filio.* Si ergo in illo priori agnovit indubitatum dogma fidei, certissime habuit ut dogma fidei processionem Spiritus Sancti a Filio non minus quam a Patre. Si porro Langenius omnes declarationes unius dogmatis ex altero, unius formulae dogmaticae ex altera appellat deductiones, quibus valor dogmatum excludatur, in nova hac haeresi sectatores una cum divina fide etiam humanam rationem exuant necesse est.

Ioannes Damascenus, fatente Langenio, docet « Spiritum

(1) Alles andere *mag er wohl* nur als theologische Schlussfolgerungen betrachtet haben.

procedere a Patre et manere in Filio, » « procedere a Patre per Filium, » « esse imaginem Filii, sicut Filius est imago Patris, » « esse medium inter Patrem et Filium, atque per Filium cum Patre coniunctum. » Sequitur conclusio Neophotiana: « Si quaeramus, quasnam ex his sententiis Ioannes agnoverit velut dogma obligans, *fortasse* illae erunt, quas quodammodo declarationis instar adfert in symbolo Constantinopolitano: Spiritum Sanctum procedere a Patre, et manere in Filio » (p. 120.). Quisque videt, hic novam dialecticam, quam paulo ante mirati sumus, in toto suo vigore apparere. Cum omnes allatae sententiae apud Damascenum *rem* prorsus unam eandemque significent, et si *modus* significandi aliquatenus differt, nulla ratio reperiri queat, cur in aliis maior in aliis minor sit vis obligandi ad fidem relationum inter divinas personas; non *fortasse* sed *certo* inferendum est: penes Damascenum eas omnes sententias ex consensu antecedentium Patrum prolatas eiusdem omnino esse valoris, et revocari omnes ad unam, Spiritum Sanctum nempe secundum doctrinam et professionem catholicam ex Patrum consensu luculentam aeterna immanente relatione *procedere a Patre per Filium* (vide Tract. de Trin. Th. XXXVI. n. II.).

Cum ultimo coniungimus primum ex Patribus graecis, quos Langen inducit; ut ex utriusque comparatione exlex licentia novae hermeneuticae oculis subiiciatur. Gregorius Thaumaturgus in symbolo profitetur sicut Filium imaginem et characterem Patris, solum ex solo, ita Spiritum Sanctum *imaginem perfectam Filii perfecti;* qui semper erat in Filio, sicut Filius in Patre; qui denique non solum ad extra sed etiam in relatione personali ad intra per Filium apparuit. Non negat Langenius his omnibus exprimi processionem a Patre per Filium, quod quidem ex toto contextu manifestum est (cf. Tract. de Trin. Th. XXXV. n.I.). Putares ergo huic Gregorii professioni in symbolo a Langenio non posse negari vim « dogmatis obligantis, » cum ipsemet penes Damascenum (ut vidimus) hanc vim agnoscat ex eo, quod doctrina aliqua per modum explicationis posita est in symbolo. Verum in dialectica Neophotiana

contrarium concluditur. Apud Gregorium Thaumaturgum (ita Langen concludit) « non habemus breve ac praecisum symbolum, quo non aliud quam doctrina Ecclesiae proponatur, sed explicationem symboli secundum notiones scholae Origenianae: haec explicatio symboli non exhibetur nobis velut traditio apostolica » (p. 15.). Apud Damascenum *explicatio in symbolo* erat ratio affirmandi, apud Gregorium eadem est ratio negandi vim dogmatis; cuius negationis miram confirmationem theologus noster reperit in defectu *brevitatis* symboli. Sane hac methodo symbolum Neoprotestantium brevissimum, aut pro lubitu nullum erit.

3tio Hactenus nihil nisi meras negationes fallaciter obtrusas vidimus, quibus consentiens et universalis doctrina de articulo mysterii Trinitatis personarum non ad fidem christianam, sed ad « opiniones et speculationes theologicas » pertinere absque ulla specie rationis aut probationis dicebatur. Sequuntur nunc Patres illi, ex quibus « Professor theologiae » producit unum alterumve testimonium de divinitate Spiritus Sancti, quin simul eiusdem processio *a Filio* aut *per Filium* commemoretur; unde continuo concludit, testibus his ss. doctoribus relationem Spiritus ad Filium non inter dogmata Ecclesiae, sed inter opiniones theologicas particulares habendam esse. Forma huius argumentationis eadem nobis apud antiquos Photianos occurrit, eo tamen discrimine, quod illi loca attestantia processionem a Filio obtruncant aut supprimunt, iis solis productis, in quibus de eadem processione tacetur; novi autem Photiani tanta non ausi sincere describunt pleraque testimonia; unde fit, ut illi magis fraudibus, hi manifestioribus contradictionibus agere deprehendantur. Producit Langen testimonia clara pro processione Spiritus Sancti a Patre *per Filium* et *a Filio* ex prolixis disputationibus, quibus Athanasius, Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Augustinus, Vigilius Tapsensis dogma vel ex Scripturis demonstrant ac declarant, vel ut notum in doctrina christiana assumunt ad alios haereticorum errores refellendos; tum repente subiungit, Patres istos doctrinam ita probatam et assumptam apprime distin-

xisse a revelatis dogmatibus, eamque habuisse inter « speculationes theologicas. » Qua quaeso ratione haec distinctio probatur? cur deinde doctrina, quae « speculative » deducitur, probatur, declaratur, cuiusmodi « speculationes » saepissime a PP. instituuntur e. g. de generatione et consubstantialitate Filii, ad dogmata revelata non pertinet? Accipe totam huius tantae distinctionis seu potius perversionis probationem Neophotianam.

« Athanasius (inquit Langen) accurate distinguit inter theologicam speculationem (ad quam nempe pertineant omnes eius declarationes de processione per Filium et de acceptione totius essentiae a Filio) et inter traditionem fidei » (ad quam illa doctrina non pertineat). Probatur. « Nam Athanasius (ad Serap. IV. 7.) dicit homoeusianis: sufficit vos credere Spiritum non esse creaturam, sed Spiritum esse Dei, et in ipso Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. » Item in fragmento, quo continetur Athanasii interpretatio in symbolum (Migne T. XXVI. p. 1231.), inter praedicata Spiritus Sancti non fit mentio processionis; solum dicitur « non alienus a Patre et Filio, sed consubstantialis Patri et Filio. » Ex quibus omnibus theologus noster concludit: « ergo consubstantialitas Spiritus Sancti cum Patre et Filio iuxta Athanasium erat fides Ecclesiae et apostolica traditio de Spiritu Sancto» (1) (p.21).

Magis adhuc stupeas argumentationem Langenianam de doctrina Basilii. Basilius doctrinam saepe et multis declaratam de processione Spiritus a Patre per Filium « non habuit velut traditam a Christo et obiectum fidei.» Hoc probatur. « Quid ipse agnoverit ut essentialem doctrinam fidei, patefacit l. de Spir. S. c. 18. ubi ait: naturalis bonitas et

(1) Prout sententia a nostro dialectico enuntiatur forma *affirmante*, ea est certissima; omnino consubstantialitas Spiritus Sancti erat in fide Ecclesiae et in traditione apostolica. Sed (ut tirones norunt) haec *affirmatio* non est *negatio* nec praebet fundamentum *negationis*, qua dicas, processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio aut per Filium non fuisse habitam in fide et traditione Ecclesiae; imo si conferatur integra doctrina Athanasii, in ipsa tradita ac credita consubstantialitate Spiritus Sancti cum Patre et Filio continetur tradita ac credita eiusdem processio seu *substantiae acceptio* ab utroque.

essentialis sanctitas et regalis dignitas a Patre per Unigenitum in Spiritum permanat (communicatur): *hoc modo* (οὕτω) et hypostases creduntur, et pium dogma unitatis Dei (της μοναρχιας) non labefactatur. » Ex hac doctrina putares sicut unitatem essentiae in distinctis personis, ita huius fundamentum, communicationem nempe essentiae *a Patre per Unigenitum in Spiritum Sanctum,* ad eandem fidem pertinere; ut dialectica Bonnensis contrarium concludit hoc modo: « *ergo* essentialis unitas in Trinitate personarum etiam penes Basilium est necessario tenenda doctrina, apostolica et catholica fides. Huius fidei ulterior explicatio et defensio spectat ad theologicam speculationem » (p. 37.).

Simillimam huic deductionem « Professor theologiae » nobis propinat in doctrina Cyrilli Hierosolymitani. Eodem modo, quo Athanasius dixit, « Spiritus omnia quae habet, a Verbo habet » (vide Tract. de Trin. th. XXXV.). et quo Basilius, Gregorius Nazianzenus aliique « a Patre per Unigenitum in Spiritum perfectionem divinam permanare » docuerunt, etiam Cyrillus in catechesibus non uno loco dogma declaravit. Quam quidem declarationem penes Cyrillum haberi Langen ultro fatetur; sed simul affirmat, « solam personalitatem et divinitatem Spiritus Sancti a Cyrillo habitam fuisse *obiectum fidei.* » Verba Cyrilli (Catech. XVI. n. 24.) haec sunt. « *Pater quidem dat* (διδωσι) *Filio, et Filius communicat* (μεταδιδωσι) *Sancto Spiritui.* Ipse enim Iesus est, non ego, qui ait: omnia mihi tradita sunt a Patre meo (Matth. XI. 27.); et de Sancto Spiritu dicit... *quia de meo accipit* (λαμβανει) et annuntiabit (ἀναγγελεῖ) vobis. Pater per Filium in Spiritu Sancto omnia donat (una ad extra operatio, sed ex dictis a Patre Filio, et per Filium Spiritui Sancto communicata)... Unus Deus, Pater; unus Dominus, unigenitus eius Filius; unus Spiritus Sanctus, Paracletus. Atque ista (ταυτα modo enumerata) scivisse nobis sufficiens sit; naturam autem seu substantiam (φυσιν ἡ ὑποστασιν) ne curiose scruteris. Si enim scriptum esset, diceremus; quod scriptum non est, non audeamus. Sufficit nobis ad salutem nosse, quod est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. »

His ultimis incisis Cyrillus, sicut alii Patres frequentissime, agit contra Eunomianos perscrutatores divinae essentiae, quam se perfecte, ut in se est, novisse gloriabantur « ex syllogismis » et philosophicis principiis de simplicitate entis (1). Langenius vero ex his ipsis verbis infert illud, quod diximus, « solam personalitatem et divinitatem Spiritus Sancti a Cyrillo proponi ut obiectum fidei » (p. 30). Omnia igitur quae proposuit catechumenis ex ipsis Scripturis de communicatione divinae naturae, Cyrillus ipsemet continuo subverteret; quodque sane mirum, ea quae in prima periodo proposuit credenda ut contenta in Scripturis, in periodo altera diceret non credenda, quia scripta non sunt. At securis nobis esse licet, absurda tanta apud s. Patrem non reperiri; ista enim non credenda et non scripta nihil sunt aliud, quam philosophemata Eunomiana de comprehensione divinae essentiae, ut in se est (2).

Gregorius Nazianzenus, teste Langenio, ex una parte, ob multiplices illius aetatis controversias, de Spiritu Sancto « stricte inhaerens Scripturis, non nisi doctrinam omnino indubitatam proponere in animo habuit » (p. 55.); ex parte altera « non potuit discedere *a conceptu communi* (3), secundum quem personae eo ordine quo numerantur, pendent una ab altera » (p. 56.). Hinc docet Gregorius: « non sustinet Pater privari Filio, nec Filius Spiritu Sancto » (4) (orat. 33. n. 17.): « iniqua sectio, si vel Filium a Patre, vel essentiam Spiritus a Filio separavero » (or. 40. n. 42.): « si fuit tempus, cum non esset Pater, fuit quoque, cum non esset Filius; si fuit tempus, cum non esset Filius, fuit quoque, cum neque Spiritus Sanctus esset » (or. 31. n. 4.): « numquam potuit deesse vel Filius Patri, vel Spiritus Filio... omnia quae est Pater, sunt Filii, praeter esse ingenitum; omnia quae Filius, sunt Spiritus Sancti, praeter gene-

(1) Vide Tract. de Deo Uno Th. X.

(2) De sensu quo PP. saepe dicere videntur, non esse credenda quae scripta non sunt, vide Tract. de Tradit. Th. XIX.

(3) Gregor konnte sich von der gewöhnlichen Vorstellung nicht losmachen.

(4) ὀυκ ἀνεχεται πατὴρ ὑιον ζημιουμενος, ὀυδε ὑιος το πνευμα το ἁγιον.

rationem » (1) (or. 41. n. 9. cf. or. 34. n. 10.). Licet omnes similitudines sint deficientes, adferuntur tamen velut quaedam imagines Trinitatis: « oculus, fons, fluvius » (ὀφθαλμος, πηγη, ποταμος); « sol, radius, lux » (ἡλιος, ἀκτις, φως or. 31. n. 31. 32.). Haec omnia recitat etiam Langenius, fassus quod ceterum evidens est, eadem esse gemina communi reliquorum Patrum doctrinae. Neque verum est, quod Langenius putat (p. 55.), Gregorium intuitu Pneumatomachorum asserentium creationem Spiritus per Filium, sibi cavisse ab expressione, quae (ut ait) etiam in Scripturis non exstat, Spiritum procedere *per Filium*; hanc enim ipsam unanimem Patrum sententiam vidimus (supra contra Macarium p. 160) diserte a Gregorio repetitam: « *ex Patre per Filium in magnum Spiritum sistit divinitas.* »

Nunc vero post ista omnia disputator Bonnensis repente et velut ex abrupto concludit, « Gregorium in magna perturbatione suae aetatis quoad doctrinam de Spiritu Sancto hoc unum dogmatice certum tenuisse, Spiritum Sanctum esse consubstantialem Patri ac Filio, et hypostasin per se subsistentem unius deitatis »; idque asserit Professor, postquam paulo superius dixerat, Gregorium habuisse propositum de Spiritu Sancto « nihil docere nisi omnino certa et in Scripturis contenta », eundemque multis in locis docuisse « communem sententiam » de relatione personae tertiae ad secundam, seu ad primam personam per secundam.

Hilarius (teste Langenio) sententiam de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium, et Spiritum accipere omnia a Filio, habuit certissimam; « attamen ipse Hilarius agnovit, ad doctrinam Ecclesiae proprie dictam sufficere professionem divinitatis Spiritus Sancti. » Probatio mirae huius distinctionis apud Hilarium repertae ita habet. « Hilarius ait (de Trin. XII. n. 56.), Paulum de Spiritu Sancto sufficientem sibi significationem eam existimasse, quod hunc Spiritum Patris diceret; quare subdit Hilarius, se

(1) ὀυδε γαρ ἐπρεπεν ἐλλειπειν ποτε ἡ ὑιον πατρι ἡ πνευμα ὑιῳ..... παντα ὁσα ὁ πατηρ, του ὑιου, πλην της ἀγεννησιας· παντα ὁσα ὁ ὑιος, του πνευματος, πλην της γεννησεως.

quoque sicut de Filio nihil nisi esse natum, ita de Spiritu nihil nisi esse Spiritum Patris dicere velle » (p. 27.). Hoc est totum, quo Langen demonstratum putat, Hilarium « certam suam sententiam » de processione Spiritus Sancti distinxisse a « proprie dicta doctrina Ecclesiae » ! !

Augustinus, ultro fatente adversario, data opera multis in locis (vide Tract. de Trin. Th. XXXV.) declaravit doctrinam de processione a Patre Filioque tamquam ab uno principio indubitanter certam et in ss. Scripturis contentam. At reperit noster theologus, non ubique a s. doctore urgeri et postulari hanc professionem, sed (in libro de fide et symbolo n. 16. 20; de agon. christ. n. 15. sq.; de symbol. ad catechum. serm. I. n. 13; III. n. 9.) commemorari dumtaxat fidem in unum Deum et tres personas consubstantiales (1). In Enchiridio c. 9. « declarat credendum esse, Deum esse Trinitatem, Patrem scilicet et Filium a Patre genitum, et Spiritum Sanctum ab eodem Patre procedentem (2), sed unum eundemque Spiritum Pa-

(1) In omnibus istis locis Augustinus nihil aliud habet quam catecheticam explanationem articuli in symbolo apostolico, *credo in Spiritum Sanctum*, insistitque potissimum veritatibus impugnatis ab haereticis illius aetatis; nihilominus ubi de relativis nominibus sermo incidit, catechumenis declarat (serm. III. n. 9.): « Pater non est Filius, sed Pater Filii; Filius non est Pater, sed Filius est Patris; Spiritus Sanctus nec Pater est nec Filius, sed *Spiritus est Patris et Filii.* » Adhuc expressius hoc idem dicit in sermone tertio de redditione symboli (serm. 214. n. 10.): « credimus in Spiritum Sanctum de Patre procedentem nec tamen Filium; super Filium (incarnatum) manentem, nec tamen Filii patrem; *de Filii accipientem, nec tamen Filii filium; sed Spiritum Patris et Filii*..... Haec fides imbuat corda vestra et confessionem dirigat; hoc audiendo credite, ut intelligatis. »

(2) Adnotant Maurini, in duobus codicibus Vaticanis lectionem esse: « ab eodem Patre *et Filio* procedentem. » Langenius huius lectionis falsitatem ait apparere ex verbis in textu Augustini sequentibus, « sed unum eundemque Spiritum Patris et Filii. » Imo vero si argumentis internis agendum esset, verba sequentia et modus disputandi Augustinianus aliunde compertus persuaderent, veram lectionem esse illam Vaticanam. Ait nempe s. doctor: licet a duobus procedat, non tamen duo sunt procedentes, sed unus idemque Spiritus Patris et Filii. Eodem modo argumentatur cont. Maximin. l. II. c. 14. n. 1: « Spiritus Sanctus *ab utroque procedit,* sicut iam ostendimus; unde et Spiritus Patris dictus

tris et Filii. » Notatu etiam dignum censet Langen, quod Augustinus ibid. c. 56. « solummodo fidem commemorat *in Spiritum Sanctum*, ut tertiam personam Trinitatis » (1). Unde interpres Bonnensis ita concludit. « Ex his (quae praemiserat, nosque modo descripsimus) pervenimus ad conclusionem, Augustinum tenuisse processionem a Patre *Filioque* ut doctrinam certam, in Scripturis fundatam, non tamen computasse ad traditam doctrinam fidei, ad fidem explicitam, quam restrinxit ad simplicem professionem consubstantialium personarum in una deitate. Censuerit in his inclusam doctrinam, Spiritum Sanctum aeque esse Patris sicut Filii Spiritum, quam quidem sententiam ipse habebat aequipollentem professioni processionis a Patre Filioque » (p. 76.).

Vigilius Tapsensis contra Arianos librum VIII. inscribit *de fidei unitate,* nimirum ut ex contextu apparet, de unitate divinitatis in Patre, et Filio et Spiritu Sancto, quae fide catholica credenda est. Postquam dixit de divinitate Filii, qui est « Deus de Deo, non duo Dii, virtus ex virtute, sed una virtus »; agit de Spiritu Sancto, qui credendus est nec ingenitus nec genitus nec creatura, sed ex Patre et Filio una virtus, unus Deus. « Quomodo duo ligna coniuncta missa in fornacem ignis, et de duobus lignis procedit flamma inseparabilis; *sic de Patris et Filii virtute procedit Spiritus Sanctus, ipsam virtutem deitatis habens.* » Sequitur deinde apud Vigilium *libellus fidei,* qui nihil est aliud quam symbolum professionis catholicae. «Credo in Deum Patrem omnipotentem, et unigenitum Iesum Christum Salvatorem nostrum, et Spiritum Sanctum unum

est (Rom. VIII. 11.), et Spiritus Filii (Rom. VIII. 9.); *non enim duo sunt Spiritus Sancti, tamquam singuli singulorum, sed unus potius Patris et Filii.* »

(1) Augustinus ibi recitat verba symboli apostolici, et ad ordinem inter singulos articulos advertere iubet; unde nescias quid Professor extundere voluerit. En verba Augustini: « cum autem de Iesu Christo Filio Dei unico Domino nostro, quod ad brevitatem confessionis pertinet, dixerimus, adiungimus sic (al. ut scis), credere nos et in Spiritum Sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quae Deus est; deinde de sancta commemoratur Ecclesia » etc.

Deum esse confiteor... Pater verus genuit Filium verum... Et (credo) Spiritum Sanctum verum Deum, non ingenitum neque genitum non creatum nec factum, *sed procedentem Patris et Filii, semper in Patre et Filio coaeternum.»* Symbolo subiungitur *expositio fidei* catholicae, quae constituit librum X. Scopus *expositionis* praecipuus est Arianis demonstrare divinitatem Filii et Spiritus Sancti, in qua unius deitatis demonstratione semper tamquam fundamentum prae oculis habentur internae relationes originis personarum et communicatio naturae. De Spiritu Sancto inter alia ibi exstant verba, quibus Langenius abutitur. « Si Scripturis Domini vel Domino loquenti crederes, numquam creatorem (Spiritum) creaturis comparares, cum legeris: Verbo Domini coeli firmati sunt, et *Spiritu oris eius* omnis virtus eorum (Ps. XXXII. 6.)... Et Dominus in Evangelio Apostolis dicit: mittam vobis a Patre meo Paracletum, *Spiritum veritatis; hic de Patre procedit, et de meo accepit* (Io. XV. 26; XVI. 14.). Sufficeret quidem fidelibus hoc ipsum credere, quia Filius genitus est; *Spiritus autem de Patre procedens est* (1), cuius processio qualis et quanta sit, nulli conceditur scire, sicut et de Filio dictum est: generationem eius quis enarrabit » (2) (Act. VIII. 33.). Post haec Vigilius sibi invicem opponit l. XI. *professionem Arianam et confessionem catholicam.* « Ariani dicunt Filium et Spiritum Sanctum ab arcanis Patris extorrem... Ego *credo* (confessione utique catholica) Filium in Patre et Patrem in Filio; Spiritum quoque Sanctum Paraclitum *qui procedit a Patre, et Filii esse et Patris, quia et a Filio procedit,* sicut et in Evangelio scriptum est, quod insufflationem suam dederit discipulis suis Spiritum Sanctum

(1) De Patre procedens nimirum eo modo, quo dixerat hoc ipso loco, et paulo ante in symbolo, et mox inferius iterum declarat, sicut nominatim apud Patres Africanos, Augustinum et Fulgentium (cf. Tract. de Trin. ed. 2. p. 508.), *processio a Patre* semper intelligitur, *quatenus Pater et Filius spiratione unum sunt.*

(2) Haec respiciunt perpetuam cavillationem Pneumatomachorum, cur Spiritus non sit Filius, si ex substantia Patris et Filii procedat? Cui quaestioni etiam alii Patres respondere solent appellando ad incomprehensibilitatem divinarum relationum (Tract. de Trin. p. 433.).

(cf. supra contra Macarium p. 63. sq.)... *Et quod idem Spiritus Filii sit, multis Scripturarum testimoniis probavimus, et quod totus maneat in Filio, et sicut procedit a Deo Patre, ita procedit a Filio, ut tota Trinitas unus credatur Deus* ». (Migne T. LXII. p. 287-301.).

His omnibus nihil motus Langenius verba illa ex contextu avulsa, « *sufficere fidelibus credere, quia Spiritus a Patre procedens est,* » assumit velut probationem, « Vigilium processionem a Patre *Filioque* non computasse ad *doctrinam symbolicam* » (1), « respiciendo forte, ut ait, ad symbolum Constantinopolitanum ». Sed quid hoc monstri est? Vultne sibi tantummodo, tempore Vigilii explicationem per particulam *Filioque* nondum fuisse in formula symboli Constantinopolitani, an vero affirmat, Vigilium non agnovisse hunc genuinum sensum symboli? Primum omnes norunt, sed nihil ad rem pertinet et ad scopum Bonnensis disputationis; alterum Vigilius ipse refellit, cum in suo « libello fidei » seu symbolo explicatiori, et in oppositione « confessionis catholicae contra professionem Arianam » diserte credendam proponat processionem sicut a Patre ita a Filio.

Isti sunt Patres omnes, in quos actor Reinkensianus suam ἐπίκρισιν experiri voluit, si dimittamus Origenem, cuius doctrinam de Spiritu Sancto, licet sola spectata *origine a Filio* disertissimam, nunc examinare nec lubet nec opus nobis est (vide Tract. de Trin. ed. 2. p. 489. 490.). Censeo vero, ipsam relationem argumentorum Langenianorum quae fideliter descripsimus, etiam solam per sese confutationis loco posse sufficere, ut necesse non sit singula persequi ac strophas omnes expungere.

Patres frequenter unam deitatem in tribus distinctis personis proponunt et explicant ex ipsis processionibus internis seu ex communicatione essentiae; quomodo ergo ex eo, quod aliquando postulant fidem divinitatis et consubstantialitatis personarum, quin explicite commemorent processiones ipsas, deduci potest, processionem Spiritus Sancti

(1) Als symbolisch hat Vigilius das *Filioque* nicht behandelt.

non fuisse creditam pertinere ad fidem christianam? Eodem prorsus iure ex illa affirmatione divinitatis et consubstantialitatis personarum deduceres, generationem Filii et processionem Spiritus a Patre non pertinuisse ad fidem christianam. Quomodo ex eo quod Basilius et Cyrillus docent, ipsam fidem unitatis naturae in tribus distinctis personis profitendam esse ita, ut essentia a Patre Unigenito, et a Patre per Unigenitum Spiritui Sancto communicata credatur, non evidenter consequitur, hoc ipsum fundamentum unitatis ac distinctionis esse fide credendum? Quomodo ex eo, quod Gregorius Nazianzenus non nisi certa et in Scripturis contenta dogmata de Spiritu Sancto proponere fixum habuit, non necessariò consequitur, ipsum accensuisse doctrinae fidei, quae tam frequenter docuit de relatione Spiritus Sancti ad Filium? Quomodo ex eo, quod in oppositione ad argumentationes haereticorum asserentium Spiritum Sanctum esse creaturam Filii, Patres provocant ad appellationem *Spiritus Patris*, disputator noster conficiet, minus valere appellationem *Spiritus Filii*, cum utraque auctorem habeat eundem Paulum Apostolum? Quomodo ex eo quod proponitur credendus *Spiritus Patris et Filii*, quo nomine ex ipsa significatione verborum, et ex communi Patrum explicatione, et (ad Augustinum quod attinet) ex confessione Langenii intelligebatur *spiratus* seu spiratione procedens a Patre et Filio, umquam persuadebitur, verba illa Scripturae fuisse credenda, sensum autem iis verbis expressum et a PP. intellectum non fuisse et non esse credendum? Quomodo ex eo, quod a Patribus Africanis, licet in symbolo CP. particula *Filioque* non esset expressa, nihilominus contra Arianos origo Spiritus Sancti a Patre *Filioque* tamquam « confessio catholica » diserte opponebatur, fatendum non est, hanc omnino fuisse id quod dicitur, *confessionem catholicam*? Quid denique sibi vult *fides explicita*, quam Augustinus restrinxisse dicitur « ad simplicem consubstantialitatem personarum in una deitate, » tenens nihilominus processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque revelatam in ipsis Scripturis? Eratne etiam generatio Filii et processio Spiritus *a Pa-*

tre exclusa ex *fide explicita?* Si hoc affirmatur, neque unitas numerica deitatis pertinebat ad *fidem explicitam*, et Tritheitae profitentes « simplicem consubstantialitatem personarum in una (specifica) deitate » non erant haeretici contra *fidem explicitam*. Si tantam absurditatem asserere non audent, ac proinde non « simplex consubstantialitas » dumtaxat, sed huius etiam fundamentum, communicatio naturae seu processio personarum, aeque erat in *fide explicita* Ecclesiae; quomodo quaeso hoc verum est de processione Spiritus Sancti ex Patre, non autem ex Filio, cum Augustinus ceterique Patres omnes propter ipsam consubstantialitatem Patris et Filii habuerint processionem Spiritus ab utroque ut unam eandemque, aeque revelatam in Scripturis? Insuper si illud quod dicitur de *fide explicita,* solum sibi vult, ante ortam haeresim Photianam processionem a Patre Filioque nondum fuisse formali definitione Ecclesiae declaratam nec polemice defensam, « cum calumniator nullus instaret, » fuisse tamen in deposito fidei custodiendo et explicando; hoc totum haud aegre concedi potest. Sed inde duo consequuntur superius iam commemorata, quae totum molimen Bonnense evertunt. Consequitur primum, quo tempore iam haeresis opposita incipiebat « exercere Ecclesiam », et in periculum adducere depositum fidei, potuisse et debuisse veritatem revelatam formali definitione Ecclesiae, custodis depositi, declarari et instantiori praedicatione defendi; consequitur secundo, quamvis in priori illo stadio simplicis fidei error materialis sine formali haeresi facilius locum habere potuerit, nunc tamen haeresim utique esse manifestam, contra definitionem et instantem praedicationem Ecclesiae sentire et docere, non solum eo modo, quo antiqui Photiani orientales negant in dogmate Ecclesiae catholicae contineri veritatem doctrinae, sed etiam quo novi Photiani Bonnenses negant in veritate doctrinae contineri dogma fidei: haeresis est non solum negare in definito dogmate fidei esse veritatem, sed etiam negare in definita veritate esse dogma fidei.

§. VII. *Synthesis totius Langenianae disquisitionis ab ipso auctore contexta.*

Bonnensis theologus « disquisitionem » absolvit §. 32. succincta quadam synthesi totius suae doctrinae seu recapitulatione, in qua, quo clariores et ipsa brevitate magis conspicuae sunt sententiae, eo evidentius prominent omnes vix credibiles contradictiones. Operae ergo pretium fuerit hanc recapitulationem integram describere, ut ex ea totius opusculi indoles uno velut intuitu perspiciatur.

Recitabo verba ipsa auctoris, quae praesertim post animadversiones hactenus praestructas, commentario vix indigent. Accipe igitur Neophotianam istam perorationem.

1° « Dogma nec est nec esse potest nisi hoc unum, Spiritum Sanctum suam essentiam habere a Patre, atque idcirco eandem essentiam cum Patre et Filio, quia haec tantum doctrina definite continetur in novo Testamento, et firmata est unanimi traditione fidei (1) orientalis et occidentalis Ecclesiae. »

2° « Aeque unanimis erat traditio theologica in veteri Ecclesia (2), et subinde in ipsa symbola fidei transiit professio, ratione unitatis essentiae divinae (in Patre et Filio) Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium. »

Iam satis demonstravimus non minus processionem a Filio quam á Patre tum explicite doceri in verbis Christi et Apostolorum, tum implicite revelatam ac proinde a magisterio custodis depositi explicandam contineri in doctrina de consubstantialitate et de relationibus divinarum personarum. Pariter demonstratum, et etiam per se notorium est factum huius explicationis in universali praedicatione ecclesiastica tum ante tum instantius post ortam haeresim contrariam. Insuper directam traditionem dogmatis in testimonio et doctrina omnium Patrum vidimus tam luculentam esse, ut vix ullum aliud dogma pro eo stadio, quo defensio contra haereticos nondum erat necessaria, clariorem et pleniorem

(1) Uebereinstimmende Glaubensüberlieferung.

(2) Ebenso übereinstimmende theologische Ueberlieferung in der alten Kirche.

habeat testificationem. Nunc vero haec iterum repetenda non sunt, sed solummodo sententiae Reinkensiani theologi inter se conferendae. Primum affirmat, processionem dumtaxat a Patre, non autem processionem quoque *a Filio* seu *a Patre per Filium* contineri in *traditione fidei;* tum velut perterritus universali consensione totius antiquitatis catholicae, quam ipsemet in disquisitione sua agnoscere coactus fuerat, continuo subdit, *aeque unanimem esse traditionem theologicam* de processione *a Patre per Filium.* Iubemur ergo credere, *in traditione fidei* non contineri, *in unanimi traditione theologica* veteris Ecclesiae, subinde etiam in symbolis fidei expressa, contineri doctrinam, de qua agitur. Quaeso iam haec *unanimis traditio theologica* quid tandem est? Patres omnium aetatum et omnium Ecclesiarum proponunt doctrinam de interna relatione Spiritus Sancti ad Filium, de qua non nisi ex divina revelatione constare potest; eam proponunt ut certam non minus quam unitatem et communicationem naturae in distinctis personis; eam diserte declarant expressam esse in revelatione et in verbis Christi; eam vel testantur proponi credendam in symbolo pro catechumenis « in tota Ecclesia » (ut Epiphanius), vel ponunt in suis professionibus fidei catholicae (ut Gregorius Thaumaturgus, Marius Victorinus, Vigilius Tapsensis, Gennadius, Tarasius, Diurnum Romanum in consecratione Romanorum Pontificum inde iam a Gregorio M., Concilia Toletana, Anglicum sub Theodoro, Foroiuliense sub Paulino, Aquisgranense, Wormatiense), vel habent in symbolis universaliter receptis (ut erat Athanasianum in Ecclesia occidentali diu ante Photium, « symbolum orthodoxae fidei omnibus Ecclesiis orientalibus » missum a Leone III.), vel expressis verbis ponunt inter articulos fidei catholicae necessario credendos (Hilarius, Fulgentius, Leo III., aequipollenter reliqui omnes); ex hoc stadio universalis praedicationis ecclesiasticae, cum calumniator adhuc nullus instaret, transiit dogma, ubi necessitas defensionis orta erat, in confessionem iam directe oppositam haeresi, in symbolum ut veri sensus processionis a Patre explicatio, in formalem definitionem cum anathemate haeresis contrariae

(vide supra §. III.). Si Langen hanc dicit esse *unanimem traditionem theologicam*, id quidem verissimum est, dummodo intelligatur *theologia Ecclesiae*, quae est ipsamet authentica explicatio et *traditio fidei;* nec alia nisi haec eadem *unanimis traditio theologiae Ecclesiae* exstat quoad ipsam processionem a Patre, quam Langenius fatetur esse *traditionem fidei*. Oppositio ergo quam ponit inter *traditionem fidei* de processione a Patre, et *unanimem traditionem theologicam* de processione a Patre per Filium, contradictionem implicat. Affirmare autem hanc *traditionem* non esse *theologiae Ecclesiae*, et nihilominus esse *unanimem traditionem* omnium Patrum eo modo, quo vidimus, monstrum ingens est. Nunc prosequamur strophas reliquas.

3[io] « Formula *ex Patre Filioque* habuit initio adhuc sensum doctrinae traditionalis: *per Filium*. Verum ab Augustino in eam inducta est sententia, Spiritum Sanctum procedere aequali modo a Patre et Filio, sub hac tamen restrictione, ut processio a Filio intelligatur habere radicem etiam in Patre tamquam unico principio primordiali totius vitae divinae. Hac ratione essentiale, doctrinam de Deo modificans discrimen inter ipsum Augustinianum *Filioque* et inter formulam Graecorum δια του ὑιου *(per Filium)* non obtinebat. »

Quid hoc portenti? Dicitur nobis, initio duas formulas « ex Patre Filioque » et « ex Patre per Filium » habuisse sensum unum eundemque; deinceps Augustinum in priorem illam induxisse sensum alium. Hunc alium sensum esse in eo, quod Spiritus dicatur procedere *aequali modo* ex Patre et Filio; unde consequitur, ante Augustinum omnes Patres, et post ipsum adhuc eos, qui dicerent processionem *a Patre per Filium*, credidisse Spiritum Sanctum *non aequali modo* ab utroque, sed *alio modo a Patre* et *alio modo a Filio* procedere. Ne vero putes, hunc *alium* et *alium modum processionis* a Langenio dici improprie, et tantummodo sibi velle, virtutem spiratricem in Patre ingenito esse ex sese et incommunicatam, in Filio genito communicatam a Patre per generationem; hoc inquam ne putes, ipse Langenius monet, rationem istam principii primordialis in solo Patre

fuisse ab Augustino intellectam et inclusam in sua formula *a Patre Filioque,* quod sane s. doctorem ubique inculcare vidimus. Ergo mutatio sensus quam Augustinus induxisse dicitur, non potest intelligi in eo esse, quod formula « traditionalis » *a Patre per Filium* et ante Augustinum etiam formula *a Patre Filioque* significaret Patrem principium primordiale, et Filium genitum habentem a Patre virtutem spiratricem; hoc enim ipsum fatente Langenio sibi voluit Augustinus, in sua formula docens, Spiritum procedere *aequali modo* a Patre et Filio. Ergo *alius modus processionis* a Patre et *alius* a Filio, qui auctore Langenio credebatur ante Augustinum et ab Augustino non est admissus, necessario intelligitur *alia spiratio in Patre,* et *alia in Filio,* quam vidimus a Langenio dici aliquando *participationem* spirationis, aliquando *transitum per Filium.* Nondum finis fabulae. Post tantam ματαιολογιαν de discrimine inter sensum, quo processio tum *per Filium* tum *a Filio* ante Augustinum intellecta fuerit, et inter sensum alium quem Augustinus induxisse dicitur, tandem concluditur, discrimen hoc inter utrumque sensum « non esse essentiale. »

At profecto si antea credebatur *alia* spiratio in Patre *alia* in Filio, haec doctrina vel Ariana est vel tritheitica, simulque inducens duos Spiritus Sanctos, quod absurdum Augustinus exprobrat, « singulos a singulis »; adeoque discrimen esset maxime essentiale. Si autem, ut veritas habet, nomine processionis *a Patre per Filium* catholico sensu intelligebatur spiratio Patris una numero communicata Filio, hic idem sensus saepe et luculenter declaratus est ab Augustino, ac proinde omnia quae Langenius disputat de diversitate sensus in utraque formula, mera sunt figmenta invecta ad obscurandum, si fieri posset, unanimem consensum Patrum tam orientalium quam occidentalium (vide supra §. II.). Accipe et patienter sustine Langeniana reliqua.

4° « Sicut dici nequit, per Augustinianam doctrinam de processione a Patre *Filioque* induci in Deo duo principia seu άιτιας προκαταρκτικας, ita theologi in regno Fran-

corum (sub Carolo M.) formulam δια του υἱου *(per Filium)* immerito suspectam habebant velut contrariam divinitati Spiritus Sancti. »

5° « Nec una doctrina *(a Patre per Filium)* nec altera *(a Patre et Filio)* censeri potest haeretica, siquidem a defensoribus utriusque tum unitas tum trium personarum consubstantialitas in Deo retinetur. Etiam doctrina posterius invecta (1), Spiritum Sanctum procedere *a solo Patre,* non autem *a Filio* sive *per Filium*, neque ipsa haeretica est, quatenus eius patroni in hoc modo concipiendi valeant retinere divinam unitatem; verumtamen doctrina haec incidere videtur in difficultates non modo speculativas, sed in maiorem etiam ex traditione, quia aliena fuit ab antiqua theologia ecclesiastica » (2).

Iterum doctrinam, Spiritum Sanctum procedere *a Patre et Filio* aut *a Patre per Filium,* quae una omnino est eademque, disquisitor dividit in duas; benigne vero concedit, neutram ex duabus esse *haereticam*. Doctrina igitur revelata, in Scripturis consignata, in catholica traditione explicata, contra haeresim oppositam expresse definita, in solemni symbolo ab universali Ecclesia ut articulus fidei ab omnibus explicite credendus proposita penes homines istos dogmatice non pluris est quam error contrarius; nam negatio Photiana continuo ponitur in eodem ordine, quae et ipsa *non sit haeretica.* Porro doctrinam, quae contra praedicationem et traditionem ita, ut diximus, constitutam « serius invecta » agnoscitur, et « aliena ab antiqua theologia ecclesiastica, » et ipsam consubstantialitatem Patris et Filii in discrimen adducens, huiusmodi inquam doctrinam non esse haereticam, soli « veteratores » affirmare possunt, qui subversis omnibus principiis catholicis nullum amplius errorem dicent haereticum. Nunc tandem ventum est ad explicandum nodum fabulae, ut sequitur.

6° « Proinde, inquit, per additum verbum *Filioque* in

(1) Die spaeter aufgekommene Lehre.

(2) Aber nicht bloss mit speculativen Bedenken dürfte diese Lehre zu kämpfen haben, sondern mehr noch mit dem traditionellen, dass sie der altkirchlichen Theologie fremd gewesen ist.

symbolum inserta est non haeretica quidem doctrina, sed *opinio* tamen theologica, quae ob hanc ipsam concisam expressionem perperam intelligi poterat, ac si duo in Deo statuerentur principia. »

« Quoad formam iuris ista ampliato oecumenici symboli fidei ideo illegitima erat, quia non nisi ab oecumenico Concilio decerni potuisset, eo autem tempore, quo inducta est, iam controversia vigebat de dogmatica veritate additamenti, ipsumque ab una parte Ecclesiae adhibebatur velut telum contra partem alteram. »

7° « Quod universa Ecclesia occidentalis additamentum hoc modo inductum per plura saecula habuit in symbolo fidei, inde nullum formale ius ei acquiri potuit. »

« Quapropter optandum esset, ut Christiani occidentales additamentum iterum dimitterent, quin interim suam praesentem theologicam sententiam de Trinitate mutarent (1). Hac illius additae particulae reiectione praepedimentum inter Ecclesias orientis et occidentis hucusque inexsuperabile sublatum foret, tumque dissidia reliqua facile complanari possent. A sua sententia theologica decedere occidentalibus necessarium non esset, quia id quod dicitur per vocem *Filioque*, etiamsi intelligatur secundum theoriam Augustini, haeresim non continet, imo formula patitur interpretationem, qua cum altera Graecorum δια του υἱου *(per Filium)* velut identica componatur. »

« Si Hadrianus I. patrocinium suscepit formulae δια του υἱου, et Leo III. vocem *Filioque* noluit symbolo insertam; si vicissim Maximus Confessor vocem *Filioque,* tamquam aliam solum expressionem pro formula δια του υἱου, minime improbabat, et Patriarcha Constantinopolitanus Tarasius confessionem δια του υἱου in ipsum suum symbolum fidei suscepit: non est desperanda etiam post mille annorum dissidium tandem secutura reconciliatio. »

Habemus hic non modo conglomeratas Neophotianas suppositiones, quibus principia ipsa fidei catholicae sub-

(1) Es wäre darum wünschenswerth, dass die abendländische Christenheit den Zusatz wieder fallen liesse, ohne indess ihre jetzige theologische Anschauungsweise über die Trinität zu ändern.

vertuntur, sed insuper congeriem quamdam manifestarum contradictionum.

Supponitur Ecclesiam universam in ipsa definitione et professione articulorum fidei posse errare et per multa saecula errasse; adeoque posse incidere et incidisse in haeresim, quae incurritur non solum profitendo falsum, sed aeque etiam definiendo ac proponendo velut veritatem revelatam, quod revelatum non est; proinde supponitur contra Ecclesiam Iesu Christi posse praevalere et praevaluisse portas inferi, eam posse perire et a multis iam saeculis periisse. Quodsi « veteratores » has suppositiones sibi immerito adscribi dicerent, haec abnegatio inde solum esset, quia ipsam notionem infallibilis et indefectibilis Ecclesiae Christi iam in prima suae sectae constitutione eiurarunt (1). Ex eadem perversione notionis Ecclesiae oritur suppositio altera, Photianos et consequenter sectas alias omnes, quantumvis negent et velut haeresim damnent definitum articulum fidei, nihilominus constituere partem verae Ecclesiae. De his repetenda sunt, quae superius §. I. diximus;

(1) Pseudo-episcopus « veteratorum » Hubertus Reinkens in suis « litteris pastoralibus, » quibus se a Romano Pontifice et ab omnibus Episcopis orbis terrarum divisum « Episcopum catholicum » commendabat (11. Augusti 1873.), sine ambagibus legitimum Episcopatum et consequenter Ecclesiam a multis iam saeculis periisse, et se nunc legitimi Episcopatus restauratorem esse praedicare non est veritus. Conqueritur « eversam esse apostolicam legitimitatem Episcoporum. » Si ss. Patres nunc resurgerent, « nullius ex omnibus nunc viventibus Episcopis Ecclesiae Romanae, inquit, neque ipsius Episcopi urbis Romae electionem agnoscerent legitimam. » Eversionem « apostolicae Constitutionis episcopalis » coeptam saeculo VI. tandem saeculo IX. fuisse absolutam, et nunc « ut praetensum dogma » sancitam. « Cum iam Romanus Pontifex et ei tamquam Domino suo subiecti Episcopi divinitus dispositam Constitutionem funditus everterint, ac insuper verbum Dei, contempta Scriptura et Traditione, humanis inventis corruperint..... coacti tandem fuimus revocare formam apostolicam electionis ad restaurandum Episcopatum. » Enumerantur deinde multi errores, in quibus Pontifex cum omnibus sibi unitis Episcopis haerere, « et Sedes Apostolica Romana vacare » dicitur, qua « ex universali perditione » salvati sunt soli illi (« veteratores »), qui audierunt vocem Domini vocantis singulos ad liberum examen in rebus fidei et morum.

hic brevissime perstringemus contradictiones in diatribe Langeniana.

a) Tamquam articulum fidei revelatae in symbolo proponere « opinionem theologicam, » in deposito revelationis non contentam, iure divino nefas est, nec sine haeresi fieri potest. Quia vero magisterio Ecclesiae in docendo, et universae Ecclesiae in credendo promissus et missus est Spiritus veritatis manens in aeternum, idcirco susceptio et professio alicuius articuli in « symbolo oecumenico » est argumentum infallibile omnium luculentissimum, eam non esse « opinionem dumtaxat theologicam, » sed omnino veritatem revelatam fide divina credendam.

Ius et auctoritas proponendi in symbolo veritates revelatas non differt a iure definiendi veritates fidei, hocque non differt a iure authentice docendi universam Ecclesiam. Iis ergo omnibus et solis ius est divinitus collatum pro universa Ecclesia proponendi in symbolo veritates revelatas, quibus divinitus iniunctum est ius et officium authentice docendi universam Ecclesiam. Hoc autem ius et officium post Apostolos nemini collatum est nisi visibili petrae, confirmatori fratrum, pastori totius Ecclesiae Christi sive spectato per sese in relatione ad totam Ecclesiam, ad fraternitatem quae in mundo est, ad universitatem ovium sustentandam, confirmandam, pascendam: «in hac petra aedificabo Ecclesiam meam;» « ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (in munere, cuius iniunctio connectitur), et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;» «pasce oves meas, pasce agnos meos;» sive simul spectata cum suo capite et sub suo capite successione apostolica, hoc est tota Ecclesia docente vel dispersa vel repraesentata in oecumenico Concilio: « Spiritus veritatis ut maneat vobiscum in aeternum;» «et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; » « et ipse dedit... pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei; » « Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis. » Haec tota divina institutio subversa est, opus Christi redemptoris et fundatoris sublatum, ina-

nis praedicatio, inanis et fides Ecclesiae, si (quod « veteratores » dicere audent) per susceptionem articuli fidei in symbolum oecumenicum factam ab universa Ecclesia docente, retenti per multa saecula et solemni professione crediti a tota Ecclesia, nec quoad formam legitimum ius demonstratur, nec quoad materiam constat de veritate revelata; sed mera opinio, quae impune negari queat, illegitime intrusa fuit inter articulos fidei sub poena anathematis credendos et ab omnibus fidelibus explicite creditos.

Quod dicitur de controversia, quae tempore susceptionis articuli in symbolum iam viguerit, absurdum est. Controversia haec nihil erat aliud, quam contradictio haereticorum Photianorum, ex qua ipsa, sicut in aliis plerisque definitionibus fidei accidit, orta est necessitas explicatioris declarationis et instantioris praedicationis, atque ad hunc finem ipsius particulae *qui a Patre procedit,* in symbolo Constantinopolitano explicatio catholica ex Scripturis ac tota unanimi Traditione repetita.

b) Superadduntur duo contradictoria inter se consarcinata, quae nescias quid sibi velint. Christiani occidentales, inquit, abiiciant ex symbolo professionem Spiritus Sancti procedentis a Patre Filioque; simul vero suam sententiam theologicam retineant. Si « Christianos occidentales » dicit haereticos, qui nullos habent articulos divinae fidei irreformabiles, sed opiniones dumtaxat pro re nata commutandas in alias atque alias; ii hoc ipso nullum habent symbolum fidei, sed seriem forte quandam religiosarum opinionum. Illi igitur non hoc solum articulo sed toto symbolo fidei reiecto ad veteratoriam societatem facile convenient, non in communi aliqua positiva confessione sed in negatione fidei fundatam. Si autem Ecclesiam catholicam, quae ceterum nullis finibus circumscripta non solis « Christianis occidentalibus » constat, Reinkensiani putent debere et « suam sententiam theologicam » retinere, quae sententia non alia est quam incommutabilis divina fides in processionem Spiritus Sancti a Patre *Filioque,* et simul veritatem definitam ac creditam ex censu articulorum fidei reiicere; profecto affirmationem et negationem eiusdem secundum idem coniungunt.

Quod Hadrianum I, Leonem III, Maximum et Tarasium spectat, ii omnes, quantumvis explicatio ipsi symbolo Constantinopolitano nondum inserta esset, neque eam inserendi tum temporis necessitas appareret, unam fidem professi sunt in processionem a Patre *et Filio* seu *per Filium;* utramque enim formulam Langenius nunc tandem ipse fatetur unum idemque edicere secundum aliquam interpretationem (ut ait), quae non est nec esse potest alia quam interpretatio catholica in oecumenico Concilio Florentino iterum sancita (vide supra §. II.).

Postremo complanatio viae ad unitatem inter Christianos non perficitur negatione doctrinae fidei aut dissimulatione. Huiusmodi dissimulatione homines abutuntur, qui iam « circa fidem naufragaverunt, » ut sibi ipsis confingant speciem quandam, quae Ecclesia ab ipsis appellata intestinis dissidiis affirmationum et negationum imaginem prae se fert non Ecclesiae Christi, sed illius « terrae tenebrarum, in qua nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.» Unitas Ecclesiae in sola integra fide veritatis sibi constare potest: « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et unus spiritus... unus Dominus, una fides » (Eph. IV. 3.). Ad hanc autem unitatem integrae veritatis et fidei via non patet alia, quam ea quae structa est ab ipso « auctore fidei et consummatore Iesu » per charisma Spiritus veritatis in sua Ecclesia. « Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. » « Et Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, et propter hoc sapientia Dei, per quam salvat omnes homines... Qui ergo relinquunt praeconium Ecclesiae, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista. Tales autem sunt omnes haeretici.... qui de iisdem non semper easdem sententias

habentes caeci a caecis circumducuntur; iuste cadent in sublatentem ignorantiae foveam, semper quaerentes et numquam verum invenientes. Fugere ergo oportet sententias ipsorum; confugere autem ad Ecclesiam, et in eius sinu educari et dominicis Scripturis enutriri » (s. Iren. III. 4.; V. 20.). Quae ut tum veteres ab Ecclesia catholica divulsi schismatici, tum novi apostatae sapiant et intelligant, solus sua gratia efficere potest Spiritus Sanctus, qui a Patre Filioque procedit Dominus et vivificans.

A. M. D. G.

INDEX

I. EXAMEN DOCTRINAE MACARII BULGAKOW.

SECTIO I.

DE MACARIANA INTERPRETATIONE SCRIPTURAE.

SECTIO II.

DE FALLACIIS MACARII IN DOCUMENTIS TRADITIONIS.

SECTIO III.

DE DOCTRINA CATHOLICA EXPRESSA IN SYMBOLO FIDEI.

SECTIO IV.

DE CRIMINATIONIBUS MACARII CONTRA THEOLOGOS CATHOLICOS.

II. EXAMEN DOCTRINAE IOSEPHI LANGEN.

ERRATA	Pag.	Lin.	CORRIGE
ξ	25	5 *nota*	ἐξ
ὑποστασεος	»	8 »	ὑποστασεως
e	35	32	et
ποειται	48	4 *nota*	νοεῖται
της	71	3 »	της
ἰδιω	75	1 »	ἰδιῳ
apocrysiarios	78	11 »	apocrisiarios
μονογενος	128	15 »	μονογενως
at	133	6	ac
ὑποστασως	147	34	ὑποστασεως
misit. Ergo	151	9	misit: ergo
Ουτοι	152	3 *nota*	Ὁυτοι
(ὑιο)	»	4 »	(ὑιοι)
graeco ,	154	10	graeco.
ὀυσιωδως	»	6 *nota*	ὀυσιωδως
τοιαυτην,	156	2 »	τοιαυτην
τη δε	160	7 »	τῃ δε
ὁριθεντα	183	1 »	ὁρισθεντα
explicite,	204	18 »	explicite
Sectione IV.	243	23	Sectione III.

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti Ord. Praed. S. P. A. Mag.